This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

32.

688.

C. SALLUSTII CRISPI

DE

CATILINAE CONJURATIONE

DEQUE

BELLO JUGURTHINO

LIBRI.

COD. SCRIPTIS SIMUL IMPRESSISC[illegible] QUADRAGINTA AMPLIUS COLLATIS,
RECENSUIT, ATQUE A[illegible]ONIBUS ILLUSTRAVIT,

HENRICUS E. ALLEN.

" Crispus Romana primus in historia."

BIBLIOTHECA AMBROSIANA

LONDINI:
APUD T. CADELL.
MDCCCXXXII.

688.

LONDINI:
EXCUDERANT BRADBURY & EVANS.

AMICO SUO ET OLIM PRAECEPTORI,

R. J. BRYCE, J. U. P.,

ACADEMIAE BELFASTANAE IN HIBERNIA

Praefecto,

HOCCE QUALECUMQUE OPUS

D., D., D.,

H. E. ALLEN.

PRAEFATIO.

Non eram nescius, quum id, quod Gottlieb Cortius tráctasset, mihi retractandum susciperem, fore, ut in reprehensionem incurrerem temeritatis. Sed, re perspecta, mihi constabat, illum magnum quantumvis virum e segete uberrima stipulas nonnullas ad spicilegium reliquisse: ad quas igitur colligendas me accinxi. Quibus autem subsidiis librorum fretus ad recensendi officium accesserim, paucis dicendum est.

Codices igitur M. S., in thesauro literarum illo nobilissimo, Museo Britannico, conservatos, excussi viginti quinque: scilicet *Harleianos* tres et viginti, *Regium* unum, unum *Burneianum*. Ex Harleianis autem sexdecim cum contextu Cor-

tiano diligentissime, verbum cum verbo, comparavi: ceteros coactus eram festinantius percurrere. Nam, quum, nondum gnarus satis qua ratione catalogus consulendus esset, temere progressus tandem ad sylvam librorum Latinorum non mediocrem pervenissem, eaque perlustrata Sallustii exemplaria sexdecim reperissem, postea, ingentem praedam me nactum ratus, nec suspicans alibi plura esse, omisi latius explorare. Jamque (ut mihi videbar) ad finem propemodum operis perveneram, quum tandem nescio cur metus animum incessit, ne parum rite catalogum tractassem, iterumque adito illo rescivi alios praeterea codices scriptos exstare septem. Ceterum satis confido, nihil admodum boni etiam in hisce me fugisse, si quidem, quo tempore ad hos excutiendos accesseram, suspecta loca omnia jam enotata habebam. Verum enim vero licet errorem meum etiam felicem pronuntiare; nam per indicem si initio, more usitato, catalogum explorassem, duo codices, quos mihi videor non frustra consuluisse, omnino me latuissent; scilicet nume-

ros praeferentes 2541. et 2675., quorum indicis auctor nullam habuit rationem.

Ceterum de meritis codicum est mihi hic, more editorum, aliquid pronuntiandum. *Harl. primus* igitur, (quem scilicet ita constitui; omnium autem indicem sum infra adscripturus) membranaceus, saeculi XII., codex egregius est, quem tamen damnosa dies male mulctatum dimisit, nam post c. 79. *B. J.* desiderantur omnia. *Secundus* et *sextus*, alter anno 1297. scriptus, recentius alter, chartaceus uterque, ita consentiunt inter se et cum duobus a Cortio collatis (*Senat.* 2. et *Heussian.*,) ut credibile sit hos omnes consanguineos esse: quem propter consensum hi duo codices, quum sint ipsi in numerum meliorum referendi, mihi tamen minus quam alii multi profuerunt, haud saepe quidquam boni ostentantes, quod non prius Cortius arripuisset: sextus vero semel atque iterum emendatior evasit, videturque ex exemplari jam aliquatenus cum melioribus collato exscriptus. *Tertius*, saeculi XIV., ex foliis membranaceis et chartaceis intermixtis constat:

est autem hic longe omnium optimus, numquam satis laudandus, quem monitorem officii passim sum sequutus: ceterum folia antepaenultima duo, item ultimum, manus sacrilega deripuit. *Quartus*, ejusdem saeculi, membranaceus, bonus in primis est; porro scholiis aliquando non ineptis instructus, quorum pauca hic atque illic adscripsi: hunc possedit olim, parum tamen feliciter usus est, Antonius Thysius. *Quintus, septimus, decimus*, Conjurationem Catilinariam tantummodo complectuntur: et postremus quidem non spernendus est, cum *primo* magna ex parte conspirans; alteri autem exigui admodum pretii. *Octavus*, mediocris plerumque, nonnumquam laudem aliquam adsequitur etiam singularem. *Nonus*, compendiose et gravi manu, ceterum satis religiose scriptus est, neque ex vilissimo exemplari: fuit autem olim Bibliothecae S. Martini apud Lovanienses, et hunc contulit jam Cypr. a Popma, cujus editio Lovanii prodiit anno 1572.: atque ex hoc bene explevit ille locum *de B. J.* c. 44., etsi viri docti audire noluerunt: "Sed,

neque munichantur ea, neque more militari vigiliae deducebantur." Sed, quod ibi Popma codicem antiquissimum praedicat, non ita antiquus esse potest codex chartaceus, nec dubitavi hunc in numerum saeculo XIV. prognatorum referre: ceterum nihil prohibet, quo minus codex recentissime scriptus satis vetustum exemplar habeat expressum; et *tertius* ille insigne documentum est, quam frustra sint, qui in manu scriptis libris nihil nisi aetatem respiciunt. *Undecimus*, saeculi XV., inaequalis admodum est, contextum exhibens nunc misere vexatum, nunc unice sanum: nimirum bonus librarius, exercito ingenio fessus, interdum satis habuerat exemplar suum fideliter sequi, quod mihi constat egregium fuisse: utinam id minus importunum librarium invenisset! *Duodecimus*, ejusdem saeculi, ab homine scriptus est, qui ne verbum quidem Latinum intellexit, ac vix tres continuae voces turpi menda carent. Sequuntur autem duo eleganter admodum scripti, quodque magis refert, probi praecipue: quos deinceps satis mediocres duo excipiunt: saeculi

XV. omnes. *Septimusdecimus* omnium vetustissimus est, saeculi XI.; ceterum haudquaquam parem probitatis laudem potest sibi arrogare: nonnumquam vero solus hic ex omnibus caret interpolatione. Reliqui, ne multus sim, saeculorum sunt XIV. et XV.; ex hisque 18. et 23. meliores. *Regius* et *Burneianus* recentissimi sunt, alter paucis annis ante, alter paucis etiam post, quam impressa exemplaria prodierant, scriptus: hunc tamen ex satis vetusto codice autumo expressum, etsi solus ordinem librorum immutavit, Bello Jugurthino praeposito. Atque hactenus haec: ceterum ad codicum M.S. varietatem lectionis quod attinet, hanc fere legem mihi proposui, ut, si quid memorabile ostentabant, quod Cortius in suis non reperisset, id diligenter adnotarem; aut, si quando de binis lectionibus dubitabam, ut pro utraque codicum suffragia indicarem: nam omnem farraginem lectionis Cortiano more acervare, supervacaneum putavi.

Editiones autem contuli,—principes illas tres, Parisiensem, Venetam, et Romanam, 1470.; Pa-

risiensis tamen Conjurationem Catilinariam tantummodo inspexi: Venetam autem, tametsi eamdem jam Gruterus, Wassius, Cortius, pro se quisque contulerant, minime tamen supervacaneum comperi denuo contulisse: et Cortius quidem illos notavit, quod hanc remissiore cura tractassent; sed piget dicere, quam remisse tractaverit ipse; id quod ex notis nostris apparebit, nam quoties illius mentionem feci, toties fere tacet Cortius. Deinde Mediolanensem 1474., Venetam alteram 1478., Ascensianam Lugd. 1511., Aldinas 1509. et 1521., Juntinam 1527., Colinaei 1536., Gryphianam 1551., Basileensem 1564., Thysianam 1654., et Hackianam 1677. Wassiana non fere usus sum, quum neque apud me ad manus esset, et compertum habuissem Cortium illam diligentissime pertractasse. Havercampi ex varietate lectionis quidem fructus aliquantulum cepi; eaque sola operis parte usus sum: nimirum in tanta mole adnotationis ne verbum quidem de suo ipse adjecit; et vero, quum judicium suum (si modo habuit aliquid judicii) Grutero et Wassio vinctum

constrictumque tradiderit, oculis tantummodo digitisque suis uti ausus, nihil in editione effecisse videri potest, quod non vel postremus librariorum aeque gnaviter potuisset. Sane haud magna laus est, ac potius omnem exsuperat stoliditatem, octavodecimo demum post anno Sallustium tam maculis coopertum emisisse, quam si nondum vindex exortus fuisset Gottlieb Cortius! Contulit autem codices M. S. undecim Bibliothecae Leidensis, ex quibus monet meliores esse, quos soleat literis I, K, L, signare, summae autem vetustatis atque probitatis postremum; unum praeterea, qui quondam Petri Francii fuerat, eumdem scilicet cujus excerptas lectiones jam ante adhibuerat Cortius; item ed. Romanam 1470., sed hujus mihi ipsi copia fuit. Ex recentioribus autem perlegi quidem Bipontinam, Argent. 1807., vix tamen adnumerandam existimo, nequeo enim dicere in ista me quidquam auxilii habuisse; nec placuit hominis sine nomine tentamenta recensere, qui, nisi caecam temeritatem, nihil ad inceptum videtur attulisse. Praeterea incidit forte in manus

Parisiensis nupera (apud Malepeyre, 1823.), quam, apparatu librorum satis amplo adhibito, procuravit F. G. Pottier, Lit. Hum. Prof.: hic autem miram omninoque inauditam recensendi rationem instituit, ut, laboribus tot doctorum virorum pro nihilo habitis, explosas ineptias librariorum passim revocaret! unde factum est, ut Sallustius non multo comtior evaserit, quam horridus ille saeculi XV.: adnotationes non dedit, et professorem literarum Latinarum non puduit Gallice praefari. Atque enumeravi fere copias meas librorum. Sed non praetereunda est editio stereotypica amici et praeceptoris mei, R. J. Bryce, J. U. P., Academiae Belfastanae Praefecti; qui, quum Cortium plerumque fideliter sequi decrevisset, non semel tamen ad contextum corrigendum feliciter digressus est: atque ex hac duas emendationes certissimas (*Catil.* c. 30. n. 4., et *Jug.* c. 78. n. 3.) venia viri doctissimi recepi.

Ceterum, recensendi curam quum primam habuerim, deinde, tametsi nunc desueta res est, Latinitatem notabiliorem illustrandam putavi, amba-

gibus historicis et archaeologicis omissis, quas hodie nemo jure deposcat. In qua re quum non licuerit mihi cum thesauris Cortianis certare, licet tamen non parva novi ornatus accessione Sallustium auctum profiteri. Indicem, festinantius paulo confectum, adjeci.

Atque haec fere sunt, lector, quae te monitum volui. Nunc laborem meum tibi permitto, tuaeque commendo humanitati. Vale.

Londini,
Idibus Juniis,
MDCCCXXXII.

COD. M. S. HARLEIANI.

1.	2643.	*C.* et *J.*	XII.	13.	2657.	*C.* et *J.*	XV.
2.	2475.	. . .	XIII.	14.	2675.	. . .	. .
3.	2520.	. . .	XIV.	15.	2704.	. . .	. .
4.	2521.	. . .	. .	16.	2711.	. . .	. .
5.	2539.	*C.* ——	. .	17.	5412.	. . .	XI.
6.	2540.	*C.* et *J.*	. .	18.	3443.	. . .	XIV.
7.	2542.	*C.* ——	. .	19.	3872.	. . .	. .
8.	2598.	*C.* et *J.*	. .	20.	4865.	. . .	. .
9.	2460.	. . .	. .	21.	5374.	. . .	XV.
10.	2499.	*C.* ——	XV.	22.	5429.	. . .	. .
11.	2541.	*C.* et *J.*	. .	23.	6516.	. . .	. .
12.	2597.	. . .	. .				

C. SALLUSTII CRISPI

DE CATILINAE CONJURATIONE

LIBER.

C. SALLUSTII CRISPI

DE CATILINAE CONJURATIONE

LIBER.

I. Omnis homines, qui sese student praestare ceteris animalibus, summa ope niti decet, vitam silentio ne transeant, veluti pecora, quae natura prona atque ventri obedientia

---

C. Sallustii Crispi.] Cognomen editores vulgo nomini praeposuerunt: sed ita omittendum erat praenomen; id quod etiam Cortiana exempla probant. Ex M. S. autem libris multi utrumque, et praenomen et cognomen, omittunt; multi titulo omnino carent. Nostram collocationem tuetur *Hirt. de Bello Afric.* c. 8. et 34.

De Catilinae Conjuratione.] Ita inscribendum librum indicavit Sallustius ipse infra in exordio.

I. 1. *Omnis.*] Pro *omnes*, antiquo more: et sic in quarto casu plur. tertiae declinationis passim.

2. *Qui sese student praestare.*] Sic, adhibito pronomine, *Plaut. Asin.* I. 1. 52., "Ego *me* id *facere studeo.*" Item *Cic. de Off.* II. 20., "Illis...gratum *se videri studet.*"

3. *Ceteris animalibus.*] Harl. 6, 10., 11., 13, 15., *animantibus;* fortasse melius: vide *Cic.* infra n. 5.

4. *Vitam silentio ne transeant.*] Secordia atque ignavia; nihil memorabile affectantes, quo minus cum corporibus simul nomina sint peritura. Infra c. 2., "Eorum ego vitam mortemque juxta aestumo, quoniam de utraque *siletur.*" *Tacit. Agric.* 6., "Tribunatus annum quiete et otio *transiit*, gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientia fuit: idem praeturae tenor et *silentium.*" Ita autem particulam *ne*, quam vulgo praeponunt, melius locavit Cortius: sic idem *Jug.* c. 70., "Praemia Metelli in pestem *ne* convorteret."

5. *Veluti pecora, quae natura*

finxit. Sed nostra omnis vis in animo et corpore sita: animi imperio, corporis servitio magis utimur: alterum nobis cum dis, alterum cum belluis commune est. Quo mihi rectius videtur ingenii, quam virium, opibus gloriam quaerere; et, quoniam vita ipsa, qua fruimur, brevis est, memoriam nostri quam maxume longam efficere. Nam divitiarum et formae gloria fluxa atque fragilis; virtus clara aeternaque habetur. Sed diu magnum inter mortalis certamen fuit, vine corporis, an virtute animi, res militaris magis procederet. Nam et prius, quam incipias, consulto,

---

prona, etc.] *Cic. de Leg.* I. 9., "Nam, quum ceteras animantes (natura) abjecisset ad pastum, solum hominem erexit, ad coelique, quasi cognationis domiciliique pristini, conspectum excitavit." Plura in eamdem sententiam, et praeclara, *idem de N. D.* II. 56.: notissima autem sunt illa *Ovidii*, *Metam.* I. 84—6., "Pronaque quum spectent animalia cetera terram, Os homini sublime dedit, coelumque tueri Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus." Ceterum videtur Sallustius locum illum Platonis respexisse, quem protulit *Longin. de Subl.* s. 13.

6. *Magis utimur.*] Plerumque.

7. *Et, quoniam—.*] Exegetice: intelligendum autem *rectum videtur*, per syllepsin; q. d., Quo mihi *rectum* videtur ingenii *potius*, quam virium, opibus gloriam quaerere, et—.

8. *Vita ipsa...brevis est.*] Vita *per se*, interpretor, vita *quidem*: scilicet vitae brevitati opponitur memoria apud posteros permansura, quae quasi altera vita est. Cortius autem, *integra vita, etiam longissima.*

9. *Memoriam nostri.*] *Cic. Phil.* ix. 5., "Vita enim mortuorum in memoria vivorum est posita."

10. *Habetur.*] Sese habet, est: sic Noster passim, ut infra c. 6., 37., 54., 58.; passim *Tacitus* quoque; vide *Rupert.* ad *Ann.* II. 58. 2.

11. *Magnum inter mortalis certamen.*] Harl. 4. *certamen magnum;* nonus autem delet *magnum.*

12. *Vine corporis, an virtute animi.*] Abest *animi* ab Harl. 3. et 15.; et vereor ne fuerit ab imperitis antithesin captantibus intrusum: quod vero *animi* alibi addidit Sallustius (infra c. 53.), eo facilius profecto librariis fuisset istud additamentum adsciscere.

13. *Procederet.*] Prospere cederet: sic infra c. 27., 32., et alibi.

14. *Nam et prius, quam incipias, consulto, et—.*] Demosth.

et ubi consulueris, mature facto opus est. Ita utrumque per se indigens, alterum alterius, auxilio eget.

II. Igitur initio reges (nam in terris nomen imperii id primum fuit) divorsi, pars ingenium, alii corpus exercebant: et jam tum vita hominum sine cupiditate agitabatur; sua cuique satis placebant. Postea vero quam Cyrus in Asia, in Graecia Lacedaemonii et Athenienses coepere urbis

---

Exord. 22., Δεῖ δὲ βουλεύεσθαι μὲν ἐφ' ἡσυχίας, ποιεῖν δὲ τὰ δόξαντα μετὰ σπουδῆς.

15. *Alterum alterius.*] *Horat. de A. P.* 410., "Alterius sic Altera poscit opem res." Harl. 14. *Ita utrumque, per se indigens, alterius auxilio eget:* eaque omnino adstrictior lectio est. *Cic. Tusc. Qu. II.* 5., "Ita est *utraque* res sine *altera* debilis." *Auct. ad Herenn.* III. 21., "Hoc modo naturae suppeditabit doctrina: nam *utraque, altera* separata, minus erit firma." Noster *Jug.* c. 18., "Dein *utrique, alteris* freti, finitumos armis aut metu sub imperium cogere." Verum tamen nil mutandum censeo, etsi exemplum consimile deest: resolves autem, *Ita utrumque per se indigens auxilio eget, alterum* scilicet (auxilio eget) *alterius;* nisi malis disjungere, *Ita utrumque per se indigens* (est); *alterum alterius auxilio eget.*

II. 1. *Divorsi.*] Diversas vias ingredientes, diversas rationes ineuntes.

2. *Et jam tum—.*] Tum quidem, tum vero, tunc temporis. *Virg. Aen.* VII. 643., "Quibus Itala *jam tum* Floruerit terra alma viris." et v. 736., "Patriis sed non et filius arvis Contentus, late *jam tum* ditione premebat Sarrastis populos." VIII. 349., "*Jam tum* religio pavidos terrebat agrestes Dira loci; *jam tum* sylvam saxumque tremebant." Infra c. 18. et. 19.

3. *Cyrus in Asia.*] Sic Harl. 16. et 21., Cortiani duo, Leidenses B., E., atque ed. Romana 1470; vulgo *in Asia Cyrus.* Animadvertenda autem concinnitas admodum Sallustiana, ut ex binis verbis (ut ita dicam) homologis, alterum in initio clausulae, alterum in fine; alterum in fine, alterum in initio, ponatur:— "Cyrus *in Asia, in Graecia* Lacedaemonii—." Sic infra c. 5., "Satis *eloquentiae, sapientiae* parum." et c. 9., "Concordia *maxuma, minuma* avaritia." et ibid., "Audacia *in bello, ubi pax evenerat,* aequitate." et c. 14., "Quos manus atque *lingua, perjurio* aut sanguine civili, alebat." et c. 15., "Citus *modo, modo* tardus, incessus." et c. 17., "Hortari *alios, alios* tentare." et c. 20., "Viget *aetas, animus* valet." et ibid., "Mala *res, spes* multo asperior." alibi passim.

atque nationes subigere, lubidinem dominandi causam belli habere, maxumam gloriam in maxumo imperio putare; tum demum periculo atque negotiis compertum est, plurimum ingenium posse. Quod si regum atque imperatorum animi virtus in pace ita, uti in bello, valeret, aequabilius atque constantius sese res humanae haberent; neque aliud alio ferri, neque mutari ac misceri omnia cerneres. Nam imperium facile his artibus retinetur, quibus initio partum est. Verum, ubi pro labore desidia, pro continentia et aequitate lubido atque superbia invasere, fortuna simul cum moribus immutatur. Ita imperium semper ad optumum quemque a minus bono transfertur. Quae homines arant, navigant,

---

4. *Lubidinem dominandi.*] *Virg. Aen.* VIII. 326., "Deterior donec paulatim, ac decolor aetas, Et belli rabies, et amor successit habendi."

5. *In maxumo imperio putare.*] Harl. 1. *pensare.* Cort. autem docet, Sallustio *putare* esse quasi *ponitare* a *ponere*: sic *putare ... in* —, infra c. 19. et 43., et *Jug.* c. 53.

6. *Periculo atque negotiis.*] Ἓν διὰ δυοῖν: *periculo* (experimento) *negotiorum.* Ejusdem figurae exempla infra c. 3. n. 10., c. 7. n. 4., c. 16. n. 6.: plura videat, qui volet, in libello nostro, *Doctrina Copularum L. L.*, c. I. n. 127., c. II. n. 139., c. III. n. 73.

7. *Compertum est, plurimum ingenium posse.*] Sic Regius, item Basil. 2. apud Cortium, omisso *in bello;* quod supervacaneum supplementum est, si quidem declarat nunc Sallustius exitum istius certaminis, vine corporis, an virtute animi, res militaris magis procederet.

8. *Aequabilius atque constantius.*] *Tacit. Ann.* XV. 21., "Quae si arceantur, *aequabilius atque constantius* provinciae regentur."—Mox Harl. 10. et 23., *humanae res;* 14., autem delet *humanae.*

9. *Misceri omnia.*] Infra c. 10., "Saevire fortuna, ac *miscere omnia*, coepit." Conf. *Tacit. Hist.* I. 53., II. 23., III. 73., IV. 49., V. 22.

10. *Ad optumum quemque a minus bono.*] Sc. *quoque;* Harl. 14. autem *a minus bonis.*

11. *Quae homines arant*, etc.] Agricultura, navigatio, aedificatio, ingenii fructus habendi sunt. Hoc Sallustius voluit quidem significare; scripsit autem, ut scripsit nemo: citat tamen Cortius illud

aedificant, virtuti omnia parent. Sed multi mortales, dediti ventri atque somno, indocti incultique, vitam, sicuti peregrinantes, transegere; quibus, profecto contra naturam, corpus voluptati, anima oneri fuit. Eorum ego vitam mortemque juxta aestumo, quoniam de utraque siletur. Verum enim vero is demum mihi vivere atque frui anima videtur, qui, aliquo negotio intentus, praeclari facinoris, aut artis bonae famam quaerit. Sed, in magna copia rerum, aliud alii natura iter ostendit.

III. Pulchrum est bene facere reipublicae: etiam bene dicere haud absurdum est. Vel pace vel bello clarum fieri licet: et qui fecere, et qui facta aliorum scripsere, multi laudantur. Ac mihi quidem, tamen etsi haudquaquam par

---

Horatii, Od. III. 16. 26., "*Quidquid arat* impiger Appulus." quam apte, non fere video.

12. *Virtuti omnia parent.*] Huc respexit Satyricus ille, ludibundus: —"Omnis enim res, Virtus, fama, decus, divina humanaque, pulchris Divitiis parent." (*Hor. Serm.* II. 3. 94-6.)

13. *Dediti ventri atque somno.*] *Tacit. Germ.* 15., "Plus per otium transigunt, *dediti somno ciboque.*"

14. *Sicuti peregrinantes.*] Quasi humana omnia a se aliena putantes, ad munera vitae exsequenda numquam accincti. Scholiast. Harl. 4., *Quia sicut peregrinantes transeunt de loco ad locum, non inquirentes quibus moribus homines vivant, nihil faciunt, unde nomen acquirant; et post discessum eorum nulla est fama: sic isti, dum vivunt, nihil fecere, ut post essent in memoria.*—Mox Harl. 13., *voluptati corpus, anima oneri:* vide not. 3. supra.

15. *Juxta aestumo.*] Scilicet, utramque nihili. Sic infra c. 37., "Quo minus mirandum, homines egentis, malis moribus, maxuma spe, reipublicae *juxta* ac sibi consuluisse,"—hoc est, quum sibi, tum etiam reipublicae, *male* consuluisse. Et c. 61., "Ita cuncti suae hostiumque vitae *juxta* pepercerant." sc. *minime.*

16. *De utraque.*] Harl. 4. et Burn., item Leidensis L., *utroque*, non male: infra c. 5., "*Inopia* rei familiaris, et *conscientia* scelerum; *quae utraque* (quorum utrumque) —." *Siletur*: vide not. 4. ad c. 1. supra.

17 *Vivere.*] Κατ' ἐξοχήν.

gloria sequitur scriptorem, et auctorem, rerum; tamen in primis arduum videtur res gestas scribere: primum, quod facta dictis sunt exaequanda: dehinc, quia plerique, quae delicta reprehenderis, malevolentia et invidia putant: ubi de magna virtute atque gloria bonorum memores, quae sibi quisque facilia factu putat, aequo animo accipit; supra ea, veluti ficta, pro falsis ducit. Sed ego adolescentulus initio, sicuti plerique, studio ad rempublicam latus sum; ibique mihi advorsa multa fuere. Nam, pro pudore, pro abstinentia, pro virtute, audacia, largitio, avaritia vigebant. Quae tametsi animus aspernabatur, insolens malarum artium; tamen, inter tanta vitia, imbecilla aetas ambitione corrupta tenebatur: ac me, quum ab reliquorum malis mo-

---

III. 1. *Sequitur.*] Sic Harl. 22., Cortiani tres, Leidens. L. optimus, atque ed. Ascensiana; vulgo *sequatur*, perperam.

2. *Facta dictis sunt exaequanda.*] *Liv.* VI. 20., "Quum ea quoque, quae bello gesta essent, pro fastigio rerum oratione etiam magnifica, *facta dictis aequando*, memorasset; (dicitur) nudasse pectus, etc."

3. *Malevolentia et invidia putant.*] Sc. *reprehendisse;* et recte Cort. ejecit vulgatum *dicta.*—Mox ed. Cortiana *et gloria*, librarii lapsu.

4. *Aequo animo accipit.*] Facile, lubentur, credit.

5. *Supra ea.*] Quaecumque memoraveris supra ea, quae sibi quisque facilia factu putat. Ceterum expressit Noster *Thucyd.* II. 35., quem lege.

6. *Sed ego adolescentulus*, etc.] Sic Pseudo-Sallustius *de Rep. Ord.* II. 1., "Sed mihi studium fuit adolescentulo rempublicam capessere, etc." *Studio* autem, cupiditate, ut III. *Hist.* Ep. Pompeii, "Equidem fateor, me ad hoc bellum majore *studio*, quam consilio, profectum."

7. *Imbecilla aetas.*] Eleganter: i. e., propter imbecillam aetatem ambitione corruptus tenebar: sic *Jug.* c. 63., "Ubi primum *aetas* militiae patiens fuit." adde *Rupert.* ad *Tacit Ann.* I. 46. 3.

8. *Corrupta tenebatur.*] Lubenter conjecerim *correpta*, quod cum *tenebatur* sit magis consentaneum: *Virg. Georg.* IV. 405., "Correptum manibus vinc'lisque *tenebis.*" Quasi dixisset Sallustius, se, utpote adolescentulum, ambitione semel correptum constrictumque vincula ejus rumpere nequisse. *Jug.* c.

ribus dissentirem, nihilo minus honoris cupido, eademque, quae ceteros, fama atque invidia vexabat.

IV. Igitur, ubi animus ex multis miseriis atque periculis requievit, et mihi reliquam aetatem a republica procul habendam decrevi, non fuit consilium, secordia atque desidia bonum otium conterere; neque vero, agrum colendo aut venando, servilibus officiis intentum, aetatem agere: sed, a quo incepto studio ambitio mala detinuerat, eodem regressus, statui res gestas populi Romani carptim, ut quaeque memoria digna videbantur, perscribere; eo magis, quod mihi a spe, metu, partibus reipublicae, animus liber erat.

24., "Armis *obsessus teneor*." *Liv.* XXII. 44., *constrictum teneri*.

9. *Eademque, quae ceteros,—*.] Ita legendum conjecit Cortius, quum in scriptis aliquot reperisset *eademque ceteros fama;* vulgo *eadem, q. c., f.—*, sine copula, quam insequens pronomen absorpsit. At Harl. 11. *eademque fama, q. c., atque—*: scilicet ipsam illam lectionem in exemplari viderat librarius, sed voluit homo constructionem expedire. Gronovius autem sextum casum malebat: *honoris cupido eâdem, quâ ceteros, famâ atque invidiâ vexabat;* idque receperunt nonnulli. Quid si *eademque ceteris?* ut nimirum Graecismus sit: vide not. 8. ad c. 20. infra.

10. *Fama atque invidia.*] H. e., invidiosa fama; sc. Ἐν διὰ δυοῖν. *Justin.* XII. 6., "Reputabat,.... quantum apud devictas gentes *fabularum atque invidiae* fecerit;" prorsus ut Sallustius: quantum malignorum sermonum et rumorum. Fama atque invidia vexatur, qui est in invidia, seu odio publico, et discerpitur sermonibus hominum. Haec *Gronovius*.

IV. 1. *Aetatem.....habendam.*] Agendam: sic infra c. 51., "Qui demissi in obscuro vitam *habent;*" et *Jug.* c. 85., "Ubi adolescentiam *habuere*, ibi senectutem agant."

2. *Servilibus officiis.*] Recte Scholiast. Harl. 4., *Quae sunt officia corporis:* supra c. 1., "Animi imperio, *corporis servitio*, magis utimur."

3. *Ambitio mala detinuerat.*] Sic Harl. 4., Leidenses D., E., atque ed. Parisiensis 1470., omisso pronomine *me*, eleganter, ut infra c. 7., "Ni ea res longius ab incepto *traheret*."

4. *Memoria digna.*] Ed. Romana 1470, *memoria* omisso, *uti quaeque digna videbantur*, sc. quae perscriberetur.

Igitur de Catilinae conjuratione, quam verissume potero, paucis absolvam: nam id facinus in primis ego memorabile existumo, sceleris atque periculi novitate. De cujus moribus pauca prius explananda sunt, quam initium narrandi facio.

V. Lucius Catilina, nobili genere natus, magna vi et animi et corporis, sed ingenio malo pravoque. Huic, ab adolescentia, bella intestina, caedes, rapinae, discordia civilis, grata fuere; ibique juventutem suam exercuit. Corpus patiens inediae, vigiliae, algoris, supra quam cuique credibile est: animus audax, subdolus, varius, cujus rei libet

---

5. *Igitur de Catilinae conjuratione—.*] Harl. 10. *Igitur C. de conj.*, ut *Jug.* c. 61. *Massivae de nece.* Ed. Ven. et Mediol. *De Catilinae igitur conjuratione.*

6. *De cujus moribus—.*] Ita Harl. 3. optimus et 18., Leidens. H., ed. Aldina I., et Gryphiana, omisso *hominis;* quod ex margine irrepsisse significat etiam Harl. 12., qui habet post *moribus* locatum. Atque istud *hominis* frustra ab Rivio denuo intrusum, recte judicavit doctiss. *Wopkens. Lect. Tull.* l. II. c. 13., qui ibidem pronominis usum pluribus illustravit. Et, quam jejuni critici erat, ista ratione cavere, ne quis relativum ad proxime superius nomen referret, quasi non index rei, *moribus*, continuo sequeretur! Cortius tamen Riviano judiciolo tacitus adquiescit.

7. *Quam initium narrandi facio.*] Cod. unicum, sed qui unus instar omnium est, Harl. 3., sequutus sum; atque ita Sallustium scripsisse, jam olim conjecit Ciacconius: vulgo *faciam.* Sic Noster *Jug.* c. 5., " Sed *prius, quam* hujuscemodi rei initium *expedio*, pauca supra repetam." Item *Cic. Phil.* II. 1., " Cui *prius, quam* de ceteris rebus *respondeo*, de amicitia, quam a me violatam esse criminatus est,... pauca dicam." idemque alibi saepe.

V. 1. *Nobili genere.*] Sc. Sergiorum.

2. *Ibique.*] In iisque.

3. *Corpus patiens—.*] *Virg. Aen.* IX. 607., *Patiens* operum parvoque adsueta juventus." *Tacit. Ann.* IV. 1., " Corpus illi laborum tolerans, animus audax."

4. *Supra quam cuique credibile est.*] H. e., supra quam *omnibus.* Verbum substantivum autem, Harl. 10. abjecit: 11. *credibile esset.*

simulator ac dissimulator: alieni appetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus: satis eloquentiae, sapientiae parum. Vastus animus immoderata, incredibilia, nimis alta, semper cupiebat. Hunc, post dominationem Lucii Sullae, lubido maxuma invaserat reipublicae capiundae; neque, id quibus modis adsequeretur, dum sibi regnum pararet, quidquam pensi habebat. Agitabatur magis magisque in dies animus

---

5. *Animus...simulator ac dissimulator.*] Aptus paratusque ad quidlibet vel simulandum vel dissimulandum: sc. nomina verbalia pro adjectivis. Sic *Jug.* c. 63., "*Animus*...lubidinis et divitiarum *victor.*" et c. 64., "Cui...inerat *contemtor animus* et superbia, commune nobilitatis malum." *Liv.* XXVII. 18., "Levis et *concursator* hostis," et XXXI. 35., Pedes *concursator* et vagus."

6. *Satis eloquentiae, sapientiae parum.*] Vulgo *loquentiae;* quomodo memorat *Gellius* I. 15., Valerium Probum, grammaticum illustrem, brevi antequam vita decederet, legere coepisse, quod scilicet *loquentia* novatori verborum Sallustio maxime congrueret, *eloquentia* cum insipientia minime conveniret: et ita Harl. 9.; ineptissime, nec me judicium moribundi Valerii terret. Primum enim non tam novator verborum Sallustius, quam renovator; gaudetque magis in priscis revocandis, quam in novis excudendis. Deinde M. Tullius in praefatione librorum *de Inventione Rhetorica*, non modo profitetur, eloquentiam a sapientia sejunctam exsistere posse, sed docet, civitatibus quantopere nocere soleat eloquentia, si quando a sapientia sejuncta exsistat:—"Ac me quidem diu cogitantem, ratio ipsa in hanc potissimum sententiam ducit, ut existimem, sapientiam sine eloquentia parum prodesse civitatibus, eloquentiam vero sine sapientia nimium obesse plerumque, prodesse numquam." Quid igitur magis consentaneum, quam Catilinae, ad libertatem patriae exstinguendam grassanti, satis—atque adeo nimium—eloquentiae fuisse, sapientiae parum?

7. *Reipublicae capiundae.*] *Cic. pro Domo* 10., "Oppressa *capta*que republica." *Auct. de Rep. Ord.* I. 4., "Neque receptam, sed *captam* a te rempublicam." Vide not. 7. ad c. 11. infra.

8. *Quidquam pensi habebat.*] Pro *quidquam pensum habebat*, h. e., perpendebat: vide not. 8. ad c. 23. infra.

ferox inopia rei familiaris, et conscientia scelerum; quae utraque his artibus auxerat, quas supra memoravi. Incitabant praeterea corrupti civitatis mores, quos pessuma ac divorsa inter se mala, luxuria atque avaritia, vexabant. Res ipsa hortari videtur, quoniam de moribus civitatis tempus

---

9. *Quae utraque*—.] Inopiam et conscientiam: sic infra c. 31., "Ex summa *laetitia* atque *lascivia*, *quae* diuturna quies pepererat." Vide not. 4. ad c. 20. infra. *Quae utraque* autem pro *quorum utrumque:* infra c. 30., *ii utrique.*

10. *Corrupti civitatis mores, quos*—.] Mores scilicet, frustra enim Cortius respiciendum docet *civitatis.*

11. *Pessuma ac divorsa inter se mala.*] Intellige *diversa maxime*, diversissima. Ita saepe vis superlativi cum vicino positivo quasi communicanda est: infra c. 14., "Ii Catilinae *proxumi familiaresque* erant," i. e., familiaresque maxime: et c. 51., "Hi primo coepere *pessumum* quemque, et omnibus *invisum*, indemnatum necare." *Jug.* c. 103., "Quorum et fides *cognita*, et ingenia *validissuma* erant," i. e., cognita maxime. *Tacit. Ann.* I. 48., "Illi...statuunt tempus, quo *foedissimum* quemque, et seditioni *promtum*, ferro invadant." *Ibid.* VI. 8., "Ut quisque Sejano *intimus*, ita ad Caesaris amicitiam *validus*." *Idem Germ.* c. 29., "*Levissimus* quisque Gallorum, et inopia *audax*, dubiae possessionis solum occupavere." Similiterque potest comparativum adnexo positivo vim adverbii *magis* commodare. Noster *Jug.* c. 89., "*Majora* et *aspera* adgredi tempus visum." *Tacit. Ann.* I. 68., "*Atrociora* Inguiomero et *laeta* barbaris (suadente)." *Idem Germ.* c. 32., "Excipit (equos) filius, non, ut cetera, maximus natu, sed prout *ferox* bello et *melior*." *Liv.* I. 25., "Romani ovantes ac gratulantes Horatium accipiunt; eo *majore* cum gaudio, quo *prope* metum res fuerat." Ubi *Gronovius:* Divide *majore* in *magis magno*, ut subaudire *magis* ad *prope* possis. Ut apud Senecam de Constant. Sap. c. 11., "Ut quisque *contemtissimus* et *ludibrio* est, ita solutissimae linguae est." ubi vis praecedentis tertiae collationis prorogatur ad proximum *ludibrio:* ut perinde sit, ac si dixisset, *ut quisque maxime contemtus et ludibrio est.* Tacitus Ann. VI. 45., "Tanto *acceptius* in vulgum, quanto *modicus* privatis aedificationibus." id est, tanto magis acceptum, quanto ille modicus. Haec et plura vir ille doctissimus. Alia ibidem Drakenborchius.

admonuit, supra repetere, ac paucis instituta majorum domi militiaeque, quomodo rempublicam habuerint, quantamque reliquerint, ut, paulatim immutata, ex pulcherruma pessuma ac flagitiosissuma facta sit, disserere.

VI. Urbem Romam, sicuti ego accepi, condidere atque habuere initio Trojani, qui, Aenea duce, profugi, sedibus incertis vagabantur; cumque his Aborigines, genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum. Hi postquam in una moenia convenere, dispari genere, dissimili lingua, alius alio more viventes, incredibile memoratu est, quam facile coaluerint. Sed, postquam res eorum, civibus, moribus, agris aucta, satis prospera satisque pollens videbatur, sicuti pleraque mortalium habentur, in-

---

12. *Habuerint.*] Gesserint, administraverint. Conf. *Tacit. Ann.* IV. 6.

13. *Ut... facta sit.*] *Cic. in Pis.* 2., " Omitto, *ut* sit factus uterque nostrum," sc. consul. Exempla satis obvia sunt: ceterum, quemadmodum hic post *quomodo* Sallustius, sic post *quo pacto*, particulam *ut* adhibuit *Horatius*, *Serm.* I. 8. 42. et *Epist.* II. 1. 172.

VI. 1. *Sicuti ego accepi.*] Didici, intellexi: sic *Jug.* c. 9., " Ubi, quae fama *acceperat*, ex literis imperatoris ita esse cognovit," et alibi saepe. Auctorem autem sequutus est Catonem, ut docet *Serv.* ad *Virg. Aen.* I. 6.

2. *Habuere.*] Sic *Jug.* c. 18., " Africam initio *habuere* Gaetuli," adde ibid. c. 17. Loquutio a Graecis accepta: notissimum est illud Homericum *οὔτ' εἶχον*, et Homerice omnino *Livius* XXXII. 14., " Dedidere deinceps sese, qui Argenta, quique Pherinum, et Thimarum, et Lisinas, et Stimonem, et Lampsum, *habent.*"

3. *Genus hominum agreste*, etc.] *Cic. pro Sext.* c. 42., " Homines, nondum neque naturali neque civili jure descripto, fusi per agros ac disspersi." *Virg. Aen.* VIII. 316., " Quis neque mos neque cultus erat." Conf. *Jug.* c. 18.

4. *Liberum atque solutum.*] Scilicet, *liberum* ab imperio, *solutum* a legibus: vide not. 3. ad c. 2. supra.

5. *Res eorum.*] *Jug.* c. 18., " Sed *res* Persarum brevi adolevit." Liv. *res Trojana*, *Latina*, *Albana*, *Romana*, etc.

6. *Sicuti pleraque mortalium*

vidia ex opulentia orta est. Igitur reges populique finitumi bello tentare: pauci ex amicis auxilio esse; nam ceteri, metu percussi, a periculis aberant. At Romani, domi militiaeque intenti, festinare, parare, alius alium hortari; hostibus obviam ire; libertatem, patriam, parentesque armis tegere; post, ubi pericula virtute propulerant, sociis atque amicis auxilia portabant; magisque dandis, quam accipiundis, beneficiis amicitias parabant. Imperium legitimum, nomen imperii regium habebant: delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia validum, reipublicae consultabant: hi, vel aetate vel curae similitudine, PATRES adpellabantur. Post, ubi regium imperium, quod initio conservandae libertatis atque augendae reipublicae fuerat, in superbiam dominationemque convortit; immutato more,

---

habentur.] Sicuti plerumque res humanae sese habent; ut fit: vide not. 10. ad c. 1. supra.

7. *Tentare.*] Pro *tentabant*, more historico; et sic in narratione passim.

8. *Armis tegere.*] Infra c. 58., " Neque locus neque amicus quisquam *teget*, quem arma non *texerint*," et ibid., " Arma, quis corpus *tegitur*." Adde *Jug.* c. 87. et 97.

9. *Quod initio conservandae libertatis ... fuerat.*] Hoc est, quod initio ad conservandam libertatem atque augendam rempublicam spectaverat, pertinuerat, fecerat. Sic *Jug.* c. 88., " Quae postquam gloriosa modo, neque *belli patrandi*, cognovit, statuit—." adde infra c. 46. *Liv.* III. 24., " Frustrationem eam *legis tollendae esse*." *Ib.* 31., " Qui utrisque utilia ferrent, quaeque *aequandae libertatis essent*." *Ib.* 39., " Quod unum *exaequandae sit libertatis*." *Idem* V. 3., " Quid illos aliud... timuisse creditis... nisi concordiam ordinum, quam *dissolvendae* maxime *tribunitiae potestatis* rentur *esse?*" *Ib.* 6., " Adeo, quidquid tribunus plebi loquitur, etsi *prodendae patriae dissolvendaeque reipublicae est*, assuestis aequi audire." Alibi passim, ut XXVII. 9., XXXIV. 54., XXXVIII. 50., XL. 29.

10. *Convortit.*] Sc. *se*: sic absolute infra c. 52., " Nae ista vobis mansuetudo... in miseriam *vortet*." et *Jug.* c. 85., " Mihi... benefacere jam ex consuetudine in naturam *vortit*." et *Cic. Brut.* c. 38.,

annua imperia binosque imperatores sibi fecere: eo modo minume posse putabant per licentiam insolescere animum humanum.

VII. Sed ea tempestate coepere se quisque extollere, magisque ingenium in promtu habere. Nam regibus boni, quam mali, suspectiores sunt, semperque his aliena virtus formidolosa est. Sed civitas, incredibile memoratu est, adepta libertate, quantum brevi creverit; tanta cupido gloriae incesserat. Jam primum juventus, simul laboris ac belli patiens erat, in castris per usum militiam discebat: magisque in decoris armis et militaribus equis, quam in scortis atque conviviis, lubidinem habebant. Igitur talibus viris non labos insolitus, non locus ullus asper aut arduus

---

"Sed hoc vitium huic uni in bonum *convertebat.*"

VII. 1. *Magisque ingenium in promtu habere.*] Hoc est, apertiusque ingenii vires simul fructusque ostendere. Atque hic lubet adscribere verba luculenta *Longini de Subl.* sect. 44. *Οὕτως ἅπασαν δουλείαν, κἂν ᾖ δικαιοτάτη, ψυχῆς γλωττόκομον καὶ κοινὸν δή τις ἀποφηναιτο δεσμωτήριον.*

2. *Incesserat.*] Quasi intransitive; sc. *homines:* et sic saepe.

3. *Jam primum—.*] Habent hae particulae vim quamdam inchoativam, quam interpretatur Ascensius, *ut hoc primum dicam:* alterum exemplum infra est c. 15.; adde *Tacit. Ann.* IV. 6., ubi Freinsh., *ut hinc exordiar.*

4. *Simul laboris ac belli patiens erat.*] Simul ac —. *Cic. Acad.* IV. 27., "*Simul* inflavit tibicen, a perito carmen agnoscitur." *Idem Tusc.* IV. 6., "*Simul* objecta species cujuspiam est, quod bonum videatur, ad id adipiscendum impellit ipsa natura." Sic *Livius* passim: IV. 5., V. 25., 38., VI. 7., 19., 24., IX. 25., 26., 40., X. 17., 28., 34., 35., etc. *Laboris ac belli:* ἐν διὰ δυοῖν, laboris bellici; vide not. 6. ad c. 2. supra. Atque ita locum constituit Cortius, adeoque strenue emendationem suam in excursu defendit, vix ut queas obniti: vulgo *simul ac b. p. e., in castris per laborem usu m. d.*

5. *Decoris armis.*] Harl. 11. *decoribus,* quod Sallustium hic quoque scripsisse, sicut in fragmento apud *Priscian.*, l. VI., jam suspicatus est Ciacconius.

6. *Juventus ... discebat ... habebant.*] Ita solet Sallustius nomini collectivo bina verba, alterum sin-

erat, non armatus hostis formidolosus: virtus omnia domuerat. Sed gloriae maxumum certamen inter ipsos erat: sese quisque hostem ferire, murum adscendere, conspici dum tale facinus faceret, properabat: eas divitias, eam bonam famam magnamque nobilitatem putabant: laudis avidi,

---

gularis numeri, alterum pluralis adstruere: infra c. 23., *Nobilitas... aestuabat... credebant.* et *Jug.* c. 42. *Nobilitas... obviam ierat... necaverant.*

7. *Gloriae maxumum certamen.*] Haec in bonam partem: nam longe aliter *Jug.* c. 41., " Ante Carthaginem deletam... neque *gloriae* neque dominationis certamen inter civis erat: metus hostilis in bonis artibus civitatem retinebat."

8. *Sese quisque hostem ferire... properabat.*] Similis Latinitas est, atque illius c. 1., " Qui *sese* student *praestare*—."

9. *Eas divitias, eam bonam famam* —.] Per attractionem quamdam, pro *ea* —, *ea*—. Sic infra c. 20., " Nam idem velle atque nolle, *ea* demum firma amicitia est. " et c. 58., " In fuga salutem sperare, *ea* vero dementia est. " et *Jug.* c. 31., " Sed *haec* inter bonos amicitia est, inter malos factio." et c. 85., " *Hae* sunt meae imagines, *haec* nobilitas." *Liv.* II. 44., " *Id* unum venenum, *eam* labem civitatibus opulentis repertam." IX. 26., " Calavios, Ovium, Noviumque, (*ea* capita conjurationis fuerant)... mors...judicio subtraxit." XXIII. 28., " Rati, si Hannibali...Hasdrubal...esset junctus, *illum* Romani finem imperii fore." XXVI. 28., " Exercitus eis duo decreti, qui in Etruria, Galliaque essent (*eae* quatuor erant legiones)." XXVIII. 10., " Exercitus ita divisi:... *eae* binae legiones erant." XXXIX. 13., " Nihil nefas ducere, *hanc* summam inter eos religionem esse." *Tacit. Germ.* c. 5., " Numero (armentorum) gaudent; *eae*que solae et gratissimae opes sunt." et c. 13., " Tum in ipso concilio...scuto frameaque juvenem ornant: *haec* apud illos toga, *hic* primus juventae honos." et ibid., paucis interjectis, " *Haec* dignitas, *hae* vires, magno semper electorum juvenum globo circumdari. " et post paulo, " *Id* nomen, *ea* gloria est, si numero ac virtute comitatus emineat." adde c. 18. *Idem Agric.* c. 46., " Admiratione te potius...et...similitudine decoremus: *is* verus honos, *ea* conjunctissimi cujusque pietas." *Virg. Aen.* VI. 128., " Sed revocare gradum,...*Hoc* opus, *hic* labor est." Quae larga manu haud pigebit congessisse; dum ita possit lector, talium rerum studiosus, elegantiam notabilem in primis perspectam habere.

pecuniae liberales, gloriam ingentem, divitias honestas volebant. Memorare possem, quibus in locis maxumas hostium copias populus Romanus parva manu fuderit, quas urbis, natura munitas, pugnando ceperit, ni ea res longius ab incepto traheret.

VIII. Sed profecto Fortuna in omni re dominatur: ea res cunctas ex lubidine, quam ex vero, celebrat obscuratque. Atheniensium res gestae, sicuti ego aestumo, satis

---

10. *Pecuniae liberales, gloriam —.*] Sic Harl. 3.; vulgo *p. liberales erant: gloriam —.* Illa autem, *laudis avidi, pecuniae liberales*, sunt quasi αἰτιολογικῶς praemissa: sic infra c. 11., "*Semper infinita, insatiabilis*, neque copia neque inopia minuitur." et c. 43., "*Natura ferox, vehemens, manu promtus*, maxumum bonum in celeritate putabat." ubi Cortium, qui sine codice ullo auctore verbum substantivum ejecerit, recte atque ordine fecisse, idem ille Harl. 3. probat. c. 54., "Negotiis amicorum *intentus*, sua neglegere." *Jug.* c. 18., "*Vagi, palantes*, qua nox coëgerat, sedes habebant." Adde not. 3. ad *Jug.* c. 9.

11. *Divitias honestas.*] Quantae ad honeste vivendum sufficerent. *Jug.* c. 14., "Omnium *honestarum* rerum egens."

12. *Pugnando ceperit.*] Jug. c. 28., "Urbis aliquot *pugnando capit.*" h. e., vi atque virtute.

VIII. 1. *Ex lubidine, quam ex vero.*] Adverbium *magis* cum Grutero et Wassio omisi, et suffragantibus, ut videtur, scriptis nonnullis apud Havercampum. Est autem ellipsis et optimis historicis usitata, et Sallustiana in primis: infra c. 9., "Beneficiis, *quam* metu, imperium agitabant." 20., "Nisi forte...vos servire, *quam* imperare, parati estis." 48., "In tali tempore tanta vis hominis leniunda, *quam* exagitanda, videbatur." 52., "Res autem monet cavere ab illis, *quam* quid in illis statuamus, consultare." Quibus locis primus Cortius τὸ *magis* delevit. Tantumdem ipse ausus sum infra c. 51., "Ne quis divitiarum, *quam* injuriae, causa bellum inceptum diceret." item *Jug.* c. 31., "Nisi forte nondum etiam dominationis eorum satietas tenet, et illa, *quam* haec tempora, placent, quum—." et c. 111., "Faciundum aliquid, quod illorum, *quam* sua, retulisse videretur." Sic *Liv.* III. 40. et 68., XXIII. 43., et *Tacit. Ann.* I. 58., III. 17. et 32., IV. 61., V. 6., XI. 25., *Hist.* IV. 83., *Germ.* 6. Male autem vulgo huc revocant illud *Terentii, Eun.* prol., "Qui placere se studeat bonis quam plurimis:" vide *Perizon.* ad *Sanctii Minerv.* IV. 7. 4. Similiter reticeri solet ad-

amplae magnificaeque fuere, verum aliquanto minores tamen, quam fama feruntur. Sed, quia provenere ibi scriptorum magna ingenia, per terrarum orbem Atheniensium facta pro maxumis celebrantur. Ita eorum, qui fecere, virtus tanta habetur, quantum verbis eam potuere extollere praeclara ingenia. At populo Romano numquam ea copia fuit: quia prudentissumus quisque negotiosus maxume erat; ingenium nemo sine corpore exercebat; optumus quisque facere, quam dicere, sua ab aliis benefacta laudari, quam ipse aliorum, malebat.

IX. Igitur domi militiaeque boni mores colebantur; concordia maxuma, minuma avaritia erat; jus bonumque apud eos non legibus magis, quam natura, valebat. Jurgia, discordias, simultates, cum hostibus exercebant; cives cum civibus de virtute certabant: in suppliciis deorum magnifici, domi parci, in amicis fideles erant. Duabus his ar-

---

verbium μᾶλλον apud Graecos: vide *L. Bos Ell. Gr.* n. 481.

2. *Verum aliquanto minores tamen,—.*] Harl. 2., 3., 4., 6., 15., 16., 18., 22., Burn., Regius, omittunt *tamen:* et vero, quum illud "*satis*" sit tam frigide laudantis, nihil opus est *tamen;* neque Aldina I. agnoscit, et sola locatio videtur paululum tutari.

3. *Provenere.*] Floruere.

4. *Ea copia.*] Sc. scriptorum.

5. *Negotiosus maxume.*] Rebus gerendis maxime adstrictus.

6. *Ingenium nemo sine corpore exercebat.*] Illud autem Sallustium fugisse videtur, Athenis exstitisse nonnullos, qui possent utrumque pulchre exercere, resque egregie et gerere et scribere gestas; e. g., Xenophontem.

7. *Quam ipse aliorum.*] Sc. *benefacta laudare.* Ita lego cum Harl. 23.: addunt autem vulgo, quod frigidum nimis, *narrare.* Contra Harl. 12. in priore membro omisit *laudari*, male.

IX. 1. *Non legibus.*] *Virg. Aen.* VII. 203., "Saturni gentem, haud vinc'lo nec legibus aequam." *Tacit. Germ.* 19., "Plus ibi boni mores valent, quam alibi bonae leges." *Justin.* II. 2., de Scythis, "Justitia gentis ingeniis culta, non legibus."

2. *In amicis fideles.*] Sic Cort. ex duobus, sic Harl. 4., 6. a manu prima, 11., 18., et Burn.: vulgo *in*

tibus, audacia in bello, ubi pax evenerat, aequitate, seque remque publicam curabant. Quarum rerum ego maxuma documenta haec habeo; quod saepius vindicatum est in eos, qui contra imperium in hostem pugnaverant, quique tardius, revocati, bello excesserant, quam qui signa relinquere, aut, pulsi, loco cedere ausi erant; in pace vero, quod beneficiis, quam metu, imperium agitabant, et, accepta injuria, ignoscere quam persequi malebant.

X. Sed, ubi labore atque justitia respublica crevit, reges magni bello domiti, nationes ferae et populi ingentes vi subacti, Carthago, aemula imperii Romani ab stirpe interiit, cuncta maria terraeque patebant; saevire Fortuna, ac miscere omnia, coepit. Qui labores, pericula, dubias atque asperas res facile toleraverant, iis otium, divitiae, optandae aliis, oneri miseriaeque fuere. Igitur primo

---

amicos. Infra c. 11., "Foeda crudeliaque *in civibus* facinora facere." et c. 51., "Quid *in illis* jure fieri posset." ubi plura: et c. 52., "Quid *in illis* statuamus." et ibid., "Misericordes *in furibus* aerarii." *Liv.* III. 17., "Ausurum se *in tribunis*, quod princeps familiae suae ausus *in regibus* esset." *Idem* V. 2., "Quod tribuni militum *in plebe Romana* regnum exercerent." VI. 22., Foedeque *in captis* exercuere victoriam." alibi saepe. *Virg. Aen.* II. 540., "At non ille... Achilles Talis *in hoste* fuit Priamo."

3. *Documenta haec habeo.*] Harl. 2. et 5. *haec d. h.*; duodecimus autem pronomen omisit.

4. *Bello excesserant.*] Pro *proelio*, quod ante Cort. etiam legebatur; sic *bellum committere* apud *Varr. de L. L.* VI. 3.; *ciere* apud *Justin.* II. 12.

5. *Beneficiis, quam metu.*] Vide not. 1. ad c. 8. supra.

6. *Accepta injuria.*] Ed. Gryph. *acceptam injuriam;* ex Ciceronis, credo, orat. *pro Mur.* c. 21., "Quid ergo? *acceptam injuriam* persequi non placet?"

X. 1. *Patebant.*] Infra c. 36., "Quum ad occasum ab ortu solis omnia domita armis *paterent.*"— *Miscere omnia:* vide not. 9. ad c. 2. supra.

2. *Optandae aliis.*] Optabiles. *Jug.* c. 64, "Cui quamquam virtus, gloria, atque alia *optanda* bonis, superabant."

pecuniae, deinde imperii, cupido crevit: ea quasi materies omnium malorum fuere. Namque avaritia fidem, probitatem, ceterasque artis bonas, subvortit; pro his, superbiam, crudelitatem, deos neglegere, omnia venalia habere, edocuit: ambitio multos mortalis falsos fieri subegit; aliud clausum in pectore, aliud in lingua promtum, habere; amicitias inimicitiasque non ex re, sed ex commodo, aestumare; magisque voltum, quam ingenium bonum habere. Haec primo paulatim crescere, interdum vindicari: post, ubi contagio, quasi pestilentia, invasit, civitas immutata; imperium, ex justissumo atque optumo, crudele intolerandumque factum.

XI. Sed primo magis ambitio, quam avaritia, animos hominum exercebat: quod tamen vitium propius virtutem erat. Nam gloriam, honorem, imperium, bonus, ignavus, aeque sibi exoptant: sed ille vera nititur via; huic quia

---

3. *Ea...fuere.*] Eae cupidines: vide not. 9. ad c. 5. supra.

4. *Crudelitatem, deos neglegere, ...edocuit.*] Vide not. 1. ad c. 16. infra.

5. *Amicitias inimicitiasque.*] Harl. 4. et 5. *amicitiasque*, omisso *inimicitias;* 22. autem copulam abjecit.

6. *Non ex re.*] Non ex ipsa natura utriusque rei. *Jug.* c. 78., "Quibus nomen ex *re* inditum." ubi plura.

XI. 1. *Propius virtutem.*] *Jug.* c. 49. *propior montem;* et ibid. *proxumum hostis.* Vide *Perizon.* ad *Sanctii Minerv.* I. 16. 5.

2. *Vera nititur via.*] Ita Harl. 23. verbum interponit.

3. *Huic quia bonae artes desunt.*] Attractionem quamdam diceres, pro *hic, quia* (ei) *b. a. desunt, dolis atque fallaciis contendit:* sic *Jug.* c. 85., "*Alii* si deliquere,... omnia haec praesidio *adsunt.*" pro *Aliis, si*—. et c. 93., "*Quorum* uti cujusque ingenium erat, ita rem difficilem aut facilem *nuntiavere.*" pro *qui, uti cujusque* (eorum)—. et c. 104. extr., "Ceterum, *Bocchum* quoniam poenitet, delicti *gratiam facit.*" ita nimirum emendandum; vulgo *Boccho, quoniam*—. Ac semel agnoscendus Sallustii mos est, qui passim amat integram rationem rei ipsi praemittere. *Jug.* c. 4., "*Cujus de virtute multi quia dixere,* prae-

bonae artes desunt, dolis atque fallaciis contendit. Avaritia pecuniae studium habet, quam nemo sapiens concupivit: ea quasi venenis malis imbuta, corpus animumque virilem effeminat: semper infinita, insatiabilis, neque copia neque inopia minuitur. Sed, postquam L. Sulla, armis recepta republica, bonis initiis malos eventus habuit, rapere omnes,

---

tereundum puto." 7., " *Quod erat Jugurtha manu promtus, et adpetens gloriae militaris*, statuit eum objectare periculis." 53., " *Quod Metellus amplius opinione morabatur*, instructi intentique obviam procedunt." Infra c. 15., 17. extr., 53.

4. *Pecuniae studium habet.*] Continet in se. *Cic. in Catil.* IV. 4., " *Habere* videtur ista res iniquitatem."

5. *Corpus animumque virilem effeminat.*] Corrumpit, emollit: dum enim opibus inhiant avari, humile aliquid quaerunt, et animus primo corrumpitur; dein, quia corpus non belli laboribus duratur, necessario vires et fortitudo elanguescit. *Cortius.*

6. *Neque copia neque* —.] Nimirum, " Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit." *Juv.* XIV. 138.

7. *Recepta republica.*] Liberata ab illis, qui captam tenebant: et sic proprie. *Liv.* XXVI. 32., " Cum tyrannis bellum gerendum fuisse,...et urbem *recipi*, non *capi*, (oportuisse)." *Idem* XXVII. 25., " Fateri se, opera Livii Tarentum receptum,...neque enim *recipiundum* fuisse, nisi *amissum* foret." Adde not. 7. ad c. 5. supra.

8. *Bonis initiis malos eventus.*] H. e., *bonorum initiorum* malos eventus: sic infra c. 40., " Requirere coepit, quem *exitum* tantis *malis* sperarent?" et ibid., " *Miseriis* suis *remedium* mortem exspectare." Nisi forte malis *bonis initiis* absolute positum intelligere, *quum initia bona fuissent*, quomodo passim *Tacitus;* ut *Hist.* I. 80., " *Parvo* interim *initio*, unde nihil timebatur, orta seditio prope urbi excidio fuit." II. 68., " Apud victores orta seditio, *ludicro initio*, nisi numerus caesorum invidiam bello auxisset." IV. 50., " Mox Oeensium Leptitanorumque discordias componit, quae, raptu frugum et pecorum inter agrestes, *modicis principiis*, jam per arma atque acies exercebantur." De qua re videas *Perizon.* ad *Sanctii Minerv.* IV. 4. 28. Porro operae pretium est videre, quomodo locum verterit scriptor Graecus *J. Antiochenus* apud *Fabric. Bibl. Lat.* I., 9., Καὶ Σαλλούστιος ὁ Ῥωμαῖος συγγραφεὺς ἔφη καλοῖς αὐτὸν (τὸν Σύλλαν) ἐγχειρήμασι κάκιστον ἐπενηνοχέναι τὸ τέλος.

9. *Malos eventus habuit.*] *Cic. de Div.* II. 9., " Quae enim vita fuisset Priamo, si ab adolescentia

trahere; domum alius, alius agros cupere; neque modum neque modestiam victores habere; foeda crudeliaque in civibus facinora facere. Huc accedebat, quod L. Sulla exercitum, quem in Asia ductaverat, quo sibi fidum faceret, contra morem majorum luxuriose nimisque liberaliter habuerat; loca amoena, voluptaria, facile in otio ferocis militum animos molliverant. Ibi primum insuevit exercitus populi Romani amare, potare; signa, tabulas pictas, vasa caelata mirari; ea privatim ac publice rapere; delubra spoliare; sacra profanaque omnia polluere. Igitur hi milites, postquam victoriam adepti sunt, nihil reliqui victis fecere. Quippe secundae res sapientium animos fatigant; ne illi, corruptis moribus, victoriae temperarent.

---

scisset, quos *eventus* senectutis esset *habitu-us?*" Coel. apud eumd. ad Fam. VIII. 4., " Mea porro comitia quem *eventum* sint *habitura*, nescio." Adde *Liv.* X. 8. extr.

10. *Rapere omnes, trahere.*] Sic *Jug.* c. 41., " Sibi quisque ducere, *trahere, rapere.*"

11. *Modum ... habere.*] *Cic. de Fin.* II. 9., " Ergo et avarus erit, sed finite; et adulter, verum *habebit modum;* et luxuriosus eodem modo."

12. *In civibus.*] Vide not. 2. ad c. 9. supra.

13. *Quem in Asia ductaverat.*] Cort. *in Asiam*, quod pro *intra Asiam* positum docet, quum longe aliud voluissent librarii, *ductaverat* scilicet pro *duxerat* construentes.

14. *Habuerat.*] Tractaverat: sic *Jug.* c. 64., " Milites...laxiore imperio, quam antea, *habere.*" Et *Liv.* XXXIX. 1., " Praecipue sub imperio Cn. Manlii (exercitus) solute ac negligenter *habiti* sunt."

15. *Ferocis militum animos.*] Veneta 1470. nude *feroces molliverant.*

16. *Amare, potare.*] *Jug.* c. 85., " Quin ergo, quod juvat,...id semper faciant; *ament, potent.*" Adde *Terent. Adel.* I. 1. 36.-7., 2. 37.-8.

17. *Ne illi, corruptis moribus, —.*] Tantum aberat ut illi, corruptis moribus, victoriae temperarent: sc. *ne* pro *nedum;* sic *Cic. ad Fam.* IX. 26., " Me vero nihil istorum, ne juvenem quidem, movit umquam: *ne* nunc senem." Et *Liv.* III. 52., " Novam inexpertamque eam potestatem eripuere patribus nostris: *ne* nunc, dulcedine semel capti, ferant desiderium." Et *Plaut. Amph.* I. 1. 174., " Vix incedo inanis: *ne* ire posse cum onere existumes." Adde *Terent. Andr.* IV. 2. 23., et *Cic. in Verr.* IV. 23.

18. *Victoriae temperarent.*] *Ta-*

XII. Postquam divitiae honori esse coepere, et eas gloria, imperium, potentia, sequebantur, hebescere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malevolentia duci coepit. Igitur, ex divitiis, juventutem luxuria atque avaritia cum superbia invasere: rapere, consumere; sua parvi pendere, aliena cupere; pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiscua, nihil pensi atque moderati habere. Operae pretium est, quum domos atque villas cognoveris in urbium modum exaedificatas, visere templa deorum, quae nostri majores, religiosissumi mortales, fecere. Verum illi delubra deorum pietate, domos suas gloria deco-

---

cit. Hist. III. 31., " Mox...subit recordatio, illos esse, qui nuper Bebriaci *victoriae temperassent.*" Ibid. IV. 1., " Duces partium, accendendo civili bello acres, *temperandae victoriae* impares."

XII. 1. *Sequebantur.*] Rescripsi ex Harl. 4., 6., 9., 12., 15., 19., et Regio; vulgo *sequebatur:* sic alibi Sallustius pluribus nominibus ἀσυνδέτοις verbum plurale subjunxit; ut supra c. 3., " Audacia, largitio, avaritia, *vigebant.*" Atque ita melius cumulus honorum indicatur. Elegans autem verbum *sequi:* Liv. IX. 40., " Omnia illa victoriam *sequi.*" *Ovid de Trist.* I. 5. 28., " Indelibatas cuncta *sequuntur* opes."

2. *Innocentia.*] Hic est ea virtus, *qua nemini* divitiarum causa *nocebant:* infra c. 54., " Cum *innocente* abstinentia certabat." Adde *Jug.* c. 46.—*Pro malevolentia:* h. e., qui divitias undique non trahebat, ille non virtutis amore abstinere censebatur, sed pro male animato in divites habebatur. Haec fere, inter alia multa, Cortius.

3. *Ex divitiis.*] *Jug.* c. 40., " Plebem *ex* secundis rebus insolentia ceperat."

4. *Pudorem, pudicitiam.*] Intellige ex sequentibus, *non pensam neque moderatam habere;* hoc est pudoris ac pudicitiae rationem habere nullam, neque iis parcere.

5. *Promiscua.*] Sine discrimine.

6. *Nihil pensi atque moderati habere.*] Supra c. 5., "Neque... quidquam *pensi habebat.*" ubi vide. Copulae autem *atque* quasi pro *neque*, exempla dedi *Doctr. Copular.* c. I. n. 17., quibus adde sis *Liv.* XXIV. 40., XXVII. 38.

7. *Domos suas.*] Cortius *sua gloria;* consequi enim, quum domos *sua* gloria dicantur decorasse, *suas* decorasse domos; non vero contra: cujus subtilitas paucis, credo,

rabant; neque victis quidquam praeter injuriae licentiam eripiebant. At hi contra, ignavissumi homines, per summum scelus omnia sociis adimere, quae fortissumi viri victores reliquerant: proinde quasi injuriam facere, id demum esset imperio uti.

XIII. Nam, quid ea memorem, quae, nisi qui videre, nemini credibilia sunt; a privatis compluribus subvorsos montis, maria constructa esse? quibus mihi videntur ludibrio fuisse divitiae; quippe, quas honeste habere licebat, abuti per turpitudinem properabant. Sed lubido stupri, ganeae, ceterique cultus, non minor incesserat: viros muliebria pati, mulieres pudicitiam in propatulo habere; ves-

---

sese probabit. Supra *delubra deorum:* abest *deorum* ab ed. Ascens.

8. *Injuriae licentiam.*] Injuriae faciendae, inferendae. *Cic. ad Att.* X. 4., "Qui, nisi me civitate expulissent, obtinere se non posse putaverunt *licentiam cupiditatum* suarum." *Idem de Amic.* 22., "In iis perniciosus est error, qui existimant, *libidinum* peccatorumque omnium patere in amicitia *licentiam.*"

9. *Omnia sociis adimere.*] Sic Harl. 3. et 22., Leidens. A., atque ed. Romana 1470., omisso pronomine *ea*, eleganter: ut III. *Hist.* orat. Macri, "Exsuti *omnibus*, quae majores reliquere."

10. *Proinde quasi—.*] Ironica formula est: vide *Jug.* c. 4. sub fin.

XIII. 1. *Nisi qui videre.*] Ed. omnes *nisi iis, qui v.;* sed recte Cortius demonstrativum damnavit; idque ego, praeeunte Harl. 6., delevi: sic apud illum *Seneca, Medea* v. 334., "*Nisi quas* tulerat Natale solum, non norat opes." Noster *Jug.* c. 17., "Plerosque senectus dissolvit, *nisi qui* ferro aut bestiis interiere."

2. *Subvorsos montis, maria constructa.*] Infra c. 20., "Quas (divitias) profundant in exstruendo mari et montibus coaequandis."

3. *Quas honeste habere licebat.*] Quibus honeste uti—. *Tacit. Ann.* IV. 44., "Opes innocenter paratae et modeste *habitae.*"

4. *Cultus.*] Mollitiae. *Liv.* XXIX. 21., "Quae vulgata sermonibus erant de *cultu* ac desidia imperatoris."

5. *Incesserat.*] Vide not. 2. ad c. 7. supra.

6. *Muliebria pati.*] Hanc collocationem ex cod. M. S. pluribus recepi: nimirum respexit Sallustius vocem Graecam γυναικοπαθεῖν.

cendi causa terra marique omnia exquirere; dormire prius, quam somni cupido esset; non famem, aut sitim, neque frigus, neque lassitudinem opperiri, sed omnia luxu antecapere. Haec juventutem, ubi familiares opes defecerant, ad facinora incendebant. Animus imbutus malis artibus haud facile lubidinibus carebat: eo profusius omnibus modis quaestui atque sumtui deditus erat.

XIV. In tanta tamque corrupta civitate, Catilina, id quod factu facillumum erat, omnium flagitiorum atque facinorum circum se, tamquam stipatorum, catervas habebat. Nam, quicumque impudicus, adulter, ganeo, manu, ventre, pene, bona patria laceraverat; quique alienum aes grande

---

Ceterum, ad constructionem quod attinet, intellige per zeugma: viros *incesserat lubido* τοῦ muliebria pati, mulieres τοῦ pudicitiam in propatulo habere. *Jug.* c. 3., "Nisi forte quem inhonesta et perniciosa *lubido* tenet potentiae paucorum decus atque libertatem suam *gratificari.*" Sic infinitivis pro gerundiis utitur Sallustius passim: vide not. 3. ad c. 17. infra.

7. *Quam somni cupido esset.*] Harl. 5., 9., 11., 16., Regius, atque ed. Juntina, *adesset.*

8. *Sed omnia luxu antecapere.*] Sic, omisso *ea*, Leidenses A., E., G., item ed. Parisiensis 1470.

9. *Ad facinora incendebant.*] Infra c. 23., "Ea res in primis studia hominum *accendit ad* consulatum mandandum M. Tullio Ciceroni." et *Jug.* c. 4., "Vehementissume sibi animum *ad* virtutem *accendi.*"

10. *Haud facile lubidinibus carebat.*] H. e., carere nequibat; et μείωσις est: sic infra c. 51., "*Haud facile* animus verum providet, ubi illa obficiunt." i. e. numquam: et c. 52., "Qui mihi atque animo meo nullius umquam delicti gratiam fecissem, *haud facile* alterius lubidini malefacta condonabam." *Liv.* XXVIII. 6., "*Haud facile* alia infestior classi statio est." Similis est loquutio *non temere:* Liv. XXX. 30., "*Non temere* incerta casuum reputat, quem fortuna numquam decepit."

XIV. 1. *Flagitiorum atque facinorum.*] Per metonymiam eam, qua virtutes et vitia pro ipsis, in quibus illa sunt, appellantur: vide *Cic. de Orat.* III. 42.

2. *Quique*—.] Harl. 6., 11., 18., Regius, Leidenses B., D., H., ed. Venetae et Ascens., *quicumque.*—

conflaverat, quo flagitium aut facinus redimeret; praeterea, omnes undique parricidae, sacrilegi, convicti judiciis aut pro factis judicium timentes; ad hoc, quos manus atque lingua perjurio aut sanguine civili alebat; postremo omnes, quos flagitium, egestas, conscius animus, exagitabat; ii Catilinae proxumi familiaresque erant. Quod si quis etiam a culpa vacuus in amicitiam ejus inciderat, quotidiano usu atque illecebris facile par similisque ceteris efficiebatur. Sed maxume adolescentium familiaritates adpetebat: eorum animi, molles et aetate fluxi, dolis haud difficulter capiebantur. Nam, uti cujusque studium ex aetate flagrabat, aliis scorta praebere, aliis canes atque equos mercari; postremo, neque sumtui neque modestiae suae parcere, dum illos obnoxios fidosque faceret. Scio fuisse nonnullos, qui ita aestumarent, juventutem, quae domum Catilinae frequentabat, parum honeste pudicitiam habuisse: sed ex aliis rebus magis, quam quod cuiquam id compertum foret, haec fama valebat.

XV. Jam primum adolescens Catilina multa nefanda stupra fecerat, cum virgine nobili, cum sacerdote Vestae; alia hujuscemodi contra jus fasque. Postremo, captus

---

Alienum aes grande conflaverat: aere alieno multo sese obstrinxerat: sic iterum c. 24. infra.

3. *Redimeret.*] *Cic. pro Mil.* 32., "Pecunia se palam a judicibus *redemerat.*"

4. *Quos flagitium, egestas,* etc.] *Tacit. Ann.* III. 40., "Quibus ob egestatem ac metum ex flagitiis maxima peccandi necessitudo."

5. *Proxumi familiaresque.*] Familiarissimique: vide not. 11. ad c. 5. supra.

6. *Parcere.*] Infra c. 25., "Pecuniae an famae minus *parceret,* haud facile decerneres."

7. *Parum honeste pudicitiam habuisse.*] Supra c. 13., *divitias honeste habere.*

8. *Cuiquam id compertum.*] In ed. Cortiana deficit pronomen *id;* scripti autem tuentur omnes.— Supra *ex aliis rebus:* Harl. 8. et 10. delent praepositionem.

XV. 1. *Jam primum.*] Vide not. 3. ad c. 7. supra.

amore Aureliae Orestillae, cujus praeter formam, nihil umquam bonus laudavit, quod ea nubere illi dubitabat, timens privignum adulta aetate, pro certo creditur, necato filio, vacuam domum scelestis nuptiis fecisse. Quae quidem res mihi in primis videtur causa fuisse facinoris maturandi. Namque animus impurus, dis hominibusque infestus, neque vigiliis neque quietibus sedari poterat; ita conscientia mentem excitam vastabat. Igitur colos exsanguis, foedi oculi; citus modo, modo tardus, incessus; prorsus in facie voltuque vecordia inerat.

XVI. Sed juventutem, quam, ut supra diximus, illexerat, multis modis mala facinora edocebat. Ex illis testes signatoresque falsos commodare; fidem, fortunas, pericula, vilia habere; post, ubi eorum famam atque pudorem adtriverat, majora alia imperabat: si causa peccandi in praesens minus suppetebat, nihilo minus insontes, sicuti sontes, circumvenire, jugulare; scilicet, ne per otium torpescerent

---

2. *Scelestis nuptiis.*] Ad scelestas nuptias. *Cic. in Catil.* I. 6., "Quum morte superioris uxoris *novis nuptiis* domum vacuefecisses."

3. *Dis hominibusque infestus.*] A diis hominibusque infestatus ob violatum jus fasque. *Cort.*

4. *Quietibus.*] *Cic. de Off.* I. 29., "Uti.....somno et *quietibus* ceteris."

5. *Vastabat.*] Depraedabatur.

XVI. 1. *Vilia habere.*] Junge cum *imperabat* infra, quod ita fere cum infinitivo simul et quarto casu construitur, ut supra c. 10., "Avaritia...*superbiam, crudelitatem,* deos *neglegere*, omnia venalia *habere*, *edocuit.*"

2. *Commodare...imperabat.*] Ita solet Noster modos variare: infra c. 21., "Suorum unumquemque nominans *laudare: admonebat* alium egestatis, alium—." et c. 48., "Plebes...Catilinae consilia *exsecrari*, Ciceronem ad coelum *tollere*;...laetitiam *agitabant.*" c. 54., *induxerat—neglegere—exoptabat.*

3. *Insontes...sontes.*] Nimirum, judice Catilina.

4. *Circumvenire, jugulare.*] Sc. *imperabat.*

manus aut animus, gratuito potius malus atque crudelis erat. His amicis sociisque confisus, Catilina, simul quod aes alienum per omnis terras ingens erat, et quod plerique Sullani milites, largius suo usi, rapinarum et victoriae veteris memores, civile bellum exoptabant; opprimundae reipublicae consilium cepit. In Italia nullus exercitus: Cn. Pompeius in extremis terris bellum gerebat: ipsi consulatum petundi magna spes: senatus nihil sane intentus: tutae tranquillaeque res omnes: sed ea prorsus opportuna Catilinae.

XVII. Igitur circiter calendas Junias, L. Caesare et C. Figulo consulibus, primo singulos adpellare; hortari alios, alios tentare; opes suas, imparatam rempublicam, magna praemia conjurationis docere. Ubi satis explorata sunt, quae voluit, in unum omnis convocat, quibus maxuma necessitudo, et plurimum audaciae inerat. Eo convenere, senatorii ordinis, P. Lentulus Sura, P. Autronius, L. Cassius Longinus, C. Cethegus, P. et Servius Sullae, Servii filii, L. Vargunteius, Q. Annius, M. Porcius Laeca, L. Bestia, Q. Curius; praeterea, ex equestri ordine, M. Fulvius Nobilior, L. Statilius, P. Gabinius Capito, C.

---

5. *Gratuito potius.*] Sc. quam ob causam et mercedem: habebat tamen Catilina causam, exercitium juventutis in facinoribus. *Cic. ad Fam.* VI. 8., "Qui mihi consuessent, aut libenter polliceri,...aut etiam negare, et afferre rationem, cur negarent; huic meae rogationi *potius* non continuo responderunt." i. e., non plane negaverunt, potius non continuo responderunt. Haec et plura Cortius. Sed nescio equidem an per *potius erat* intelligi possit *malebat esse.*

6. *Rapinarum et victoriae veteris.*] Ἐν διὰ δυοῖν: rapinarum, quas victoria vetus pepererat: v. n. 6. ad c. 2. supra.

7. *Nihil sane intentus.*] *Liv.* XXXIX. 51., "Fidei regum *nihil sane* confisus."

XVII. 1. *Quibus maxuma necessitudo.*] Intelligendum *erat* per syllepsin ex subsequenti *inerat*,

Cornelius; ad hoc multi ex coloniis et municipiis, domi nobiles. Erant praeterea complures paulo occultius consilii hujusce participes nobiles, quos magis dominationis spes hortabatur, quam inopia aut alia necessitudo. Ceterum juventus pleraque, sed maxume nobilium, Catilinae inceptis favebat: quibus in otio vel magnifice vel molliter vivere copia erat, incerta pro certis, bellum, quam pacem, malebant. Fuere item ea tempestate, qui crederent, M. Licinium Crassum non ignarum ejus consilii fuisse; quia Cn. Pompeius, invisus ipsi, magnum exercitum ductabat, cujusvis opes voluisse contra illius potentiam crescere; simul confisum, si conjuratio valuisset, facile apud illos principem se fore.

XVIII. Sed antea item conjuravere pauci contra rem-

---

quod tamen Cort. contra codices, Sallustii genio, ut ait, obsecundans, delevit.

2. *Inopia aut alia necessitudo.*] Harl. 6., 7., 8., 11., 17., 18., 20., et Regius, *aliqua*, h. e., *alia quae;* plane ut *Cic. de Off.* I. 7., "Ira aut *aliqua* perturbatione incitatus." et *de Orat.* II. 42., ubi vide *Pearcium.*

3. *Vivere copia.*] Vivendi: sic infra c. 29., "*Potestas*...exercitum *parare*, bellum *gerere*, etc." et *Jug.* c. 89., "Majora et aspera *adgredi tempus* visum." et c. 102., "Simul nobis demeres acerbam *necessitudinem* pariter te errantem et illum sceleratissumum *persequi.*" alibi saepe: vide not. 6. ad c. 13. supra.

4. *Incerta pro certis.*] Intellige *volebant* ex subsequenti *malebant.*

5. *Fuere item*—.] Particulam *item* Harl. 1. et 2. omittunt.

6. *Non ignarum.*] Nota μείωσις est: sic *Jug.* c. 36., "Ac fuere, qui tum Albinum *haud ignarum* consilii regis existumarent." *Virg. Aen.* I. 630., "*Non ignara* mali, miseris succurrere disco." ubi nodum in scirpo quaerit Burmannus: Ordinem esse, *Non disco succurrere miseris, ignara mali:* id esse, *quasi* ignara. Immo ordo est, quem ipse dedit Poëta: *non ignara*, i. e., bene gnara, gnara in primis, *utpote* non ignara: vide not. 10. ad c. 7. supra.

7. *Apud illos.*] Sc. conjuratos.

manus aut animus, gratuito po
erat. His amicis sociisque con
aes alienum per omnis terras i
que Sullani milites, largius suo
veteris memores, civile bellum
reipublicae consilium cepit. I
Cn. Pompeius in extremis te
consulatum petundi magna spe
tentus: tutae tranquillaeque re
opportuna Catilinae.

XVII. Igitur circiter calenda
C. Figulo consulibus, primo si
alios, alios tentare; opes suas,
magna praemia conjurationis doc
sunt, quae voluit, in unum omni
uma necessitudo, et plurimum a
venere, senatorii ordinis, P. Lent
L. Cassius Longinus, C. Cethegu
Servii filii, L. Vargunteius, Q. An
L. Bestia, Q. Curius; praeterea,
Fulvius Nobilior, L. Statilius, P

---

5. *Gratuito potius.*] Sc. quam ob causam et mercedem: habebat tamen Catilina causam, exercitium juventutis in facinoribus. *Cic. ad Fam.* VI. 8., "Qui mihi consuessent, aut libenter polliceri,...aut etiam negare, et afferre rationem, cur negarent; huic meae rogationi *potius* non continuo responderunt." i. e., non plane negaverunt, potius non continuo responderunt. Haec et plura Cortius. Sed nescio equidem
possit
6. *ris.*]
victori
ad c.
7.
XXXI
sane
XV
cessitu
sylleps

manus aut animus, gratuito potius malus atque crudelis erat. His amicis sociisque confisus, Catilina, simul quod aes alienum per omnis terras ingens erat, et quod plerique Sullani milites, largius suo usi, rapinarum et victoriae veteris memores, civile bellum exoptabant; opprimundae reipublicae consilium cepit. In Italia nullus exercitus: Cn. Pompeius in extremis terris bellum gerebat: ipsi consulatum petundi magna spes: senatus nihil sane intentus: tutae tranquillaeque res omnes: sed ea prorsus opportuna Catilinae.

XVII. Igitur circiter calendas Junias, L. Caesare et C. Figulo consulibus, primo singulos adpellare; hortari alios, alios tentare; opes suas, imparatam rempublicam, magna praemia conjurationis docere. Ubi satis explorata sunt, quae voluit, in unum omnis convocat, quibus maxuma necessitudo, et plurimum audaciae inerat. Eo convenere, senatorii ordinis, P. Lentulus Sura, P. Autronius, L. Cassius Longinus, C. Cethegus, P. et Servius Sullae, Servii filii, L. Vargunteius, Q. Annius, M. Porcius Laeca, L. Bestia, Q. Curius; praeterea, ex equestri ordine, M. Fulvius Nobilior, L. Statilius, P. Gabinius Capito, C.

---

5. *Gratuito potius.*] Sc. quam ob causam et mercedem: habebat tamen Catilina causam, exercitium juventutis in facinoribus. *Cic. ad Fam.* VI. 8., "Qui mihi consuessent, aut libenter polliceri,...aut etiam negare, et afferre rationem, cur negarent; huic meae rogationi *potius* non continuo responderunt." i. e., non plane negaverunt, potius non continuo responderunt. Haec et plura Cortius. Sed nescio equidem an per *potius erat* intelligi possit *malebat esse.*

6. *Rapinarum et victoriae veteris.*] Ἐν διὰ δυοῖν: rapinarum, quas victoria vetus pepererat: v. n. 6. ad c. 2. supra.

7. *Nihil sane intentus.*] *Liv.* XXXIX. 51., "Fidei regum *nihil sane* confisus."

XVII. 1. *Quibus maxuma necessitudo.*] Intelligendum *erat* per syllepsin ex subsequenti *inerat*,

Cornelius; ad hoc multi ex coloniis et municipiis, domi nobiles. Erant praeterea complures paulo occultius consilii hujusce participes nobiles, quos magis dominationis spes hortabatur, quam inopia aut alia necessitudo. Ceterum juventus pleraque, sed maxume nobilium, Catilinae inceptis favebat: quibus in otio vel magnifice vel molliter vivere copia erat, incerta pro certis, bellum, quam pacem, malebant. Fuere item ea tempestate, qui crederent, M. Licinium Crassum non ignarum ejus consilii fuisse; quia Cn. Pompeius, invisus ipsi, magnum exercitum ductabat, cujusvis opes voluisse contra illius potentiam crescere; simul confisum, si conjuratio valuisset, facile apud illos principem se fore.

XVIII. Sed antea item conjuravere pauci contra rem-

---

quod tamen Cort. contra codices, Sallustii genio, ut ait, obsecundans, delevit.

2. *Inopia aut alia necessitudo.*] Harl. 6., 7., 8., 11., 17., 18., 20., et Regius, *aliqua*, h. e., *alia quae;* plane ut *Cic. de Off.* I. 7., "Ira aut *aliqua* perturbatione incitatus." et *de Orat.* II. 42., ubi vide *Pearcium.*

3. *Vivere copia.*] Vivendi: sic infra c. 29., "*Potestas*...exercitum *parare*, bellum *gerere*, etc." et *Jug.* c. 89., "Majora et aspera *adgredi tempus* visum." et c. 102., "Simul nobis demeres acerbam *necessitudinem* pariter te errantem et illum sceleratissumum *persequi.*" alibi saepe: vide not. 6. ad c. 13. supra.

4. *Incerta pro certis.*] Intellige *volebant* ex subsequenti *malebant.*

5. *Fuere item*—.] Particulam *item* Harl. 1. et 2. omittunt.

6. *Non ignarum.*] Nota μείωσις est: sic *Jug.* c. 36., "Ac fuere, qui tum Albinum *haud ignarum* consilii regis existumarent." *Virg. Aen.* I. 630., "*Non ignara* mali, miseris succurrere disco." ubi nodum in scirpo quaerit Burmannus: Ordinem esse, *Non disco succurrere miseris, ignara mali:* id esse, *quasi* ignara. Immo ordo est, quem ipse dedit Poëta: *non ignara*, i. e., bene gnara, gnara in primis, *utpote* non ignara: vide not. 10. ad c. 7. supra.

7. *Apud illos.*] Sc. conjuratos.

pecuniae, deinde imperii, cupido crevit: ea quasi materies omnium malorum fuere. Namque avaritia fidem, probitatem, ceterasque artis bonas, subvortit; pro his, superbiam, crudelitatem, deos neglegere, omnia venalia habere, edocuit: ambitio multos mortalis falsos fieri subegit; aliud clausum in pectore, aliud in lingua promtum, habere; amicitias inimicitiasque non ex re, sed ex commodo, aestumare; magisque voltum, quam ingenium bonum habere. Haec primo paulatim crescere, interdum vindicari: post, ubi contagio, quasi pestilentia, invasit, civitas immutata; imperium, ex justissumo atque optumo, crudele intolerandumque factum.

XI. Sed primo magis ambitio, quam avaritia, animos hominum exercebat: quod tamen vitium propius virtutem erat. Nam gloriam, honorem, imperium, bonus, ignavus, aeque sibi exoptant: sed ille vera nititur via; huic quia

---

3. *Ea...fuere.*] Eae cupidines: vide not. 9. ad c. 5. supra.

4. *Crudelitatem, deos neglegere, ...edocuit.*] Vide not. 1. ad c. 16. infra.

5. *Amicitias inimicitiasque.*] Harl. 4. et 5. *amicitiasque*, omisso *inimicitias;* 22. autem copulam abjecit.

6. *Non ex re.*] Non ex ipsa natura utriusque rei. *Jug.* c. 78., "Quibus nomen ex *re* inditum." ubi plura.

XI. 1. *Propius virtutem.*] *Jug.* c. 49. *propior montem;* et ibid. *proxumum hostis.* Vide *Perizon.* ad *Sanctii Minerv.* I. 16. 5.

2. *Vera nititur via.*] Ita Harl. 23. verbum interponit.

3. *Huic quia bonae artes desunt.*] Attractionem quamdam diceres, pro *hic, quia* (ei) *b. a. desunt, dolis atque fallaciis contendit:* sic *Jug.* c. 85., "*Alii* si deliquere,... omnia haec praesidio *adsunt.*" pro *Aliis, si*—. et c. 93., "*Quorum* uti cujusque ingenium erat, ita rem difficilem aut facilem *nuntiavere.*" pro *qui, uti cujusque* (eorum)—. et c. 104. extr., "Ceterum, *Bocchum* quoniam poenitet, delicti *gratiam facit.*" ita nimirum emendandum; vulgo *Boccho, quoniam*—. Ac semel agnoscendus Sallustii mos est, qui passim amat integram rationem rei ipsi praemittere. *Jug.* c. 4., "*Cujus de virtute multi quia dixere,* prae-

bonae artes desunt, dolis atque fallaciis contendit. Avaritia pecuniae studium habet, quam nemo sapiens concupivit: ea quasi venenis malis imbuta, corpus animumque virilem effeminat: semper infinita, insatiabilis, neque copia neque inopia minuitur. Sed, postquam L. Sulla, armis recepta republica, bonis initiis malos eventus habuit, rapere omnes,

---

tereundum puto." 7., " *Quod erat Jugurtha manu promtus, et adpetens gloriae militaris*, statuit eum objectare periculis." 53., " *Quod Metellus amplius opinione morabatur*, instructi intentique obviam procedunt." Infra c. 15., 17. extr., 53.

4. *Pecuniae studium habet.*] Continet in se. *Cic. in Catil.* IV. 4., " *Habere* videtur ista res iniquitatem."

5. *Corpus animumque virilem effeminat.*] Corrumpit, emollit: dum enim opibus inhiant avari, humile aliquid quaerunt, et animus primo corrumpitur; dein, quia corpus non belli laboribus duratur, necessario vires et fortitudo elanguescit. *Cortius.*

6. *Neque copia neque* —.] Nimirum, " Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit." *Juv.* XIV. 138.

7. *Recepta republica.*] Liberata ab illis, qui captam tenebant: et sic proprie. *Liv.* XXVI. 32., " Cum tyrannis bellum gerendum fuisse,...et urbem *recipi*, non *capi*, (oportuisse)." *Idem* XXVII. 25., " Fateri se, opera Livii Tarentum receptum,...neque enim *recipiundum* fuisse, nisi *amissum* foret." Adde not. 7. ad c. 5. supra.

8. *Bonis initiis malos eventus.*] H. e., *bonorum initiorum* malos eventus: sic infra c. 40., " Requirere coepit, quem *exitum* tantis *malis* sperarent?" et ibid., " *Miseriis* suis *remedium* mortem exspectare." Nisi forte malis *bonis initiis* absolute positum intelligere, *quum initia bona fuissent*, quomodo passim *Tacitus;* ut *Hist.* I. 80., " *Parvo* interim *initio*, unde nihil timebatur, orta seditio prope urbi excidio fuit." II. 68., " Apud victores orta seditio, *ludicro initio*, nisi numerus caesorum invidiam bello auxisset." IV. 50., " Mox Oeensium Leptitanorumque discordias componit, quae, raptu frugum et pecorum inter agrestes, *modicis principiis*, jam per arma atque acies exercebantur." De qua re videas *Perizon.* ad *Sanctii Minerv.* IV. 4. 28. Porro operae pretium est videre, quomodo locum verterit scriptor Graecus *J. Antiochenus* apud *Fabric. Bibl. Lat.* I., 9., Καὶ Σαλλούστιος ὁ Ῥωμαῖος συγγραφεὺς ἔφη καλοῖς αὐτὸν (τὸν Σύλλαν) ἐγχειρήμασι κάκιστον ἐπενηνοχέναι τὸ τέλος.

9. *Malos eventus habuit.*] *Cic. de Div.* II. 9., " Quae enim vita fuisset Priamo, si ab adolescentia

trahere; domum alius, alius agros cupere; neque modum neque modestiam victores habere; foeda crudeliaque in civibus facinora facere. Huc accedebat, quod L. Sulla exercitum, quem in Asia ductaverat, quo sibi fidum faceret, contra morem majorum luxuriose nimisque liberaliter habuerat; loca amoena, voluptaria, facile in otio ferocis militum animos molliverant. Ibi primum insuevit exercitus populi Romani amare, potare; signa, tabulas pictas, vasa caelata mirari; ea privatim ac publice rapere; delubra spoliare; sacra profanaque omnia polluere. Igitur hi milites, postquam victoriam adepti sunt, nihil reliqui victis fecere. Quippe secundae res sapientium animos fatigant; ne illi, corruptis moribus, victoriae temperarent.

---

scisset, quos *eventus* senectutis esset *habitu-us?*" Coel. apud eumd. ad Fam. VIII. 4., " Mea porro comitia quem *eventum* sint *habitura*, nescio." Adde *Liv.* X. 8. extr.

10. *Rapere omnes, trahere.*] Sic *Jug.* c. 41., " Sibi quisque ducere, *trahere, rapere.*"

11. *Modum ... habere.*] *Cic. de Fin.* II. 9., " Ergo et avarus erit, sed finite; et adulter, verum *habebit modum;* et luxuriosus eodem modo."

12. *In civibus.*] Vide not. 2. ad c. 9. supra.

13. *Quem in Asia ductaverat.*] Cort. *in Asiam*, quod pro *intra Asiam* positum docet, quum longe aliud voluissent librarii, *ductaverat* scilicet pro *duxerat* construentes.

14. *Habuerat.*] Tractaverat: sic *Jug.* c. 64., " Milites...laxiore imperio, quam antea, *habere.*" Et *Liv.* XXXIX. 1., " Praecipue sub imperio Cn. Manlii (exercitus) solute ac negligenter *habiti* sunt."

15. *Ferocis militum animos.*] Veneta 1470. nude *feroces molliverant.*

16. *Amare, potare.*] *Jug.* c. 85., " Quin ergo, quod juvat,...id semper faciant; *ament, potent.*" Adde *Terent. Adel.* I. 1. 36.-7., 2. 37.-8.

17. *Ne illi, corruptis moribus, —.*] Tantum aberat ut illi, corruptis moribus, victoriae temperarent: sc. *ne* pro *nedum;* sic *Cic. ad Fam.* IX. 26., " Me vero nihil istorum, ne juvenem quidem, movit umquam: *ne* nunc senem." Et *Liv.* III. 52., " Novam inexpertamque eam potestatem eripuere patribus nostris: *ne* nunc, dulcedine semel capti, ferant desiderium." Et *Plaut. Amph.* I. 1. 174., " Vix incedo inanis: *ne* ire posse cum onere existumes." Adde *Terent. Andr.* IV. 2. 23., et *Cic. in Verr.* IV. 23.

18. *Victoriae temperarent.*] *Ta-*

XII. Postquam divitiae honori esse coepere, et eas gloria, imperium, potentia, sequebantur, hebescere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malevolentia duci coepit. Igitur, ex divitiis, juventutem luxuria atque avaritia cum superbia invasere: rapere, consumere; sua parvi pendere, aliena cupere; pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiscua, nihil pensi atque moderati habere. Operae pretium est, quum domos atque villas cognoveris in urbium modum exaedificatas, visere templa deorum, quae nostri majores, religiosissumi mortales, fecere. Verum illi delubra deorum pietate, domos suas gloria deco-

---

cit. Hist. III. 31., " Mox...subit recordatio, illos esse, qui nuper Bebriaci *victoriae temperassent.*" Ibid. IV. 1., " Duces partium, accendendo civili bello acres, *temperandae victoriae* impares."

XII. 1. *Sequebantur.*] Rescripsi ex Harl. 4., 6., 9., 12., 15., 19., et Regio; vulgo *sequebatur:* sic alibi Sallustius pluribus nominibus ἀσυνδέτοις verbum plurale subjunxit; ut supra c. 3., " Audacia, largitio, avaritia, *vigebant.*" Atque ita melius cumulus honorum indicatur. Elegans autem verbum *sequi:* Liv. IX. 40., " Omnia illa victoriam *sequi.*" *Ovid de Trist.* I. 5. 28., " Indelibatas cuncta *sequuntur* opes."

2. *Innocentia.*] Hic est ea virtus, *qua nemini* divitiarum causa *nocebant:* infra c. 54., " Cum *innocente* abstinentia certabat." Adde *Jug.* c. 46.—*Pro malevolentia:* h. e., qui divitias undique non trahebat, ille non virtutis amore abstinere censebatur, sed pro male animato in divites habebatur. Haec fere, inter alia multa, Cortius.

3. *Ex divitiis.*] *Jug.* c. 40., " Plebem *ex* secundis rebus insolentia ceperat."

4. *Pudorem, pudicitiam.*] Intellige ex sequentibus, *non pensam neque moderatam habere;* hoc est pudoris ac pudicitiae rationem habere nullam, neque iis parcere.

5. *Promiscua.*] Sine discrimine.

6. *Nihil pensi atque moderati habere.*] Supra c. 5., "Neque... quidquam *pensi habebat.*" ubi vide. Copulae autem *atque* quasi pro *neque*, exempla dedi *Doctr. Copular.* c. 1. n. 17., quibus adde sis *Liv.* XXIV. 40., XXVII. 38.

7. *Domos suas.*] Cortius *sua gloria;* consequi enim, quum domos *sua* gloria dicantur decorasse, *suas* decorasse domos; non vero contra: cujus subtilitas paucis, credo,

rabant; neque victis quidquam praeter injuriae licentiam eripiebant. At hi contra, ignavissumi homines, per summum scelus omnia sociis adimere, quae fortissumi viri victores reliquerant: proinde quasi injuriam facere, id demum esset imperio uti.

XIII. Nam, quid ea memorem, quae, nisi qui videre, nemini credibilia sunt; a privatis compluribus subvorsos montis, maria constructa esse? quibus mihi videntur ludibrio fuisse divitiae; quippe, quas honeste habere licebat, abuti per turpitudinem properabant. Sed lubido stupri, ganeae, ceterique cultus, non minor incesserat: viros muliebria pati, mulieres pudicitiam in propatulo habere; ves-

---

sese probabit. Supra *delubra deorum:* abest *deorum* ab ed. Ascens.

8. *Injuriae licentiam.*] Injuriae faciendae, inferendae. *Cic. ad Att.* X. 4., "Qui, nisi me civitate expulissent, obtinere se non posse putaverunt *licentiam cupiditatum* suarum." *Idem de Amic.* 22., "In iis perniciosus est error, qui existimant, *libidinum* peccatorumque omnium patere in amicitia *licentiam.*"

9. *Omnia sociis adimere.*] Sic Harl. 3. et 22., Leidens. A., atque ed. Romana 1470., omisso pronomine *ea*, eleganter: ut III. *Hist.* orat. Macri, "Exsuti *omnibus*, quae majores reliquere."

10. *Proinde quasi—.*] Ironica formula est: vide *Jug.* c. 4. sub fin.

XIII. 1. *Nisi qui videre.*] Ed. omnes *nisi iis, qui v.;* sed recte Cortius demonstrativum damnavit; idque ego, praeeunte Harl. 6., delevi: sic apud illum *Seneca, Medea* v. 334., "*Nisi quas* tulerat Natale solum, non norat opes." Noster *Jug.* c. 17., "Plerosque senectus dissolvit, *nisi qui* ferro aut bestiis interiere."

2. *Subvorsos montis, maria constructa.*] Infra c. 20., "Quas (divitias) profundant in exstruendo mari et montibus coaequandis."

3. *Quas honeste habere licebat.*] Quibus honeste uti—. *Tacit. Ann.* IV. 44., "Opes innocenter paratae et modeste *habitae.*"

4. *Cultus.*] Mollitiae. *Liv.* XXIX. 21., "Quae vulgata sermonibus erant de *cultu* ac desidia imperatoris."

5. *Incesserat.*] Vide not. 2. ad c. 7. supra.

6. *Muliebria pati.*] Hanc collocationem ex cod. M. S. pluribus recepi: nimirum respexit Sallustius vocem Graecam γυναικοπαθεῖν.

cendi causa terra marique omnia exquirere; dormire prius, quam somni cupido esset; non famem, aut sitim, neque frigus, neque lassitudinem opperiri, sed omnia luxu antecapere. Haec juventutem, ubi familiares opes defecerant, ad facinora incendebant. Animus imbutus malis artibus haud facile lubidinibus carebat: eo profusius omnibus modis quaestui atque sumtui deditus erat.

XIV. In tanta tamque corrupta civitate, Catilina, id quod factu facillumum erat, omnium flagitiorum atque facinorum circum se, tamquam stipatorum, catervas habebat. Nam, quicumque impudicus, adulter, ganeo, manu, ventre, pene, bona patria laceraverat; quique alienum aes grande

---

Ceterum, ad constructionem quod attinet, intellige per zeugma: viros *incesserat lubido* τοῦ muliebria pati, mulieres τὸν pudicitiam in propatulo habere. *Jug.* c. 3., "Nisi forte quem inhonesta et perniciosa *lubido* tenet potentiae paucorum decus atque libertatem suam *gratificari.*" Sic infinitivis pro gerundiis utitur Sallustius passim: vide not. 3. ad c. 17. infra.

7. *Quam somni cupido esset.*] Harl. 5., 9., 11., 16., Regius, atque ed. Juntina, *adesset.*

8. *Sed omnia luxu antecapere.*] Sic, omisso *ea*, Leidenses A., E., G., item ed. Parisiensis 1470.

9. *Ad facinora incendebant.*] Infra c. 23., "Ea res in primis studia hominum *accendit ad* consulatum mandandum M. Tullio Ciceroni." et *Jug.* c. 4., "Vehementissume sibi animum *ad* virtutem *accendi.*"

10. *Haud facile lubidinibus carebat.*] H. e., carere nequibat; et μείωσις est: sic infra c. 51., "*Haud facile* animus verum providet, ubi illa obficiunt." i. e. numquam: et c. 52., "Qui mihi atque animo meo nullius umquam delicti gratiam fecissem, *haud facile* alterius lubidini malefacta condonabam." *Liv.* XXVIII. 6., "*Haud facile* alia infestior classi statio est." Similis est loquutio *non temere:* Liv. XXX. 30., "*Non temere* incerta casuum reputat, quem fortuna numquam decepit."

XIV. 1. *Flagitiorum atque facinorum.*] Per metonymiam eam, qua virtutes et vitia pro ipsis, in quibus illa sunt, appellantur: vide *Cic. de Orat.* III. 42.

2. *Quique—.*] Harl. 6., 11., 18., Regius, Leidenses B., D., H., ed. Venetae et Ascens., *quicumque.*—

conflaverat, quo flagitium aut facinus redimeret; praeterea, omnes undique parricidae, sacrilegi, convicti judiciis aut pro factis judicium timentes; ad hoc, quos manus atque lingua perjurio aut sanguine civili alebat; postremo omnes, quos flagitium, egestas, conscius animus, exagitabat; ii Catilinae proxumi familiaresque erant. Quod si quis etiam a culpa vacuus in amicitiam ejus inciderat, quotidiano usu atque illecebris facile par similisque ceteris efficiebatur. Sed maxume adolescentium familiaritates adpetebat: eorum animi, molles et aetate fluxi, dolis haud difficulter capiebantur. Nam, uti cujusque studium ex aetate flagrabat, aliis scorta praebere, aliis canes atque equos mercari; postremo, neque sumtui neque modestiae suae parcere, dum illos obnoxios fidosque faceret. Scio fuisse nonnullos, qui ita aestumarent, juventutem, quae domum Catilinae frequentabat, parum honeste pudicitiam habuisse: sed ex aliis rebus magis, quam quod cuiquam id compertum foret, haec fama valebat.

XV. Jam primum adolescens Catilina multa nefanda stupra fecerat, cum virgine nobili, cum sacerdote Vestae; alia hujuscemodi contra jus fasque. Postremo, captus

---

Alienum aes grande conflaverat: aere alieno multo sese obstrinxerat: sic iterum c. 24. infra.

3. *Redimeret.*] *Cic. pro Mil.* 32., "Pecunia se palam a judicibus *redemerat.*"

4. *Quos flagitium, egestas,* etc.] *Tacit. Ann.* III. 40., "Quibus ob egestatem ac metum ex flagitiis maxima peccandi necessitudo."

5. *Proxumi familiaresque.*] Familiarissimique: vide not. 11. ad c. 5. supra.

6. *Parcere.*] Infra c. 25., "Pecuniae an famae minus *parceret,* haud facile decerneres."

7. *Parum honeste pudicitiam habuisse.*] Supra c. 13., *divitias honeste habere.*

8. *Cuiquam id compertum.*] In ed. Cortiana deficit pronomen *id;* scripti autem tuentur omnes.— Supra *ex aliis rebus:* Harl. 8. et 10. delent praepositionem.

XV. 1. *Jam primum.*] Vide not. 3. ad c. 7. supra.

amore Aureliae Orestillae, cujus praeter formam, nihil umquam bonus laudavit, quod ea nubere illi dubitabat, timens privignum adulta aetate, pro certo creditur, necato filio, vacuam domum scelestis nuptiis fecisse. Quae quidem res mihi in primis videtur causa fuisse facinoris maturandi. Namque animus impurus, dis hominibusque infestus, neque vigiliis neque quietibus sedari poterat; ita conscientia mentem excitam vastabat. Igitur colos exsanguis, foedi oculi; citus modo, modo tardus, incessus; prorsus in facie voltuque vecordia inerat.

XVI. Sed juventutem, quam, ut supra diximus, illexerat, multis modis mala facinora edocebat. Ex illis testes signatoresque falsos commodare; fidem, fortunas, pericula, vilia habere; post, ubi eorum famam atque pudorem adtriverat, majora alia imperabat: si causa peccandi in praesens minus suppetebat, nihilo minus insontes, sicuti sontes, circumvenire, jugulare; scilicet, ne per otium torpescerent

---

2. *Scelestis nuptiis.*] Ad scelestas nuptias. *Cic. in Catil.* I. 6., "Quum morte superioris uxoris *novis nuptiis* domum vacuefecisses."

3. *Dis hominibusque infestus.*] A diis hominibusque infestatus ob violatum jus fasque. *Cort.*

4. *Quietibus.*] *Cic. de Off.* I. 29., "Uti.....somno et *quietibus* ceteris."

5. *Vastabat.*] Depraedabatur.

XVI. 1. *Vilia habere.*] Junge cum *imperabat* infra, quod ita fere cum infinitivo simul et quarto casu construitur, ut supra c. 10., "Avaritia...*superbiam, crudelitatem,* deos *neglegere,* omnia venalia *habere, edocuit.*"

2. *Commodare...imperabat.*] Ita solet Noster modos variare: infra c. 21., "Suorum unumquemque nominans *laudare: admonebat* alium egestatis, alium—." et c. 48., "Plebes...Catilinae consilia *exsecrari,* Ciceronem ad coelum *tollere;*...laetitiam *agitabant.*" c. 54., *induxerat—neglegere—exoptabat.*

3. *Insontes...sontes.*] Nimirum, judice Catilina.

4. *Circumvenire, jugulare.*] Sc. *imperabat.*

manus aut animus, gratuito potius malus atque crudelis erat. His amicis sociisque confisus, Catilina, simul quod aes alienum per omnis terras ingens erat, et quod plerique Sullani milites, largius suo usi, rapinarum et victoriae veteris memores, civile bellum exoptabant; opprimundae reipublicae consilium cepit. In Italia nullus exercitus: Cn. Pompeius in extremis terris bellum gerebat: ipsi consulatum petundi magna spes: senatus nihil sane intentus: tutae tranquillaeque res omnes: sed ea prorsus opportuna Catilinae.

XVII. Igitur circiter calendas Junias, L. Caesare et C. Figulo consulibus, primo singulos adpellare; hortari alios, alios tentare; opes suas, imparatam rempublicam, magna praemia conjurationis docere. Ubi satis explorata sunt, quae voluit, in unum omnis convocat, quibus maxuma necessitudo, et plurimum audaciae inerat. Eo convenere, senatorii ordinis, P. Lentulus Sura, P. Autronius, L. Cassius Longinus, C. Cethegus, P. et Servius Sullae, Servii filii, L. Vargunteius, Q. Annius, M. Porcius Laeca, L. Bestia, Q. Curius; praeterea, ex equestri ordine, M. Fulvius Nobilior, L. Statilius, P. Gabinius Capito, C.

---

5. *Gratuito potius.*] Sc. quam ob causam et mercedem: habebat tamen Catilina causam, exercitium juventutis in facinoribus. *Cic. ad Fam.* VI. 8., "Qui mihi consuessent, aut libenter polliceri,...aut etiam negare, et afferre rationem, cur negarent; huic meae rogationi *potius* non continuo responderunt." i. e., non plane negaverunt, potius non continuo responderunt. Haec et plura Cortius. Sed nescio equidem an per *potius erat* intelligi possit *malebat esse.*

6. *Rapinarum et victoriae veteris.*] Ἓν διὰ δυοῖν: rapinarum, quas victoria vetus pepererat: v. n. 6. ad c. 2. supra.

7. *Nihil sane intentus.*] *Liv.* XXXIX. 51., "Fidei regum *nihil sane* confisus."

XVII. 1. *Quibus maxuma necessitudo.*] Intelligendum *erat* per syllepsin ex subsequenti *inerat,*

Cornelius; ad hoc multi ex coloniis et municipiis, domi nobiles. Erant praeterea complures paulo occultius consilii hujusce participes nobiles, quos magis dominationis spes hortabatur, quam inopia aut alia necessitudo. Ceterum juventus pleraque, sed maxume nobilium, Catilinae inceptis favebat: quibus in otio vel magnifice vel molliter vivere copia erat, incerta pro certis, bellum, quam pacem, malebant. Fuere item ea tempestate, qui crederent, M. Licinium Crassum non ignarum ejus consilii fuisse; quia Cn. Pompeius, invisus ipsi, magnum exercitum ductabat, cujusvis opes voluisse contra illius potentiam crescere; simul confisum, si conjuratio valuisset, facile apud illos principem se fore.

XVIII. Sed antea item conjuravere pauci contra rem-

---

quod tamen Cort. contra codices, Sallustii genio, ut ait, obsecundans, delevit.

2. *Inopia aut alia necessitudo.*] Harl. 6., 7., 8., 11., 17., 18., 20., et Regius, *aliqua*, h. e., *alia quae;* plane ut *Cic. de Off.* I. 7., "Ira aut *aliqua* perturbatione incitatus." et *de Orat.* II. 42., ubi vide *Pearcium.*

3. *Vivere copia.*] Vivendi: sic infra c. 29., "*Potestas*...exercitum *parare*, bellum *gerere*, etc." et *Jug.* c. 89., "Majora et aspera *adgredi tempus* visum." et c. 102., "Simul nobis demeres acerbam *necessitudinem* pariter te errantem et illum sceleratissumum *persequi.*" alibi saepe: vide not. 6. ad c. 13. supra.

4. *Incerta pro certis.*] Intellige *volebant* ex subsequenti *malebant.*

5. *Fuere item*—.] Particulam *item* Harl. 1. et 2. omittunt.

6. *Non ignarum.*] Nota μείωσις est: sic *Jug.* c. 36., "Ac fuere, qui tum Albinum *haud ignarum* consilii regis existumarent." *Virg. Aen.* I. 630., "*Non ignara* mali, miseris succurrere disco." ubi nodum in scirpo quaerit Burmannus: Ordinem esse, *Non disco succurrere miseris, ignara mali:* id esse, *quasi* ignara. Immo ordo est, quem ipse dedit Poëta: *non ignara*, i. e., bene gnara, gnara in primis, *utpote* non ignara: vide not. 10. ad c. 7. supra.

7. *Apud illos.*] Sc. conjuratos.

publicam, in quibus Catilina: de qua, quam verissume potero, dicam. L. Tullo, M. Lepido consulibus, P. Autronius et P. Sulla, designati consules, legibus ambitus interrogati, poenas dederant. Post paulo Catilina, repetundarum reus, prohibitus erat consulatum petere, quod intra legitimos dies profiteri nequiverit. Erat eodem tempore Cn. Piso, adolescens nobilis, summae audaciae, egens, factiosus, quem ad perturbandam rempublicam inopia atque mali mores stimulabant. Cum hoc Catilina et Autronius, circiter nonas Decembris, consilio communicato, parabant in Capitolio calendis Januariis L. Cottam et L. Torquatum consules interficere, ipsi, fascibus correptis, Pisonem cum exercitu ad obtinendas duas Hispanias mittere.

XVIII. 1. *De qua.*] Sc. *conjuratione*, quod nomen ex verbo *conjuravere* eliciendum. *Liv.* XXXVIII. 23., "Praedam.....cum cura, ut quam *aequissima* esset, per milites *divisit.*" sc. divisio.

2. *Verissume.*] An *brevissume?*

3. *Designati consules.*] Haec ex contextu Cortiano exciderunt, mendose; itemque illa infra, *circiter nonas Decembris:* quod propterea moneo, quia non monuit ipse.

4. *Repetundarum reus.*] Quod scilicet, dum Africam praetor obtinebat, provinciam foede diripuisset. Ceterum Catilina, quum accusator P. Clodius, pecunia accepta, fuisset turpissime praevaricatus, verbo absolutus, re vera convictus, discessit. *Pecuniarum* autem, quod vulgo insertum legitur, in Harl. 20. locum mutat, ab ed. Ascens. vero et Juntina abest; et omisso illo jam diu omnes edere solent infra c. 49., *in judicio repetundarum.*

5. *Duas Hispanias.*] Citeriorem et ulteriorem (ratione Iberi fluvii), quarum utraque erat provincia praetoria. *Duas* autem Harl. 8. omisit, idemque ab uno ex suis abfuisse testatur Castilioneus: et alibi Sallustius, *Hist.* I. orat. Philippi, "*Hispaniae* armis sollicitatae." At *duae Hispaniae* pro *utraque Hispania* non refugit ipse Cicero:—*pro Balb.* 15., "Praepotens terra marique Carthago, nixa *duabus Hispaniis.*" adde *pro Lege Manil.* 12.: et exempla *Caesaris* attulit Cortius, *de B. C.* I. 29., III. 10.

Ea re cognita, rursus in nonas Februarias consilium transtulerant. Jam tum non consulibus modo, sed plerisque senatoribus, perniciem machinabantur. Quod ni Catilina maturasset pro curia signum dare, eo die post conditam Urbem pessumum facinus patratum erat. Quia nondum frequentes armati convenerant, ea res consilium diremit.

XIX. Postea Piso in citeriorem Hispaniam quaestor pro praetore missus est, adnitente Crasso, quod eum infestum inimicum Cn. Pompeio cognoverat. Neque tamen senatus provinciam invitus dederat: quippe foedum hominem a re-

---

6. *Consilium transtulerant.*] Interpretis additamentum *caedis* delevi, auctoribus Harl. 12. et Burneiano.—*Jam tum:* vide not. 2. ad c. 2. supra.

7. *Signum dare.*] Vulgo *s. sociis d.;* scripti autem varie *sociis dare, dare sociis, sociis signum:* at Harl. 20. *sociis* nusquam agnoscit; eamque vocem sensus ipse respuit: nam non tam sociis signum dedit Catilina, quam temere dedit, quum socii, qui exciperent, nondum satis frequentes adessent: et, si adfuissent omnes, poterat *sociis* elegantius reticeri: quibusnam, quaeso, nisi sociis?

8. *Post conditam Urbem.*] Addunt vulgo *Romam*, Cortius *Romanam*, optimus Harl. 3. neutrum. *Tacit. Hist.* III. 72., "Id facinus *post conditam Urbem* luctuosissimum—."

9. *Patratum erat.*] Sic Harl. 22., vere procul dubio; vulgo *p. foret.* Jug. c. 27., "Ac. *ni* C. Memmius...populum *edocuisset*, id agi, uti..., profecto omnis invidia prolatandis consultationibus *dilapsa erat.*" Vide *Rupert.* ad *Tacit. Ann.* I. 35. 8.

XIX. 1. *Quaestor pro praetore.*] Scholiast. Harl. 4., *Sic intellige, vel quia prius quaestor erat, vel quia utramque, praeturam et quaesturam, exercebat.* Prior interpretatio vera est.

2. *Infestum inimicum.*] Delent *inimicum* Harl. 4. et 11.; defendit Cortius.

3. *Neque tamen*, etc.] *Quamquam* senatus provinciam non invitus dederat. Parem vim corrigendi apud Ciceronem saepissime habet *et tamen.* Scholiast. Harl. 4., *Dixi, missum esse adnitente M. Crasso: tamen senatus non invitus eum misit.*

publica procul esse volebat: simul, quia boni quam plures praesidium in eo putabant: et jam tum potentia Cn. Pompeii formidolosa erat. Sed is, in provincia, Hispanis ab equitibus, quos in exercitu ductabat, iter faciens, occisus est. Sunt, qui ita dicant, imperia ejus injusta, superba, crudelia, barbaros nequivisse pati: alii autem, equites illos, Cn. Pompeii veteres fidosque clientes, voluntate ejus Pisonem adgressos; numquam Hispanos praeterea tale facinus fecisse, sed imperia saeva multa antea perpessos. Nos eam rem in medio relinquemus. De superiore conjuratione satis dictum.

---

4. *A rep. procul esse volebat.*] Ergo relegatus Piso.

5. *Boni.*] Qui rempublicam salvam volebant, eique consulebant. Infra c. 21., "Maledictis increpat omnis *bonos.*" et c. 34., "Catilina ex itinere plerisque consularibus, praeterea *optumo* cuique, literas mittit."—*Praesidium in eo putabant:* in Pisone, sc. contra Pompeium.

6. *Sed is, in provincia,—.*] Ed. omnes *Sed is Piso:* foedam interpolationem, quam viros doctissimos sine animadversione praeterisse satis mirari non queo, Harl. 3. jubente ejeci: 22. *Sed Piso is—.* Similis macula *Tacitum* deturpat, *Ann.* IV. 10., "Sejanum Lygdi quoque spadonis animum stupro vinxisse, quod *is Lygdus—.*" Eumdemque altera, *ibid.* XII. 49., "Erat Cappadociae procurator Julius Pelignus...*Is Pelignus—.*"—*In provincia:* Cort. *in provinciam,* ut idem supra c. 11. *in Asiam;* sc. *in* pro *intra:* at nihil certius, quam librarios, qui ita scripserunt, *iter faciens* pro *proficiscens, pergens,* accepisse; quomodo ante Cort. interpretes vulgo intelligebant.—Continuo *Hispanis ab equitibus* ex eodem illo Harl. 3. rescripsi; vulgo *ab e. H.*

7. *Sunt, qui ita dicant.*] Sic Harl. 5., 9., 13., 14., 22., 23.; perperam Cort. *dicunt.*

8. *Alii autem,—.*] Intelligendum *dicunt* ex illo *sunt, qui dicant* pro *nonnulli dicunt.* Eodem modo *Livius* XXVI. 49., "Plerique Laelium praefuisse classi [sc. *dicunt*]; *sunt, qui* M. Junium Silanum *dicant.*"

9. *Cn. Pompeii veteres fidosque clientes.*] Versus Heroicus est, fortuito effusus. Alterum, sed spondaicum, videas in principio c. 5. *de B. J.*

10. *Praeterea.*] Scilicet duplici

XX. Catilina ubi eos, quos paulo ante memoravi, convenisse videt, tametsi cum singulis multa saepe egerat, tamen in rem fore credens universos adpellare et cohortari, in abditam partem aedium secedit; atque ibi, omnibus arbitris procul amotis, orationem hujuscemodi habuit.

" Ni virtus fidesque vestra spectata mihi forent, nequidquam opportuna res cecidisset; spes magna, dominatio in manibus frustra fuisset; neque ego, per ignaviam aut vania ingenia, incerta pro certis captarem. Sed, quia multis et magnis tempestatibus vos cognovi fortes fidosque mihi, eo animus ausus maxumum atque pulcherrumum facinus

---

argumento suspicio nitebatur, illos equites Pompeii voluntate Pisonem aggessos; primum, quia illius veteres fidique clientes essent, deinde, quod Hispani tale facinus numquam antea fecissent.

XX. 1. *Cum singulis multa saepe egerat.*] Supra c. 17., " Primo singulos adpellare, *etc.*"

2. *In rem fore.*] Utile. *Liv.* XXII. 3., " Quae cognosse *in rem* erat." et c. 29., " Consulere, quid *in rem* sit." Adde XXVI. 17. et 44., XXX. 4.

3. *Atque ibi*—.] Particulam *ibi* omittunt Harl. 13. et 14.

4. *Spectata m. forent.*] Sic solet Noster binis nominibus femininis neutrum plurale subjicere:—*Jug.* c. 38., " *Nox* atque *praeda...remorata* sunt." 52., " Plerosque *velocitas* et *regio* hostibus ignara *tutata* sunt." 68., Ubi *ira* et *aegritudo permixta.*" Livius XXXVII. 32., " *Ira* et *avaritia* imperio *potentiora* erant."

5. *Spes magna—dominatio.*]—Correctio intensiva est: spes magna, *atque adeo* dominatio.—*In manibus.* sic infra, " Victoria nobis *in manu.*"—*Frustra fuisset:* Cortius *fuissent*, male; nam quum ea vis correctionis sit, ut id, quod levius videatur, *tollat* (ut verbis utar auctoris *ad Herenn.* IV. 26.), *τοῦ spes* ratio habenda est nulla.

6. *Per ignaviam aut vana ingenia.*] H. e., sociis ignavis et vani ingenii confisus. Sed " Fallor," inquit Cortius, " aut Sallustius scripsit, *neque ego per* ignava, *aut vana ingenia*: ita ut *ignava ingenia* opposuerit *virtuti;* et *vana*, *fidei* conjuratorum, de quibus principio orationis dixerat." Quod nollem summo viro excidisse: et tantum abest, ut assentiar, ut locum jam in vulgatis libris isto

incipere; simul, quia vobis eadem mihi bona malaque intellexi; nam idem velle atque nolle, ea demum firma amicitia est. Sed, ego quae mente agitavi, omnes jam antea divorsi audistis. Ceterum mihi in dies magis animus accenditur, quum considero, quae conditio vitae futura sit, nisi nosmet ipsi vindicamus in libertatem. Nam, postquam respublica in paucorum jus atque ditionem concessit, semper illis reges, tetrarchae vectigales esse; populi, nationes stipendia pendere; ceteri omnes, strenui, boni, nobiles atque ignobiles, volgus fuimus, sine gratia, sine auctoritate, his obnoxii, quibus, si respublica valeret, formidini essemus. Itaque omnis gratia, potentia, honos, divitiae apud illos sunt, aut ubi volunt; repulsas nobis reliquere, pericula, judicia, egestatem. Quae quousque tandem patiemini, for-

---

modo corruptum mihi decretum sit emendare. *Jug.* c. 85., "Abunde illis *facundam* et compositam orationem fore." ubi codices M. S. tantum non uno ore *facundiam.*

7. *Facinus incipere.*] *Terent. Eun.* V. 9. 15.," An me, qui ausus sim *incipere*, an fortunam, collaudem?"

8. *Vobis eadem mihi bona malaque intellexi.*] Sic Cortius; vulgo *vobis eadem, quae mihi.* Graecismum autem eo facilius probavi, quod mihi videor fontem, unde is deductus est, invenisse; *Demosth. de Cor.* 90., Τὸ ταυτὰ λυπεῖσθαι καὶ ταυτὰ χαίρειν τοῖς πολλοῖς. Harl. 8. *vobis mihi eadem.* Burn. *bona, mala,* sine copula. Ejusdem Graecismi, exempla apud *Hor. de A. P.* 467., et *Lucr.* III. 1052., IV. 1167.

9. *Idem velle atque nolle.*] *Jug.* c. 31., "Quos omnis eadem cupere, eadem odisse, eadem metuere, in unum coëgit; sed haec inter bonos amicitia est, inter malos factio." Scholiast. Harl. 4., *Dimittit Catilina in hac definitione—in rebus licitis et honestis.—Ea demum:* vide not. 9. ad c. 7. supra.

10. *Nobiles atque ignobiles.*] Harl. 10. *nobiles, ignobiles,* sine copula. — *Volgus fuimus:* Harl. 1. et 10., itemque ed. Par. 1470., *vulgus sumus,* eleganter.

11. *Ubi volunt.*] H. e., apud quos. Pronomen *illi* autem delevi, auctore Harl. 13., et adnuente 17., in quo locum mutat: sed ab Fabric. 2. quoque, scribit Cortius, eleganter abfuisse.

12. *Quousque tandem.*] *Cic. in*

tissumi viri? Nonne emori per virtutem praestat, quam vitam miseram atque inhonestam, ubi alienae superbiae ludibrio fueris, per dedecus amittere? Verum enim vero, pro deum atque hominum fidem! victoria nobis in manu: viget aetas, animus valet; contra illis, annis atque divitiis, omnia consenuerunt. Tantummodo incepto opus est; cetera res expediet. Etenim quis mortalium, cui virile ingenium, tolerare potest, illis divitias superare, quas profundant in exstruendo mari et montibus coaequandis; nobis rem familiarem etiam ad necessaria deesse? illos binas, aut amplius, domos continuare; nobis larem familiarem nusquam ullum esse? Quum tabulas, signa, toreumata emunt, nova diruunt, alia aedificant, postremo omnibus modis pecuniam trahunt, vexant, tamen summa lubidine divitias vincere nequeunt. At nobis domi inopia, foris aes alienum; mala res, spes multo asperior: denique, quid reliqui habemus praeter

---

Catil. I. 1., "*Quousque tandem* abutere, Catilina, patientia nostra?" *Liv.* VI. 18., "*Quousque tandem* ignorabitis vires vestras?"

13. *Ubi alienae superbiae ludibrio fueris.*] Haec generaliter, q. d., Nonne *cuivis* satius est per virtutem emori, quam—?

14. *Verum enim vero.*] Scholiast. Harl. 4., *Dixi* emori: *sed non moriemini, quia victores eritis.*

15. *Victoria nobis in manu.*] *Liv.* V. 20. "Dictator, quum jam *in manibus* videret victoriam esse. —." *Idem* VI. 8., "Cohortatus milites,...victoriam *in manibus* esse." Adde XXXV. 5.

16. *Omnia consenuerunt.*] Elanguerunt, contabuerunt. *Cic. de Senect.* 9., "Quamvis *consenuerint* vires atque defecerint." *Liv.* VI. 23., "Civitatis...pati *consenescere* vires."

17. *Tantummodo incepto opus est.*] *Hor. Epist.* I. 2. 40., "Dimidium facti, qui coepit, habet."

18. *Superare.*] *Cic. de Orat.* II. 19., "In quo et deesse aliquam partem, et *superare*, mendosum est."

19. *Trahunt, vexant.*] Quasi hostiliter distrahunt dilacerantque.—Supra Harl. 23. *modis omnibus.*

20. *Mala res, spes multo asperior.*] Noster infra c. 21., "Quibus...neque *res*, neque *spes* bona ulla."

miseram animam? Quin igitur expergiscimini? En, illa, illa, quam saepe optastis, libertas, praeterea divitiae, decus, gloria, in oculis sita sunt! Fortuna omnia victoribus praemia posuit. Res, tempus, pericula, egestas, belli spolia magnifica magis, quam oratio, hortentur. Vel imperatore vel milite me utimini: neque animus neque corpus a vobis aberit. Haec ipsa, ut spero, vobiscum consul agam; nisi forte animus fallit, et vos servire, quam imperare, parati estis."

XXI. Postquam accepere ea homines, quibus mala abunde omnia erant, sed neque res, neque spes bona ulla, tamen etsi illis quieta movere magna merces videbatur, tamen postulare plerique, uti proponeret, quae conditio belli foret, quae praemia armis peterent, quid ubique opis aut

---

21. *Quin —?*] Cur non: *Liv.* I. 57., "*Quin*, si vigor juventae inest, conscendimus equos?" adde XXVII. 26.—*Expergiscimini:* Terent. Adel. IV. 4. 21., "Cessatum usque adhuc est: nunc porro, Aeschine, *expergiscere.*" Noster infra c. 52., "*Expergiscimini* aliquando, et capessite rempublicam."

22. *En, illa, illa,—.*] *Cic. pro Marcell.* 9., "*Illa, illa*, inquam, vita est tua, quae vigebit memoria saeculorum omnium."

23. *In oculis.*] H. e., in conspectu, ante oculos: sic *Liv.* III. 57., XXII. 12., XXVI. 12., et alibi; item Cicero saepe.

24. *Vel imperatore, vel milite, me utimini.*] Scholiast. Harl. 4., *Posset aliquis dicere, Tu hortari nos propterea quia vis esse consul: hoc removet.* Tacit. Hist., IV. 66., "Transgredior ad vos, seu me *ducem*, seu *militem*, mavultis."

25. *Nisi forte —.*] Formula ironica praesumtionis: sic *Jug.* c. 3., "*Nisi forte* quem...lubido tenet, potentiae paucorum...libertatem suam gratificari." et c. 31., "*Nisi forte* nondum etiam dominationis eorum satietas tenet." Adde *Cic. pro Flacc.* 9., *pro Mil.* 7., et *de Fato* 16.—*Servire, quam imperare:* vide not. 1. ad c. 8. supra.

XXI. 1. *Mala abunde.*] Infra c. 58. *commeatus abunde;* Jug. c. 63. *alia omnia abunde*, et c. 102. *parentes abunde.*

2. *Quieta movere.*] Quietem reipublicae conturbare. *Liv.* XXXV. 13., "Ne quid, absente se, ab tergo *moveretur.*"

3. *Quid ubique —.*] I. e., quid opis aut spei haberent, *et ubi* (id

spei haberent. Tum Catilina polliceri tabulas novas, proscriptionem locupletium, magistratus, sacerdotia, rapinas; alia omnia, quae bellum atque lubido victorum fert. Praeterea, esse in Hispania citeriore Pisonem, in Mauretania cum exercitu P. Sittium Nucerinum, consilii sui participes: petere consulatum C. Antonium, quem sibi collegam fore speraret, hominem et familiarem et omnibus necessitudinibus circumventum; cum eo consulem initium agendi facturum. Ad hoc, maledictis increpat omnis bonos: suorum

---

haberent): sic infra c. 27., et *Jug.* c. 52. Eademque ratione c. 23., " Quae, *quoque modo*, audierat, compluribus narravit."

4. *Quae bellum atque lubido victorum fert.*] Quae bellum *affert, parit, secum trahit;* atque libido victorum *amat, vult, cupit.* Ita verbum *fert* dupliciter intelligendum existimo, per Syllepsin. *Terent. Adel.* I. 1. 28., " Quae *fert* adolescentia, ea ne me celet, consuefeci filium." *Idem Heaut.* III. 3. 12., " Multa *fert* lubido."

5. *Pisonem.*] Cujus ad mortem usque digressus est Sallustius supra c. 19.—Infra *consilii sui participes:* Harl. 23. delet *sui.*

6. *Quem sibi collegam fore speraret.*] Apud socios concionans Catilina non dubitabat, quin esset ipse quidem consulatum assequuturus: id tantummodo laborabat, ut collegam idoneum haberet.

7. *Cum eo consulem.*] Cortius, unicum codicem sequutus, delevit *cum* et *eo* pro adverbio capit, interpretans, " Quique propterea (Antonius), si consul declaratus esset, per se initium facturus esset rerum, quae conjuratio cuperet, caedis nempe, proscriptionis, aliarumque." Quasi vero Catilina, qui modo consulatus ipse securus de collega laborabat, nunc subito desperans esset primas partes Antonio concessurus. Quam interpretationem eventus ipse satis retundit: nam, consulibus declaratis M. Tullio et Antonio, ea res dicitur primum conjurationem labefactasse: adeo parum praesidii in Antonio esse credebant. Pronomen autem *se*, quod, cod. satis multis auctoribus, Cortius delevit, non lubet mihi revocare: neque, id ut adsit, nomen appositum *consulem* postulat: supra c. 20., " Haec ipsa, ut spero, vobiscum *consul* agam." *Jug.* c. 16., " L. Opimius, homo clarus, et tum in senatu potens, quia, *consul*, C. Gracco et M. Fulvio Flacco interfectis, acerrume victoriam nobilita-

unumquemque nominans laudare: admonebat alium egestatis, alium cupiditatis suae, complures periculi aut ignominiae, multos victoriae Sullanae, quibus ea praedae fuerat. Postquam omnium animos alacris videt, cohortatus, ut petitionem suam curae haberent, conventum dimisit.

XXII. Fuere ea tempestate, qui dicerent, Catilinam, oratione habita, quum ad jusjurandum popularis sceleris sui adigeret, humani corporis sanguinem, vino permixtum, in pateris circumtulisse; inde, quum post exsecrationem omnes degustavissent, sicuti in sollemnibus sacris fieri consuevit, aperuisse consilium suum; atque eo fecisse, quo inter se fidi magis forent, alius alii tanti facinoris conscii. Nonnulli ficta haec, multa praeterea, existumabant ab iis, qui Ciceronis invidiam, quae postea orta est, leniri credebant atroci-

---

tis in plebem exercuerat." Adde *ibid.* c. ult. extr.

8. *Laudare; admonebat.*] Vide not. 2. ad c. 16. supra.

9. *Curae haberent.*] Coel. apud *Cic. ad Fam.* VIII. 8., "Eos tibi et rem, de qua misi, velim *curae habeas.*" *Plaut. Men.* V. 7. 1., "Per ego vobis deos atque homines dico, ut imperium meum Sapienter *habeatis curae.*" Adde *Liv.* XLIII. 1.

XXII. 1. *Popularis sceleris sui.*] Socios: sic infra c. 24. *popularis conjurationis.*

2. *Atque eo fecisse, quo—.*] Vulgo *atque eo dictitare fecisse*, quod ante Cortium frustra tentaverant interpretes: hic autem docuit *dictitare* esse pro *dictitabant* (quod in Harl. 20. etiam scriptum est) interpositum, et quum illud *fuere, qui dicerent* tantum periphrasis sit pro *nonnulli dicebant*, quumque soleat Noster modos mutare atque ipsa orationis varietate gaudere, omnia bene se habere pronuntiavit. Tamen viderat idem in cod. tribus quatuorve originem mali, *atque eo dictam rem fecisse.* Nimirum ex supplemento *dictā rē* primo temere conflatum fuerat *dictare*, quod in cod. septem reperit Cortius, et expressit Aldus: hoc autem librarii, dum frustra sese expedire conantur, tandem in *dictitare* immutaverunt. Nec potuit res manifesta Cortium latere; sed perpulit novitas illius expositionis suae, ut veritati obniteretur.

3. *Ciceronis invidiam.*] *Liv.* XL. 5., "Hujus atrocitas facinoris novam velut flammam *regis invidiae* adjecit."

tate sceleris eorum, qui poenas dederant. Nobis ea res pro magnitudine parum comperta est.

XXIII. Sed in ea conventione fuit Q. Curius, natus haud obscuro loco, flagitiis atque facinoribus coopertus, quem censores senatu probri gratia amoverant. Huic homini non minor vanitas quam audacia: neque reticere, quae audierat, neque suamet ipsius scelera occultare; prorsus neque dicere, neque facere, quidquam pensi habebat. Erat ei cum Fulvia, muliere nobili, stupri vetus consuetudo: cui quum minus gratus esset, quia inopia minus largiri poterat, repente glorians maria montisque

---

XXIII. 1. *In ea conventione.*] Supra c. 17., "Eo *convenere.*"

2. *Amoverant.*] *Cic. de Harusp. Resp.* 20., "Quaestorem a sua frumentaria procuratione Senatus *amovit.*"

3. *Vanitas.*] Levitas, inconstantia: supra c. 20. *vana ingenia.*

4. *Suamet ipsius scelera.*] Sic Harl. 1., unice vere; vulgo *suamet ipse;* M. S. plures *suamet ipsa. Liv.* VII. 38., "Neque immerito *suum ipsorum* exemplum in eos versurum." X. 16., "Omnia expertos esse, si *suismet ipsorum* viribus tolerare tantam molem belli possent." XXVIII. 19., "Non dux unus aut plures principes oppidanos, sed *suus ipsorum* ex conscientia culpae metus ad defendendam impigre urbem hortatur." XXXIII. 20., "In se quoque ac *suum ipsius* caput exsecratus." Similiter *Idem* II. 8., "Ut *sua unius* in his gratia esset." VI. 23., "Bella *suo unius* auspicio gesta." VII. 9., "Ut *noster duorum* eventus ostendat, utra gens bello sit melior." et c. 40., "Quod *meum* factum dictumve *consulis* gravius, quam *tribuni,* audistis?" VIII. 7., "Ut *nostro duorum* jam hinc eventu cernatur, quantum eques Latinus Romano praestet." XXVIII. 28., "*Meo unius* funere elata populi Romani esset respublica?" *Terent. Heaut.* I. 1. 76., "Hem! tot *mea Solius* solliciti sint causa?" *Cic. ad Att.* XI. 15., "*Solius meum* peccatum corrigi non potest."

5. *Neque dicere, neque facere, —.*] *Liv.* XXVI. 15., "Queis, neque quid facerent, neque quid dicerent, quidquam umquam pensi fuisset." Idem XLIII. 7., "Quibus nihil neque dicere pensi, neque facere."

6. *Maria montisque polliceri.*]

polliceri coepit; minari interdum ferro, nisi obnoxia foret; postremo ferocius agitare, quam solitus erat. At Fulvia, insolentiae Curii causa cognita, tale periculum reipublicae haud occultum habuit; sed, sublato auctore, de Catilinae conjuratione quae quoque modo audierat, compluribus narravit. Ea res in primis studia hominum accendit ad consulatum mandandum M. Tullio Ciceroni. Namque antea pleraque nobilitas invidia aestuabat, et quasi pollui consulatum credebant, si eum, quamvis egregius, homo novus adeptus foret. Sed ubi periculum advenit, invidia atque superbia post fuere.

XXIV. Igitur, comitiis habitis, consules declarantur M. Tullius et C. Antonius; quod factum primo popularis conjurationis concusserat. Neque tamen Catilinae furor

---

Terent. Phorm. I. 2. 18., "Modo non *montes auri* pollicens."

7. *Quam solitus erat.*] Hanc appendicem Harl. 14. abjecit; recte, credo, quum praesertim continuo fere sequatur *insolentiae.*

8. *Occultum habuit.*] H. e., *occultavit:* sic infra c. 58. *compertum habeo* pro *comperi*, et *Jug.* c. 10. *falsum habuit* pro *fefellit.*

9. *De Catilinae conjuratione.*] Harl. 8. delet *Catilinae*, recte: 23. *de conj. C.*—*Quae quoque modo:* vide not. 3. ad c. 21. supra.

10. *Studia hominum accendit.*] *Jug.* c. 6., "*Studia* Numidarum in Jugurtham *accensa.*" ubi Tacitum adscripsi.—*Ad consulatum mandandum:* vide not. 9. ad c. 13. supra. *Mandare*, h. e., quasi *manu dare*, tradere: *Jug.* c. 73., "Post multas tempestates novo homini consulatus *mandatur.*"

11. *Aestuabat, et... credebant.*] Vide not. 6. ad c. 7. supra.

12. *Quamvis egregius.*] Quantumvis. *Tacit. Hist.* I. 26., "Consilii, *quamvis* egregii, quod non ipse afferret, inimicus." *Ibid.* c. 38., "Vestra virtus exspectatur, apud quos omne honestis consiliis robur, et sine quibus, *quamvis* egregia, invalida sunt." Adde IV. 8.

13. *Homo novus.*] Nullius prosapiae, verum tamen per se ipse nobilitatem assequutus.

14. *Post fuere.*] Posthabita sunt.

XXIV. 1. *Concusserat.*] Labefactaverat. *Tacit. Hist.* V. 25., "*Concussa* Transrhenanorum fide."

minuebatur: sed in dies plura agitare; arma per Italiam locis opportunis parare; pecuniam, sua aut amicorum fide sumtam mutuam, Faesulas ad Manlium quemdam portare, qui postea princeps fuit belli faciundi. Ea tempestate plurimos cujusque generis homines adscivisse dicitur; mulieres etiam aliquot, quae primo ingentis sumtus stupro corporis toleraverant: post, ubi aetas tantummodo quaestui, neque luxuriae, modum fecerat, aes alienum grande conflaverant: per eas se Catilina credebat posse servitia urbana sollicitare, urbem incendere, viros earum vel adjungere sibi, vel interficere.

XXV. Sed in his erat Sempronia, quae multa saepe virilis audaciae facinora commiserat. Haec mulier genere atque forma, praeterea viro, liberis, satis fortunata: literis Graecis atque Latinis docta: psallere, saltare elegantius, quam necesse est probae: multa alia, quae instrumenta

---

2. *Neque tamen Catilinae furor minuebatur.*] Pronuntiat *Acidalius* ad *Vellei.* I. 8., e vetustis membranis quibusdam (unum membranaceum codicem intelligendum puto), quas contulerit ipse, *minuebat* rescribendum: et absolute *Caesar de B. G.* III. 12., *minuente aestu:* sed nihil monuit ille de altero Sallustii loco, qui eadem egeret medicina, *Jug.* c. 20., "Neque eo magis cupido Jugurthae *minuebatur.*"

3. *Sumtam mutuam.*] *Cic. Phil.* X. 11., "Pecunias, a quibus videatur, ad rem militarem *mutuas sumat.*"

4. *Tantummodo..., neque—.*] *Jug.* c. 50., "Ipsi *modo* eminus sauciabantur, *neque* contra feriundi ...copia erat." et c. 88., "Quae postquam gloriosa *modo*, *neque* belli patrandi, cognovit,—." Mox Harl. 4., 8., 12., *per has.*

5. *Sollicitare.*] *Liv.* XXI. 2., "Cum hoc Hasdrubale, quia mirae artis in *sollicitandis* gentibus imperioque jungendis suo fuerat, foedus renovaverat populus Romanus." *Idem ib.* c. 19., 21., 25., 45., 48., 49.: Noster infra c. 28., 36., 39., 50.

XXV. 1. *Multa saepe.*] Harl. 5. delet *saepe.*

2. *Viro.*] D. Bruto: infra c. 40.

3. *Psallere, saltare, ... multa*

luxuriae. Sed ei cariora semper omnia, quam decus atque pudicitia fuit: pecuniae an famae minus parceret, haud facile decerneres: lubido sic accensa, ut saepius peteret viros, quam peteretur. Sed ea saepe antehac fidem prodiderat, creditum abjuraverat, caedis conscia fuerat, luxuria atque inopia praeceps abierat. Verum ingenium ejus haud absurdum: posse versus facere, jocum movere, sermone uti vel modesto, vel molli, vel procaci: prorsus multae facetiae, multusque lepos inerat.

XXVI. His rebus comparatis, Catilina nihilo minus in proxumum annum consulatum petebat; sperans, si desig-

---

alia.] Haec omnia ad *docta* referenda: vide not. 1. ad c. 16. supra.

4. *Cariora...omnia, quam...pudicitia fuit.*] Ita saepe verbum propiori nomini aptatur. *Jug.* c. 50. "Sin opportunior fugae collis, quam *campi fuerant.*" Livius IX. 8., "Nec quidquam ex ea (sponsione), praeterquam *corpora* nostra *debentur* Samnitibus." *Idem* X. 26. "Tanta laetitia ac gratulatio fuit, ut praeciperetur victoria animis, triumphusque, non *bellum decretum* consulibus videretur."

5. *Pecuniae, an famae,——.*] Ellipsis particulae dubitativae *ne* Sallustio usitatissima: sic infra c. 52., "Non id agitur, bonis *an* malis moribus vivamus;...sed cujus haec cumque modi nostra, *an*, nobiscum una, hostium, futura sint." adde *Jug.* c. 24., 31., 38., 46., 70., 85., 95. bis, 108., 109., 113.

6. *Decerneres.*] Ita Cortius contra codices, rationibus Gronovii motus; vulgo *discerneres:* exempla verbi illius apud *Liv.* I. 23., V. 55., VIII. 23., XXI. 4., XXV. 18.

7. *Praeceps abierat.*] Infra c. 37. *praeceps ierat.*

8. *Ingenium ejus haud absurdum.*] "*Tacit. Ann.* XIII. 45.," "Sermo comis, nec absurdum ingenium: modestiam praeferrae, et lascivia uti."

9. *Jocum movere.*] *Hor. Epist.* I. 19. 19., "O imitatores, servum pecus, ut mihi saepe Bilem, saepe *jocum*, vestri *movere* tumultus!" *Cic. ad Att.* VI. 3., *movere risum.*

XXVI. 1. *His rebus comparatis.*] Quum arma et pecuniam (c. 24.) ad bellum faciendum furibundus parasset, tamen optimum factu existimabat tertiae petitionis eventum experiri.

natus foret, facile se ex voluntate Antonio usurum. Neque tamen interea quietus erat, sed omnibus modis insidias parabat Ciceroni. Neque illi ad cavendum dolus aut astutiae deerant. Namque, a principio consulatus sui, multa pollicendo per Fulviam effecerat, ut Q. Curius, de quo paulo ante memoravi, consilia Catilinae sibi proderet. Ad hoc, collegam suum Antonium pactione provinciae perpulerat, ne contra rempublicam sentiret; circum se praesidia amicorum atque clientium occulte habebat. Postquam dies comitiorum venit, et Catilinae neque petitio, neque insidiae, quas consuli fecerat, prospere cessere, constituit bellum facere, et extrema omnia experiri, quo-

---

2. *Neque tamen interea quietus erat.*] Reposui *tamen* ex Harl. 10.; idemque adverbium, hinc male transpositum, infra delevi, *Neque illi* [tamen] *ad cavendum*—, auctoribus Harl. 3. et Regio; quamquam jam diu delevit Ascensius: Harl. 4. *Neque tamen illi*— ; isque errorem manifestum magis ostendit.

3. *Sibi proderet.*] Pronomen ab Harl. 15. abest.

4. *Pactione provinciae.*] Scilicet Antonio, homini egenti, locupletem ac refertam provinciam Macedoniam concesserat, Gallia cum eo commutata: de qua re ipse in orat. *in Pison.* c. 2., "Ego Antonium collegam, cupidum provinciae, multa in republica molientem, patientia atque obsequio meo mitigavi."

5. *Perpulerat.*] *Jug.* c. 38., "Denique Aulum spe pactionis *perpulit*, uti,—." *Liv.* VIII. 16., "*Perpulit* imperatorem, ut vino epulisque sopitos hostes aggrederetur."

6. *Quas consuli fecerat.*] Cortius *quas consulibus in campo fecerat*, quomodo Harl. 1. et 2.: *consulibus* autem de Cicerone pariter et *designatis* interpretatur; quasi vero Sallustius rem talem tam breviter tamque obscure tetigisset. At lectionis istius originem adspice:— *Cic. in Catil.* I. 5., "Quum proximis comitiis consularibus *me consulem in campo, et competitores tuos*, interficere voluisti,—." Harl. 9., 13., 21., *q. consuli in campo f.*; ceteri omnes vulgatam servant; neque est Sallustius Ciceronianis additamentis augendus.

7. *Extrema omnia experiri.*]

niam, quae occulte tentaverat, aspera foedaque evenerant.

XXVII. Igitur C. Manlium Faesulas atque in eam partem Etruriae, Septimium quemdam, Camertem, in agrum Picenum, C. Julium in Apuliam, dimisit; praeterea alium alio, quem ubique opportunum credebat. Interea Romae multa simul moliri: consuli insidias tendere, parare incendia, opportuna loca armatis hominibus obsidere: ipse cum telo esse, item alios jubere; hortari, uti semper intenti paratique essent: dies noctesque festinare, vigilare; neque insomniis neque labore fatigari. Postremo, ubi agitanti nihil procedit, rursus intempesta nocte conjurationis principes convocat per M. Porcium Laecam; ibique, multa de ignavia eorum questus, docet, se Manlium praemisisse ad eam multitudinem, quam ad capiunda arma paraverat; item alios in alia loca op-

---

Virg. Aen. II. 349., "Audentem *extrema*." Liv. II. 28., "Prius itaque, quam *ultima* experirentur, senatum iterum consulere placuit." *Id.* III. 2., "Aequos...desperatio ...*ultima* audere et experiri cogebat." *Tacit. Hist.* II. 46., "Ipsos *extrema* passuros ausurosque."

8. *Aspera foedaque evenerant.*] Infra c. 52., "Bene consulendo *prospera* omnia *cedunt*." Jug. c. 63., "Cuncta *prospera eventura*."

XXVII. 1. *Cum telo esse.*] Infra c. 49., Qui praesidii causa *cum telis erant* circum Concordiae."— *Item alios jubere.* sc. cum telo esse. *Jug.* c. 100., "Ipse armatus intentusque; *item* milites cogebat."

2. *Ubi agitanti nihil procedit.*] Sic ed. Venetae et Mediol.: vulgo *multa agitanti*, ex illis antecedentibus scilicet, *multa simul moliri*, repetito *multa;* id autem potius ex *nihil* tacite intelligendum.

3. *Quam...paraverat.*] Poscit obliqua oratio *paraverit* vel *parasset;* quamquam hanc rem alibi neglexit Sallustius: ut supra c. 17., "Quia Cn. Pompeius, invisus ipsi, magnum exercitum *ductabat*, cujusvis opes voluisse contra illius potentiam crescere." et *Jug.* c. 38., "Tametsi ipsum cum exercitu fame, ferro, clausum *tenet*, tamen se—." et c. 54., "Hortatur, ad cetera, quae levia *sunt*, parem animum gerant." adde c. 63. et 106. Sed ego quidem omnia illa *ad eam mul-*

portuna, qui initium belli facerent; seque ad exercitum proficisci cupere, si prius Ciceronem oppressisset: eum suis consiliis multum obficere.

XXVIII. Igitur, perterritis ac dubitantibus ceteris, C. Cornelius, eques Romanus, operam suam pollicitus, et cum eo L. Vargunteius, senator, constituere ea nocte paulo post cum armatis hominibus, sicuti salutatum, introire ad Ciceronem, ac de improviso domi suae imparatum confodere. Curius, ubi intellegit quantum periculum consuli impendeat, propere per Fulviam dolum, qui parabatur, enuntiat. Ita illi, janua prohibiti, tantum facinus frustra susceperant. Interea Manlius in Etruria plebem sollicitare, egestate simul ac dolore injuriae novarum rerum cupidam,

---

titudinem, quam ad capiunda arma paraverat, interpolationem inveteratam existimo, videlicet ex literis postea in senatu recitatis (infra c. 30.), "C. Manlium arma cepisse cum magna multitudine, etc.," derivatam. Poterat certe Catilina in convocatione principum conjurationis, quibuscum credibile est nonnihil consilii fuisse jam antea communicatum, satis significanter dicere, se Manlium *praemisisse;* quum praesertim continuo fere dicturus esset, se cupere et ipsum *ad exercitum* proficisci. Profecto brevitatem Sallustianam illam nobilitatam hic frustra quaesiveris.

XXVIII. 1. *Ea nocte paulo post.*] Paulo ante lucem: nimirum nocte intempesta convenerant.

2. *Cum armatis hominibus.*] Harl. 6., 8., 11., *cum armatis militibus;* ex quo intelligendum, Sallustium absolute posuisse *armatis*, ut supra c. 18., "Nondum frequentes *armati* convenerant."

3. *Sicuti salutatum.*] *Martial.* IV. 8., "Prima salutantes atque altera continet hora." *Cic. pro Sull.* 18., "Tunc tuus pater, Corneli,... illam sibi officiosam provinciam depoposcit, ut, quum prima luce consulem salutatum venisset, intromissus meo more et jure amicitiae, me in meo lectulo trucidaret."

4. *Quantum periculum.*] Cort. *periculi*, librarii emendatiuncula recepta.—*Dolum...enuntiat:* vulgo *Ciceroni dolum*—; Cort. autem codicem M. S. sequutus delevit, et sincerus evasit Harl. quoque nonus.

5. *Sollicitare.*] Vide not. 5. ad c. 24. supra.

quod Sullae dominatione agros bonaque omnia amiserant; praeterea latrones cujusque generis, quorum in ea regione magna copia erat; nonnullos ex Sullanis colonis, quibus lubido atque luxuria ex magnis rapinis nihil reliqui fecerant.

XXIX. Ea quum Ciceroni nuntiarentur, ancipiti malo permotus, quod neque urbem ab insidiis privato consilio longius tueri poterat, neque, exercitus Manlii quantus aut quo consilio foret, satis compertum habebat, rem ad senatum refert, jam antea volgi rumoribus exagitatam. Itaque, quod plerumque in atroci negotio solet, senatus decrevit, DARENT OPERAM CONSULES, NE QUID RESPUBLICA DETRIMENTI CAPERET. Ea potestas per senatum, more Romano, magistratui maxuma permittitur; exercitum parare, bellum gerere, coërcere omnibus modis socios atque civis, domi militiaeque

---

6. *Amiserant.*] Sic Harl. 1., 15., 16., 23., quatuor Cortiani, Leid. H., atque ed. Romana 1470.; vulgo *amiserat.*

XXIX. 1. *Ancipiti malo.*] Duplici. *Tacit. Agric.* 26., "Ita *ancipiti malo* territi Britanni." *Liv.* II. 24., "Curia moesta ac trepida *ancipiti* metu, et ab cive et ab hoste." *Idem.* VI. 33., "Quum *anceps* hostis, et a fronte et a tergo, urgeret." alibi passim. Noster *Jug.* c. 38. et 67.

2. *Exagitatam.*] Parum dignitati senatus consulere videtur Cortius, refingens *exagitatum*, "ut ad *Senatum* exagitatum et motum rumoribus de Catilinae conjuratione, pertineat." Immo vero senatum decebat, ad rem usque relatam, in diligentia cautissimi consulis acquiescentem, vulgi rumoribus surdas aures praebere.

3. *Ne quid resp. detrimenti caperet.*] Quae forma senatusconsulti, inquit *Livius* III. 4., ultimae semper necessitatis habita est. Vide *Cic. in Catil.* I. 2., *pro Mil.* 26., *Phil.* V. 12.

4. *Ea potestas ... maxuma permittitur.*] Intellige cum Gronovio et Cortio casum sextum *Ea*, sc. *forma senatusconsulti.* Harl. 23. *perm. maxima.*

5. *Exercitum parare.*] Zeugma intelligit Cortius, ut repetendum sit *permittitur:* supra autem ad c. 16. n. 2., itemque ad *Jug.* c. 108. n. 2., monuit idem huc ex inferioribus pertrahi posse *jus est.* Equidem infinitivos hos omnes, *parare*, *gerere*, etc., censeo pro gerundiis

imperium atque judicium summum habere: aliter, sine populi jussu, nulli earum rerum consuli jus est.

XXX. Post paucos dies L. Saenius, senator, in senatu literas recitavit, quas Faesulis adlatas sibi dicebat; in quibus scriptum erat, C. Manlium arma cepisse, cum magna multitudine, ante diem VI. calendas Novembris. Simul, id quod in tali re solet, alii portenta atque prodigia nuntiabant; alii conventus fieri, arma portari, Capuae atque in Apulia servile bellum moveri. Igitur senati decreto Q. Marcius Rex Faesulas, Q. Metellus Creticus in Apuliam circumque loca, missi; ii utrique ad urbem imperatores erant, impediti, ne triumpharent, calumnia paucorum, quibus omnia honesta atque inhonesta vendere mos erat: sed praetores, Q. Pompeius Rufus Capuam, Q. Metellus Celer in agrum Picenum; iisque permissum, uti pro tempore atque periculo exercitum compararent. Ad hoc, si quis indicavisset de conjuratione, quae contra rempublicam facta erat, praemium, servo libertatem et sestertia centum, libero impunitatem ejus rei et

---

ad *potestas* referendos: vide not. 6., ad c. 13. supra.

6. *Aliter.*] Alioqui: sic infra c. 44.: adde *Cic. Orat.* 68. extr., *ad Fam.* VI. 19., *de Off.* I. 39., II. 12., *de Amic.* 20.

7. *Nulli.*] Pro *nullius*: sic *Jug.* c. 97. *nullo* pro *nulli.* Absolute autem *nulli* pro *nullae* (rei). *Horat Serm.* I. 9. 4., "*Quid* agis, dulcissime, *rerum?*" Idem de Arte Poët. 49., "*abdita rerum.*" alibi saepe. Gifanius tamen, *Collect. in Lucret.* voce *unae*, legendum censet *nullae.*

XXX. 1. *Ante diem VI. calend. Nov.*] Die VI. ante c. N.: quid valeat formula, satis constat; quomodo autem orta eadem fuerit, non item: videas tamen *Forcellinum* in *ante.*

2. *Ad urbem.*] Scilicet triumphum postulantibus, imperio nondum deposito, urbem ingredi non licebat. Horum autem alter in Cilicia bellum contra piratas gesserat, alter Cretam subegerat, proconsul uterque.

3. *Impunitatem ejus rei.*] Regius et Harl. 18. *hujus rei;* 12. *imp.*

sestertia ducenta, decrevere: item, uti gladiatoriae familiae Capuam et in cetera municipia distribuerentur pro cujusque opibus; Romae per totam urbem vigiliae haberentur, iisque minores magistratus praeessent.

XXXI. Quibus rebus permota civitas, atque immutata urbis facies: ex summa laetitia atque lascivia, quae diuturna quies pepererat, repente omnis tristitia invasit: festinare, trepidare; neque loco neque homini cuiquam satis credere; neque bellum gerere, neque pacem habere; suo quisque metu pericula metiri. Ad hoc, mulieres, quibus reipublicae magnitudine belli timor insolitus, adflictare sese; manus supplices ad coelum tendere; miserari parvos liberos; rogitare; omnia pavere; superbia atque deliciis omissis, sibi patriaeque diffidere. At Catilinae crudelis animus eadem illa movebat, tamen etsi praesidia parabantur, et ipse

---

rei, sine pronomine; 13. *imp. ejus* et 16. *imp. hujus*, absolute; at 15. nude *impunitatem*.

4. *Decrevere: item*, —.] Ita, transposito verbo *decrevere*, locum optime constituit vir doctissimus, idemque praeceptor meus, *R. J. Bryce:* Cortius autem id verbum frustra suspectum habuit, quasi huc usque pertineret vis *senatus decreti;* uncisque inclusit. Infra Harl. 13. delet *Romae*.

XXXI. 1. *Quae ... pepererat.*] Vide not. 9. ad c. 5. supra.

2. *Neque homini cuiquam satis credere.*] Cort. *nec*, ex unico. Harl. 1. autem delet *cuiquam satis*, eleganter, etsi easdem voces adhibuit Noster *Jug.* c. 72.

3. *Mulieres*, etc.] *Liv.* XXVI. 9., "Ploratus mulierum non ex privatis solum domibus exaudiebatur; sed undique matronae, in publicum effusae, circa deum delubra discurrunt, crinibus passis aras verrentes, nixae genibus, supinas manus ad coelum ac deos tendentes, orantesque, ut urbem Romanam e manibus hostium eriperent, matresque Romanas et liberos parvos inviolatos servarent."

4. *Insolitus.*] Vulgo *insolitus incesserat:* Harl. 8. *incesserat insolitus;* 15. *insolitus erat:* recte ergo Cortius, judicio suo usus, istud additamentum abjecit.

5. *Eadem illa.*] Sc. quae antea: vide c. 27.—*Movebat:* Liv. XXIII.

lege Plautia interrogatus ab L. Paulo. Postremo dissimulandi causa atque sui expurgandi, sicuti jurgio lacessitus foret, in senatum venit. Tum M. Tullius, consul, sive praesentiam ejus timens, sive ira commotus, orationem habuit luculentam atque utilem reipublicae, quam postea scriptam edidit. Sed, ubi ille adsedit, Catilina, ut erat paratus ad dissimulanda omnia, demisso voltu, voce supplici postulare, Patres conscripti ne quid de se temere crederent: ea familia ortum, ita ab adolescentia vitam instituisse, ut omnia bona in spe haberet: ne aestumarent, sibi, patricio homini, cujus ipsius atque majorum plurima beneficia in plebem Ro-

---

39., " Prius se aestas circumegit, quam *movere* ac moliri quidquam rex posset."

6. *Jurgio.*] Intellige interrogationem L. Pauli. *Tacit. Ann.* XIV. 49., " Optimum quemque *jurgio* lacessens." Ponitur autem *jurgium* (ab *jure agendo*, Varr. de L. L. VI. 5.) pro frivola aliqua criminatione. — Harl. 16. delet *foret*.

7. *Sive..., sive* —.] Cort. *sive..., seu* —, ut idem supra n. 2. *neque..., nec* —, et quidem ex eodem codice: a quo iterum dissensi, non quo formulas ipsas improbem, sed quia, insequente vocali, integrae particulae, *atque*, *neque*, *neve*, *sive*, elegantius adhibentur.

8. *Ut erat paratus* —.] Quippe qui —. Sic Noster *Jug.* c. 7., " *Ut* erat impigro atque acri ingenio." *Cicero* saepe: vide *pro Rosc. A.* 12., *in Caecil.* 9., *pro Cluent.* 26., *pro Mur.* 25., *in Pis.* 25., *Tusc.* I. 8., 45., V. 32., *de Off.* III. 14. (bis): *Livius*, *Tacitus*, passim.

9. *Ut omnia bona* —.] Harl. 1. et 5. deest *bona*.—*In spe haberet*: speraret. *Tacit. Ann.* XIII. 18., " Nomina et virtutes nobilium...*in honore habere*." Liv. XL. 4., " Theoxena, ... tamquam omnes ipsa enisa foret, suum sororisque filios *in eadem habebat cura*."

10. *In plebem Romanam.*] Credunt Gruterus et Cortius errorem esse, ex compendio scripturae ortum, rescribendumque censent alter *in populum R.*, alter *in rempublicam* et mox delendum *republica*. Mihi autem haud verisimile videtur, librarios fuisse omnes uno modo erraturos; nec displicet vulgatum: perinde ac si addidisset Catilina— *ad quam partem civitatis respublica maxime pertineret*.

manam essent, perdita republica opus esse, quum eam servaret M. Tullius, inquilinus civis urbis Romae. Ad hoc maledicta alia quum adderet, obstrepere omnes, hostem atque parricidam vocare. Tum ille furibundus: "Quoniam quidem circumventus," inquit, "ab inimicis praeceps agor, incendium meum ruina restinguam."

XXXII. Deinde ex curia domum proripuit: ibi multa secum ipse volvens, quod neque insidiae consuli procedebant, et ab incendio intellegebat urbem vigiliis munitam; optumum factum credens exercitum augere, ac prius, quam legiones scriberentur, antecapere quae bello usui forent,

---

11. *Hostem atque parricidam.*] Conf. *Tacit. Ann.* XV. 73., et *Hist.* I. 85.

12. *Quoniam quidem circumventus, inquit, —.*] Alienum esse *inquit* codicum varietas facile probabit: nam Harl. 4., 5., 10., 20., 23., *furibundus inquit;* 11. *inquit furibundus;* 2. *quoniam quidem, inquit;* 16. *ab inimicis, inquit:* ceteri, ut vulgo. Istud autem et talia ab librariis passim infarta docet *Drakenb.* ad *Liv.* XXIII. 45. 6.

13. *Incendium meum ruina restinguam.*] Id quod jam paucis diebus ante Catoni, judicium minitanti, respondisse memorat Cicero: *pro Mur.* c. 25., "Si quod esset in suas fortunas incendium excitatum, id se non aqua, sed ruina, restincturum."

XXXII. 1. *Deinde... proripuit.*] Vulgo *Dein se* —: scripti fere *Deinde se;* Harl. 10. et 17. *Deinde ex curia se*—; at 18. pronomen non agnoscit, *proripuit* autem in *prorupit* immutatum est. *Virg. Aen.* V. 741., "Aeneas, Quo, deinde, ruis? quo *proripis?* inquit." *Livius* XLIV. 6., "Quo nuntio quum pavidus exsiluisset e solio, victum se sine proelio, clamitans *proripuit.*" Firmat emendationem Pseudo-*Dictys* II. 24., "Omnes, qui aderant, inquietum ac seditiosum Antimachum pronuntiantes, *e curia projecere.*"

2. *Insidiae consuli.*] Quas consuli struxerat: vide *Perizon.* ad *Sanctii Minerv.* IV. 4. 12. Mox Harl. 4. et 19. delent *vigiliis;* defendit Cortius.

3. *Optumum factum.*] Vetuste, pro *opt. factu,* vel pro absoluto *optumum:* sic infra c. 55., 57., et alibi.

4. *Antecapere.*] Sic Cort., deleto *multa;* et probe factum testatur Harl. 10.—Mox Harl. 1. delet *cum paucis.*

nocte intempesta cum paucis in Manliana castra profectus est. Sed Cethego atque Lentulo, ceterisque, quorum cognoverat promtam audaciam, mandat, quibus rebus possent, opes factionis confirment, insidias consuli maturent, caedem, incendia, aliaque belli facinora parent: sese prope diem cum magno exercitu ad urbem accessurum. Dum haec Romae geruntur, C. Manlius ex suo numero ad Marcium Regem mittit, cum mandatis hujuscemodi:

XXXIII. "Deos hominesque testamur, imperator, nos arma neque contra patriam cepisse, neque quo periculum homini faceremus, sed uti corpora nostra ab injuria tuta forent; qui, miseri, egentes, violentia atque crudelitate foeneratorum, plerique patriae, omnes fama atque fortunis expertes sumus: neque cuiquam nostrum licuit, more majorum, lege uti, neque, amisso patrimonio, liberum corpus habere; tanta saevitia foeneratorum atque praetoris fuit. Saepe majores vestrum, miseriti plebis Romanae, decretis suis inopiae opitulati sunt: ac novissume, memoria nostra, propter magnitudinem aeris alieni, volentibus omnibus bonis, argentum aere solutum est. Saepe ipsa plebes, aut domi-

---

5. *Ex suo numero.*] Ex suis: sic infra c. 42. *ex eo numero*, pro *ex iis*. Intelligendum autem *quosdam:* Jug. c. 93., "Marius cum Ligure, promissa cognitum, *ex praesentibus* misit." *Liv.* IX. 36., "Tum *ex iis*, qui aderant,...speculatum se iturum professus." Et recte Cort. expulit *legatos*.

XXXIII. 1. *Neque quo periculum homini faceremus.*] Homini, h. e., cuiquam mortalium. Ita Cort.; vulgo *aliis*.

2. *Plerique patriae, omnes fama—.*] Particulam *sed*, quam jam Gruterus censuit elegantius abfuturam, Harl. 11. conjecturam viri doctissimi probante, delevi. Amat autem Sallustius ita casus diversos, *patriae—fama—*, conjungere: sic *Jug.* c. 74., "Romani signorum et armorum *aliquanto numero*, *hostium paucorum*, potiti." et c. 84., "Plerosque *militiae*, paucos *fama*, cognitos, accire." alibi.

3. *Neque, amisso patrimonio,—.*] Exegetice: *ut, amisso patrimonio, liberum corpus haberemus.*

4. *Argentum aere solutum est.*] E. g., pro sestertio quoque asse repenso.

nandi studio permota aut superbia magistratuum, armata a patribus secessit. At nos non imperium neque divitias petimus, quarum rerum causa bella atque certamina omnia inter mortalis sunt; sed libertatem, quam nemo bonus, nisi cum anima simul, amittit. Te atque senatum obtestamur, consulatis miseris civibus; legis praesidium, quod iniquitas praetoris eripuit, restituatis; neve eam necessitudinem imponatis, ut quaeramus, quonam modo ulti maxume sanguinem nostrum pereamus."

XXXIV. Ad haec Q. Marcius: Si quid ab senatu petere vellent, ab armis discedant, Romam supplices proficiscantur: ea mansuetudine atque misericordia senatum populumque Romanum semper fuisse, ut nemo umquam ab eo frustra auxilium petiverit. At Catilina ex itinere plerisque consularibus, praeterea optumo cuique, literas mittit: Se, falsis criminibus circumventum, quoniam factioni inimicorum resistere nequiverit, fortunae cedere, Massiliam in exsilium proficisci; non quo sibi tanti sceleris conscius, sed uti respublica quieta foret, neve ex sua contentione

---

5. *Quam nemo bonus, nisi—.*] Harl. 5. breviter, *quam bonus simul cum anima amittit.* An ergo scribendum *quam bonus, nisi cum anima simul amittit?* Nimirum *nisi pro nonnisi:* ut *Jug.* c. 54., "Videt... bellum renovari, quod *nisi* ex illius lubidine geri posset." ubi vide. Septimus autem delet *simul.*

6. *Necessitudinem imponatis.*] *Cic. pro Sull.* 12., *necessitatem imponere;* adde *ad Att.* IV. 5.

XXXIV. 1. *Senatum p. que R.*] Harl. 15. *ea m. atque m. populum Romanum semper fuisse,* omisso *senatum;* quomodo legit *Forcellinus* in voce *mansuetudo,* et ipse lubenter legerem, si codices boni accederent: nam, quod existimat Cortius *ab eo* infra ad *s. p. que R.* conjunctim satis commode referri, quia unum quasi corpus intelligeretur, vix mihi ista ratio satisfacit.

2. *Optumo cuique.*] Vide not. 5. ad c. 19. supra.

3. *Literas mittit.*] Leidens. C. delet *literas,* eleganter: sic passim Graeci subaudiunt ἐπιστολήν; vide *Leisner.* ad *L. Bos. Ell. Gr.* n. 93.

4. *Non quo—.*] Non quod—.

seditio oriretur. Ab his longe divorsas Q. Catulus in senatu recitavit, quas sibi nomine Catilinae redditas dicebat: earum exemplum infra scriptum.

XXXV. "L. Catilina Q. Catulo S. Egregia tua fides, re cognita, gratam in magnis periculis fiduciam commendationi meae tribuit. Quamobrem defensionem in novo consilio non statui parare; satisfactionem ex nulla conscientia de culpa proponere decrevi, quam, me Dius fidius, veram licet cognoscas. Injuriis contumeliisque concitatus, quod, fructu laboris industriaeque meae privatus, statum dignitatis non obtinebam, publicam miserorum causam, pro mea consuetudine, suscepi: non quin aes alienum meis nominibus ex possessionibus solvere possem, quum alienis nominibus liberalitas Orestillae suis filiaeque copiis persolveret: sed quod non dignos homines honore honestatos videbam, meque falsa suspicione alienatum sentiebam. Hoc nomine satis honestas pro meo casu spes reliquae dignitatis conservandae sum sequutus. Plura quum scribere vellem, nun-

---

Cicero passim; *Livius* XXVIII. 27., XXXIX. 13.

5. *Ab his longe divorsas.*] Addunt vulgo *literas;* Cortius autem propter inconstantiam codicum istud uncis inclusit: at ab Leidensi K. plane abfuisse testatur Havercampus; quare delevi—Mox Harl. 3. *earum exemplum est*, omisso *infra scriptum.*

XXXV. 1. *Re cognita.*] *Liv.* XXI. 53., "Fama prius, deinde *re*, cognitum." *Plaut. Amph.* I. 3. 10., "Ecastor, *re* experior, quanti facias uxorem tuam."

2. *Commendationi meae.*] Mihi commendanti: scilicet ideo scribit, ut Orestillam (de qua supra c. 15.) Catuli fidei commendet.

3. *Quamobrem defensionem*, etc.] Quocirca defensionem quidem... non statui parare, utpote ad amicum scribens, satisfactionem autem—.

4. *Meis nominibus.*] Sc. sumtum.—Mox *alienis nominibus:* ed. Romana 1470. non agnoscit *nominibus*, idemque a codice quodam Polonico abfuisse testatur Gruterus.

5. *Plura quum scribere vellem.*] Mallem equidem τὸ *scribere* intelligendum relinquere, sicuti in epistola Adherbalis: "Plura de Jugurtha dehortatur fortuna mea." ita enim castigandum. Sed for-

tiatum est vim mihi parari. Nunc Orestillam commendo, tuaeque fidei trado: eam ab injuria defendas, per liberos tuos rogatus. Haveto."

XXXVI. Sed ipse, paucos dies commoratus apud C. Flaminium Flammam in Agro Arretino, dum vicinitatem, antea sollicitatam, armis exornat, cum fascibus atque aliis imperii insignibus in castra ad Manlium contendit. Haec ubi Romae comperta, senatus Catilinam et Manlium hostis judicat; ceterae multitudini diem statuit, ante quam sine fraude liceret ab armis discedere, praeter rerum capitalium condemnatis. Praeterea decernit, uti consules dilectum habeant; Antonius cum exercitu Catilinam persequi maturet; Cicero urbi praesidio sit. Ea tempestate mihi imperium populi Romani multo maxume miserabile visum: cui quum ad occasum ab ortu solis omnia domita armis paterent, domi otium atque divitiae, quae prima mortales putant, adfluerent, fuere tamen cives, qui seque remque publicam obstinatis animis perditum irent. Namque duobus senati decretis, ex tanta multitudine neque praemio inductus conjurationem

---

tasse purturbati hominis in epistola non ea elegantia requirenda est: quae eadem maxime cogitatio supra quoque τὸ geminatum *nominibus* tutabatur.

XXXVI. 1. *Sollicitatam.*] Vide not. 5. ad c 24. supra.

2. *Sine fraude.*] Sc. *admissa:* h. e., impune.

3. *Praeter...condemnatis.*] Intellige, *praeterquam* rerum capitalium condemnatis *non liceret.* Sic *Justin.* XIII. 5., "Omnium civitatium exsules, *praeter* caedis *damnati*, restituebantur."

4. *Persequi.*] *Cic. Phil.* XI. 7., "Nunc, quoniam hostis est judicatus Dolabella, bello est *persequendus.*"

5. *Quae prima mortales putant.*] *Jug.* c. 41., "Abundantia earum rerum, quae *prima* mortales ducunt." et c. 76., "Aurum atque argentum, et alia, quae *prima* ducuntur."

6. *Adfluerent.*] *Liv.* III. 26., "Qui ...neque honori magno locum, neque virtuti, putant esse, nisi ubi effuse *adfluant* opes."

7. *Perditum irent.*] *Terent. Andr.* I. 1. 107., "Cur te *is perditum?*"

8. *Duobus senati decretis.*] Sc., *factis, tamen*—.

9. *Neque praemio inductus*—.] *Liv.* XXVI. 27., "Eo *praemio in-*

patefecerat, neque ex castris Catilinae quisquam omnium discesserat: tanta vis morbi, uti tabes, plerosque civium animos invaserat.

XXXVII. Neque solum illis aliena mens erat, qui conscii conjurationis; sed omnino cuncta plebes novarum rerum studio Catilinae incepta probabat. Id adeo more suo videbatur facere. Nam semper in civitate, quis opes nullae sunt, bonis invident, malos extollunt; vetera odere, nova exoptant; odio suarum rerum mutari omnia student; turba atque seditionibus sine cura aluntur, quoniam egestas facile habetur sine damno. Sed urbana plebes, ea vero praeceps ierat multis de causis. Primum omnium, qui ubique probro atque petulantia maxume praestabant, item alii per dedecora patrimoniis amissis, postremo omnes, quos flagitium aut facinus domo expulerat, ii Romam, sicuti in sentinam, confluxerant. Deinde, multi memores Sullanae victoriae, quod ex gregariis militibus alios senatores videbant, alios ita divites, uti regio victu atque cultu aetatem agerent, sibi quisque, si in armis forent, ex victoria talia sperabant.

---

ductus...servus...indicavit." Intellige autem *quisquam* e membro posteriori; etsi per se ipsa ellipsis elegans est.

10. *Tanta vis morbi.*] Adeo violentus morbus: infra c. 48. *tanta vis hominis.*

XXXVII. 1. *Aliena.*] Sc., a republica.

2. *Adeo more suo.*] Sc., ut magis ex more suo quidquam facere non possent; h. e., plane suo more. *Jug.* c. 65., "Id *adeo* mature posse evenire, si—."

3. *Bonis invident.*] Quibus opes magnae sunt, quique propterea novas res solent abhorrere: contra *mali* sunt, quos inopia stimulat ad rempublicam perturbandam. Vide *Ernesti Clav. Cic.*

4. *Egestas facile habetur sine damno.*] Egestas contra damnum munita est. De verbo *haberi* autem vide not. 10. ad c. 1. supra.

5. *Urbana plebes, ea vero—.*] Schol. Harl. 8., *Cuncta plebs laudabat incepta Catilinae, et maxime urbana.*

6. *Si in armis forent.*] Infra c. 51., "Quum...tanta praesidia *sint*

Praeterea, juventus, quae in agris manuum mercede inopiam toleraverat, privatis atque publicis largitionibus excita, urbanum otium ingrato labori praetulerant. Eos atque alios omnis malum publicum alebat. Quo minus mirandum, homines egentis, malis moribus, maxuma spe, reipublicae juxta ac sibi consuluisse. Praeterea, quorum victoria Sullae parentes proscripti, bona erepta, jus libertatis imminutum erat, haud sane alio animo belli eventum exspectabant. Ad hoc, quicumque aliarum atque senati partium erant, conturbari rempublicam, quam minus valere ipsi, malebant. Id adeo malum multos post annos in civitatem revorterat.

XXXVIII. Nam postquam, Cn. Pompeio et M. Crasso consulibus, tribunitia potestas restituta, homines adolescentes summam potestatem nacti, quibus aetas animusque ferox, coepere, senatum criminando, plebem exagitare; dein, largiundo atque pollicitando, magis incendere; ita ipsi clari potentesque fieri. Contra eos summa ope nitebatur pleraque nobilitas, senati specie, pro sua magnitudine. Namque, uti paucis absolvam, per illa tempora quicumque

---

in armis." Sic *Cic. ad Fam.* XV. 1., *ad Att.* I. 19., *pro Lig.* 3. extr.: *Liv.* passim.

7. *Reipublicae juxta, ac sibi, consuluisse.*] Quum sibi, tum etiam reipublicae, *male* consuluisse. Vide not. 15. ad c. 2. supra.

8. *Haud sane alio animo.*] Sc., atque illi, de quibus supra.

9. *Id adeo malum...revorterat.*] Eo usque id malum, multos post annos in civitatem reversum, processerat.

XXXVIII. 1. *Summam potestatem nacti.*] Haec Gruterus censuit transponenda, *Homines adolescentes, quibus..., summam..., coepere*—; Cortius autem omnino delenda, uncisque inclusit. Mihi contra neque collocatio vehementer displicet, et verba ipsa omnino placent.

2. *Senati specie.*] Ascensius: " scil. *defendendi.*" Cortius: " est idem, quod *obtentu, praetextu senatus auctoritatis.*" Immo, specie, senatus pro magnitudine, re vera, pro sua.

3. *Uti paucis absolvam.*] Recte Cort. delevit *verum*: absolute c. 4.

rempublicam agitavere, honestis nominibus, alii, sicuti populi jura defenderent, pars, quo senati auctoritas maxuma foret, bonum publicum simulantes, pro sua quisque potentia certabant: neque modestia, neque modus contentionis erat: utrique victoriam crudeliter exercebant.

XXXIX. Sed, postquam Cn. Pompeius ad bellum maritumum atque Mithridaticum missus, plebis opes imminutae, paucorum potentia crevit. Hi magistratus, provincias, aliaque omnia tenere: ipsi innoxii, florentes, sine metu aetatem agere; ceteros judiciis terrere, quo plebem in magistratu placidius tractarent. Sed, ubi primum dubiis rebus novan-

---

supra. Atque idem additamentum et ipse deleo *Jug.* c. 33., *si verum aperiat.*

XXXIX. 1. *Innoxii.*] Passive; quomodo *Lucan.* IX. 892.

2. *Quo plebem in magistratu placidius tractarent.*] Hoc vult: judiciis tribunos privatos, vel alios ab nobilitate esse territos, ut, quum in magistratu essent, quum tribunatum gererent, plebem non exagitarent neque incenderent in nobiles. *Cortius.*

3. *Ubi primum dubiis rebus novandis spes oblata.*] Locum egregie illustravit *Burmannus* ad illud *Virgilianum*, *Aen.* IV. 290., "Quae sit rebus causa novandis." vel potius ad Servium illic. Accipe viri clarissimi verba:—" In Sallust. Catil. XXXIX. legitur, *Ubi primum dubiis rebus novandis spes oblata est*, ubi constructio torquet interpretes, quorum aliqui *novandi* malunt, alii ejiciunt *dubiis:* Cortius vulgatum defendit. Si *dubiis* retinendum, ego vel cum illis facerem, qui *dubiis rebus* absolute positum capiunt, et *novandi* praeferrem: sed quia omnes codices servant hanc vocem, potius crederem *dubiis* dici de hominibus, qui dubii et incerti in quam partem inclinarent, an cederent potentiae paucorum, an vetus certamen renovarent, tandem spem novandis rebus conceperint: et ita duplex esset dativus, et hic ordo; *ubi oblata dubiis* (scil. hominibus) *est spes novandis rebus:* quae locutio quidem insolentior et rarior, sed forte Sallustiana: nam alii amant genitivum rei jungere dativo personae, ut multis ostendit Cl. *Drakenb.* ad *Liv.* IV. 17.: non tamen exempla desunt, ubi duplex dativus occurrit, si codices sequamur, qui forte ex communiori loquendi

dis spes oblata, vetus certamen animos eorum arrexit. Quod si primo proelio Catilina superior, aut aequa manu, discessisset, profecto magna clades atque calamitas rempublicam oppressisset; neque illis, qui victoriam adepti, diutius ea uti licuisset, quin defessis et exsanguibus, qui plus posset, imperium atque libertatem extorqueret. Fuere tamen extra conjurationem complures, qui ad Catilinam initio profecti sunt: in his A. Fulvius, senatoris filius; quem, retractum ex itinere, parens necari jussit. Isdem temporibus Romae Lentulus, sicuti Catilina praeceperat, quoscumque moribus aut fortuna novis rebus idoneos credebat, aut per se, aut per alios, sollicitabat; neque solum civis, sed cujusquemodi genus hominum, quod modo [bello] usui foret.

---

ratione mutati: ut apud *Ovid. Ep.* XVIII. 200., *Et morti, dices, huic ego caussa fui.* ubi vide quae notavi, et ad II. *Epist.* 148., et saepe alibi."—*Res novare:* Liv. V. 6., XXIV. 23., XXXV. 34. bis.

4. *Arrexit.*] Sc. ad se: utitur Noster hoc verbo *Jug.* c. 68., 84., 86.

5. *Aequa manu.*] *Tacit. Ann.* I. 63., " Et *manibus aequis* abscessum." *Liv.* II. 40., *aequo Marte.* Nepos Themist. 3., *pari proelio.* —*Discesserat:* infra c. 49., *victus discesserat;* 61. *volneratus.*

6. *Diutius.*] Intensive potius, quam comparative. *Liv.* XLIII. 18., " Spes erat, neque hiemis vim *diutius* pati Macedonas in aperto posse, nec —." Adde infra c. 58. et *Jug.* c. 59.

7. *Fuere,....qui....profecti sunt.*] Ex iis, qui ad Catilinam initio profecti sunt, complures fuere extra conjurationem. Non scilicet plane praedicativa sunt illa, *qui ad Catilinam initio profecti sunt;* nam ita ex lege Latinitatis scribendum erat *sint.* Sic infra c. 52., " Sed alia fuere, *quae illos magnos fecere,* quae nobis nulla sunt."

8. *Retractum ex itinere.*] Harl. 1. delet *ex itinere;* et absolute *Caes. de B. G.* V. 7. apud Cortium: addidit Noster infra c. 48.

9. *Parens necari jussit.*] Praefatus, " Non se Catilinae illum adversus patriam, sed patriae adversus Catilinam, genuisse." *Valer. Max.* V. 8. 5.

10. *Quod modo bello usui foret.*] In scriptis *bello* incertae sedis est, et Cort. uncis inclusit, tamquam ex c. 32. translatum.

XL. Igitur P. Umbreno cuidam negotium dat, uti legatos Allobrogum requirat, eosque, si possit, impellat ad societatem belli; existumans, publice privatimque aere alieno oppressos, praeterea, quod natura gens Gallica bellicosa, facile eos ad tale consilium adduci posse. Umbrenus, quod in Gallia negotiatus, plerisque principibus notus erat, atque eos noverat: itaque sine mora, ubi primum legatos in foro conspexit, percunctatus pauca de statu civitatis, et quasi dolens ejus casum, requirere coepit, quem exitum tantis malis sperarent? Postquam illos videt queri de avaritia magistratuum, accusare senatum, quod in eo auxilii nihil esset; miseriis suis remedium mortem exspectare: At ego, inquit, vobis, si modo viri esse voltis, rationem ostendam, qua tanta ista mala effugiatis. Haec ubi dixit, Allobroges, in maxumam spem adducti, Umbrenum orare, uti sui misereretur: nihil tam asperum neque tam difficile, quin cupidissume facturi essent, dum ea res civitatem aere alieno liberaret. Ille eos in domum D. Bruti perducit, quod foro propinqua,

---

XL. 1. *Quod .... bellicosa.*] Vulgo *bellicosa esset;* Harl. 4. et 5. *erat;* at tertius neutrum agnoscit, et neutro opus est. Sic mox idem ille Harl. 3. caste, *quod in Gallia negotiatus*, omisso *erat*, quod tamen jam Cort. abjecit.

2. *Facile eos—.*] Pronomen quasi abundat, et sensum denuo excipit propter illa, *praeterea, q. n. g. G. bellicosa*, post participium *oppressos* interposita.

3. *Atque eos noverat.*] Lubenter deleverim *eos:* vide not. 1. ad *Jug.* c. 70.

4. *Percunctatus pauca.*] Harl. 23. delet *pauca*, idemque mox *ejus*.

5. *Exitum tantis malis.*] Vide not. 8. ad c. 11. supra.

6. *Videt queri.*] *Virg. Aen.* IV. 490., " *Mugire videbis* Sub pedibus terram."

7. *Remedium mortem exspectare.*] *Tacit. Hist.* IV. 58., " Mortem,.... ut finem miseriarum, expecto."— Harl. 23. delet *suis*.

8. *Viri esse.*] Infra c. 44., " Memineris, te *virum*.

9. *Uti sui misereretur.*] Particulas *uti sui* Harl. 1. delet.

neque aliena consilii propter Semproniam: nam tum Brutus ab Roma aberat. Praeterea Gabinium arcessit, quo major auctoritas sermoni inesset: eo praesente, conjurationem aperit; nominat socios, praeterea multos cujusque generis innoxios, quo legatis animus amplior esset: dein eos, pollicitos operam suam, dimittit.

XLI. Sed Allobroges diu in incerto habuere, quidnam consilii caperent. In altera parte erat aes alienum, studium belli, magna merces in spe victoriae: at in altera majores opes, tuta consilia, pro incerta spe certa praemia. Haec illis volventibus, tandem vicit fortuna reipublicae. Itaque Q. Fabio Sangae, cujus patrocinio civitas plurimum utebatur, rem omnem, uti cognoverant, aperiunt. Cicero, per Sangam [consilio] cognito, legatis praecepit, studium con-

---

10. *Aliena consilii.*] *Cic. de Fin.* I. 4., *alienum dignitatis.*

11. *Propter Semproniam.*] Cujus de moribus atque ingenio supra c. 25.

12. *Ab Roma aberat.*] Praepositionem tutatur *Priscian.* l. XV.

XLI. 1. *In incerto habuere.*] *Jug.* c. 46., " Uti, absens, an praesens, ...perniciosior esset, *in incerto haberetur.*" Adde *Tacit. Ann.* XV. 17.

2. *In spe victoriae.*] Ex victoria speranda. Supra Harl. 1. delet *erat*, quod in tertio post *aes alienum* locatum.

3. *Fortuna reipublicae.*] *Cic. in Catil.* 1. 6., " Sceleri ac furori tuo ....*fortunam reipublicae* obstitisse." ubi videndus Ernest.

4. *Consilio cognito.*] Locum mendo non vacare pronuntiat Cortius, et *consilio* delendum censet, *cognito*que praecise positum fuisse pro *cognita re.* Quae respexit autem exempla, aliena pleraque sunt; in quibus non absolute posita participia, sed cum integris clausulis pro nominibus constructa. Sed ego quidem non *consilio* tantum, verum omnino *consilio cognito* librarii supplementum esse existimo, ex eoque, quod Cicero per Sangam legatis praecepit etc., Sallustium lectoris acumini intelligendum reliquisse, prius Sangam rem Ciceroni detulisse: sicuti *Jug.* c. 12. extr., ex eo quod memorat, sicarios caput Adherbalis retulisse, satis confidit lectorem intellecturum, prius eos caput ejusdem abscidisse.

jurationis vehementer simulent; ceteros adeant, bene polliceantur; dentque operam, uti eos quam maxume manifestos habeant.

XLII. Isdem fere temporibus in Gallia citeriore atque ulteriore, item in agro Piceno, Bruttio, Apulia, motus erat. Namque illi, quos antea Catilina dimiserat, inconsulte ac veluti per dementiam agere: nocturnis consiliis, armorum atque telorum portationibus, festinando, agitando omnia, plus timoris quam periculi effecerant. Ex eo numero complures Q. Metellus Celer praetor ex senati consultu, causa cognita, in vincula conjecerat: item in ulteriore Gallia C. Murena, qui ei provinciae legatus praeerat.

XLIII. At Romae Lentulus cum ceteris, qui principes conjurationis erant, paratis, ut videbantur, magnis copiis, constituerant, uti, Catilina in agrum Faesulanum quum venisset, L. Bestia, tribunus plebis, concione habita, quereretur de actionibus Ciceronis, bellique gravissumi invidiam optumo consuli imponeret; eo signo, proxuma nocte cetera multitudo conjurationis suum quisque negotium exsequerentur. Sed ea divisa hoc modo dicebantur: Statilius, Gabinius, uti cum magna manu duodecim simul opportuna

---

XLII. 1. *Per dementiam agere.*] Vulgo *cuncta simul agere:* sed voces *cuncta simul* alienas recte judicavit Cortius, uncisque inclusit. Et *simul* ab Harl. 9. et 14. abest; idemque 14. non *cuncta*, sed *omnia* ab librario accepit: itaque voces irreptitias ejeci. Absolute Noster *Jug.* c. 85., " Quum tute per mollitiem *agas.*"

2. *Qui ei provinciae legatus praeerat.*] Eleganter Harl. 3. *qui legatus praeerat*, omisso *ei provinciae.*

XLIII. 1. *Lentulus cum ceteris ...constituerant.*] *Jug.* c. 38., " *Cohors* una Ligurum *cum* duabus turmis Thracum...*transiere* ad regem." et c. 101., " *Bocchus cum* peditibus ... postremam Romanorum aciem *invadunt.*"

2. *Invidiam...imponeret.*] Infra c. 48. extr., *contumeliam imponere.* —*Eo signo:* sc. dato.

loca urbis incenderent, quo tumultu facilior aditus ad consulem, ceteros, quibus insidiae parabantur, fieret: Cethegus Ciceronis januam obsideret, eum vi adgrederetur; alius autem alium: sed filii familiarum, quorum ex nobilitate maxuma pars, parentes interficerent, simul, caede et incendio perculsis omnibus, ad Catilinam erumperent. Inter haec parata atque decreta, Cethegus semper querebatur de ignavia sociorum: illos dubitando, et dies prolatando, magnas opportunitates corrumpere; facto, non consulto, in tali periculo opus esse; seque, si pauci adjuvarent, languentibus aliis, impetum in curiam facturum. Natura ferox, vehemens, manu promtus, maxumum bonum in celeritate putabat.

XLIV. Sed Allobroges, ex praecepto Ciceronis, per Gabinium ceteros conveniunt; ab Lentulo, Cethego, Statilio, item Cassio, postulant jusjurandum, quod signatum ad civis perferant: aliter haud facile eos ad tantum negotium impelli posse. Ceteri, nihil suspicantes, dant: Cassius semet

---

3. *Alius autem alium.*] Harl. 4. delet *autem*, et continuo tertius *sed;* priorem particulam etiam Burneianus.

4. *Dies prolatando.*] Noster IV. *Hist.* ep. Mithr., "Ptolemaeus pretio diem belli *prolatat.*" adde *Jug.* c. 27.

5. *Facto, non consulto.*] *Tacit. Hist.* I. 62., "Nihil in discordiis civilibus festinatione tutius, ubi facto magis, quam consulto, opus esset."

6. *In tali periculo.*] Haec Harl. 10. postposita habet, septimus autem nusquam agnoscit.

7. *Manu promtus, maxumum —.*] Vide not. 10. ad c. 7. supra.

XLIV. 1. *Ex praecepto Ciceronis.*] Vide c. 41.

2. *Aliter.*] Vide not. 6. ad c. 29. supra.—*Haud facile eos—*: pronomen delet Burneianus.

3. *Ceteri...dant: Cassius—.*] Infra c. 46., "*Ceteri* sine mora veniunt: *Coeparius*...profugerat." c. 52., "Nam, *cetera* tum persequare, ubi facta sunt; *hoc*, nisi provideris, ne accidat, ubi evenit, frustra judicia implores." *Jug.* c. 14., "*Ceteri* reges...: familia *nostra—*." c. 113., "*Ceteri* obtruncati: *Jugurtha* Sullae vinctus traditur." Adde not. 2. ad c. 48. infra.

4. *Cassius semet eo—.*] Harl. 11.

eo brevi venturum pollicetur, ac paulo ante legatos ex urbe proficiscitur. Lentulus [cum his] T. Volturcium quemdam, Crotoniensem, mittit; uti Allobroges prius, quam domum pergerent, cum Catilina, data atque accepta fide, societatem confirmarent. Ipse Volturcio literas ad Catilinam dat, quarum exemplum infra scriptum: "Quis sim ex eo, quem ad te misi, cognosces. Fac cogites, in quanta calamitate sis, et memineris te virum: consideres, quid tuae rationes postulent; auxilium petas ab omnibus, etiam ab infimis." Ad hoc mandata verbis dat: Quum ab senatu hostis judicatus sit, quo consilio servitia repudiet? In urbe parata esse, quae jusserit; ne cunctetur ipse propius accedere.

XLV. His rebus ita actis, constituta nocte, qua proficiscerentur, Cicero, per legatos cuncta edoctus, L. Valerio Flacco et C. Pomtino, praetoribus, imperat uti in ponte Mulvio per insidias Allobrogum comitatus deprehendant; rem omnem aperit, cujus gratia mittebantur; cetera, uti facto opus sit, ita agant, permittit. Homines militares, sine tumultu praesidiis collocatis, sicuti praeceptum erat, occulte pontem obsidunt. Postquam ad id loci legati cum Voltur-

---

et 13. *C. se eo*; 3. *C. vero eo*, sine pronomine.

5. *Data atque accepta fide.*] Sic M.S. viginti, atque ed. vet. omnes: Cortiana *data et*—. Supra voculas *cum his* Cort. suspectas habet, in cod. duobus deficientes.

6. *Literas ad Catilinam.*] Harl. 7. delet *ad C.*, recte.

7. *Exemplum.*] Paulo secus *Cic. in Catil.* III. 5.

8. *Parata esse.*] Harl. 2. et 3. omittunt *esse.*—*Quae jusserit:* Harl. 3., 6., 7., 11., 12., 20., 21., *jusserat;* vide not. 3. ad c. 27. supra. Mox tertius delet *ipse.*

XLV. 1. *His rebus.*] Harl. 3. *His* absolute.

2. *Cetera*—.] Id unum imperat, uti Allobrogum comitatus deprehendant, quomodo autem, ipsis permittit.

3. *Homines militares.*] Infra c. 59., "*Homo militaris*...plerosque ipsos factaque eorum fortia noverat."

cio venere, et simul utrimque clamor exortus, Galli, cognito consilio, sine mora praetoribus se tradunt: Volturcius primo, cohortatus ceteros, gladio se a multitudine defendit; dein, ubi a legatis desertus est, multa prius de salute sua Pomtinum obtestatus, quod ei notus erat, postremo timidus ac vitae diffidens, veluti hostibus, sese praetoribus dedit.

XLVI. Quibus rebus confectis, omnia propere per nuntios consuli declarantur. At illum ingens cura atque laetitia simul occupavere: nam laetabatur, conjuratione patefacta, civitatem periculis ereptam: porro autem anxius erat, in maxumo scelere tantis civibus deprehensis, quid facto opus; poenam illorum sibi oneri, impunitatem reipublicae perdundae fore. Igitur, confirmato animo, vocari ad sese

---

4. *Exortus.*] Harl. 3. auctore, abjeci *est.*

5. *Cognito consilio.*] Jam ab initio gnari consilii. Inepte vulgo *cito cognito consilio;* et nihil aliud est istud *cito*, quam *τοῦ cognito* compendium: ac delevi, Harl. 18., et Guelf. 3. apud Cortium, sequutus.

XLVI. 1. *Cura atque laetitia simul.*] Harl. 1. delet *simul*, quam particulam nec *Tacitus* agnoscit, *Ann.* I. 52., "Nuntiata ea Tiberium *laetitia curaque* affecere: gaudebat, oppressam seditionem; sed...Germanici gloria angebatur."

2. *Nam laetabatur—.*] Addunt Harl. omnes *intelligens;* Regius autem istud in margine tantummodo ostendit.—*Periculis ereptam:* Harl. 3. jubente, abjeci *esse;* sicuti, vel Tacito auctore, licebat.

3. *Porro autem anxius erat—.*] Delent *autem* Harl. 2. et 3.; nec lubuit Sallustio eam particulam adhibere *Jug.* c. 25., "Timebat iram senati, ni paruisset legatis; *porro* animus, cupidine caecus, ad inceptum scelus rapiebat." Defendit autem Cortius, exemplis allatis, quae tamen haud magni momenti videntur, *Cic. in Verr.* I. 32. et *Terent. Adel.* V. 4. 14. Conjeci *porro animi anxius erat.*

4. *Reipublicae perdundae fore.*] Ita sincere Harl. 3., spreto librariorum additamento *credebat*, quod merito damnavit Gruterus, recentiores multi abjecerunt: Cortius tamen potuit tolerare, cod. suis, quos toties deseruit, hoc loco importune obstrictus, et maluit verbum substantivum immerito jugulare. Ceterum de illo genitivo *perdundae reipublicae*, vide not. 9.

jubet Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium; item Q. Coeparium quemdam, Terracinensem, qui in Apuliam ad concitanda servitia proficisci parabat. Ceteri sine mora veniunt; Coeparius paulo ante domo egressus, cognito indicio, [ex urbe] profugerat. Consul Lentulum, quod praetor erat, ipse manu tenens perducit; reliquos cum custodibus in aedem Concordiae venire jubet. Eo senatum advocat, magna frequentia ejus ordinis Volturcium cum legatis introducit. Flaccum praetorem scrinium cum literis, quas a legatis acceperat, eodem adferre jubet.

XLVII. Volturcius, interrogatus de itinere, de literis, postremo quid, aut qua de causa, consilii habuisset, primo

---

ad c. 6. supra: frustra autem *Perizonius* ad *Sanctii Minerv.* IV. 4. 9. casum tertium intelligit, et supplet *idoneam.* Sed monendum adhuc, me ejusdem Harl. 3. collocationem recepisse, quum vulgo participium praeponatur.

5. *Ex urbe profugerat.*] Voculas *ex urbe* Cort. delendas censet, et omissas nemo desiderasset.

6. *Ipse manu tenens perducit.*] Scilicet, eo usque quo ducendus erat. *Justin.* II. 13., "Ille perculsus nuntio tradit ducibus milites *perducendos.*" et XII. 5., "Interea unus ex amicis Darii vinctus *perducitur.*" Ita castigavit Cortius: vulgo *in senatum perducit.*

7. *Magna frequentia—.*] Copulam Cort. voluit abesse, et abest ea ab Harl. 5. et 13.

8. *Eodem adferre jubet.*] Auribus ingratum *jubet* et supervacaneum pronuntiavit Cortius, quum potuisset id, etiam altera constructione interposita, ex antecedentibus subaudiri; et summi viri judicium summae auctoritatis codex, etiam atque etiam laudandus ille Harl. 3., verissimum pervincit. De interpositione autem alienae constructionis (ne quis haec transposita arbitretur) pluribus disserit *Perizonius* ad *Sanctii Minerv.* IV. 11. 3. Verum tamen, non quo dubitem ipse, sed gnarus quam paucis essem nunc dierum rem talem probaturus, satis habeo monitoris officio fungi.

XLVII. 1. *Quid, aut qua de causa, consilii habuisset.*] H. e., quid consilii habuisset, aut qua de causa *id consilii habuisset:* sed pro *aut* malim *et;* vide not. 3. ad c. 21. supra.

fingere alia, dissimulare de conjuratione; post, ubi fide publica dicere jussus, omnia, uti gesta erant, aperit: Paucis ante diebus a Gabinio et Coepario socium adscitum, nihil amplius scire, quam legatos; tantummodo audire solitum ex Gabinio, P. Autronium, Servium Sullam, L. Varguntеium, multos praeterea in ea conjuratione esse. Eadem Galli fatentur; ac Lentulum dissimulantem coarguunt, praeter literas, sermonibus, quos habere solitus: Ex libris Sibyllinis regnum Romae tribus Corneliis portendi; Cinnam atque Sullam antea; se tertium, cui fatum foret urbis potiri: praeterea ab incenso Capitolio illum esse vigesimum annum, quem saepe ex prodigiis haruspices respondissent bello civili cruentum fore. Igitur, perlectis literis, quum prius omnes signa sua cognovissent, senatus decernit, Uti abdicatus magistratu Lentulus, item ceteri, in liberis custodiis haberentur. Itaque Lentulus P. Len-

---

2. *Fide publica.*] Sc. *data.* Mox, *jussus*: delevi est Harl. 3. jubente. Sic idem codex egregius infra, *se tertium* (esse), et *ex fuga retractus* (erat); quibus tamen locis jam Cortius expunxit.

3. *Eadem Galli fatentur.*] Addititium *fatentur* existimat Cortius; cui omnino assentior.

4. *Cinnam atque Sullam antea.*] Sc. *urbis potitos esse:* gemina syllepsis est *Jug.* c. 81., "Tum sese [hostem esse], paulo ante Carthaginienses [hostes fuisse], item regem Persen; post, uti quisque opulentissimus videatur, ita Romanis *hostem fore.*"

5. *Signa sua.*] Harl. 4. delet *sua*, alii quidam praepositum habent.

6. *Abdicatus magistratu.*] Ita Cortius *et* scripti fere omnes: vulgo *abdicato magistratu.* Quod autem medio sensu intelligendum est, *postquam se abdicasset*, affert idem ille exempla: *elatus*, qui sese extulit; *remotus* a negotiis, qui sese removit; *exsolutus* domino, qui sese exsolvit; etc. Sed vulgatam neque ipsam adeo improbandam, (nam Cortius soloecismum judicavit) ostendit, id quod amicus me monuit, *Livius* VI. 18.

7. *In liberis custodiis.*] Quae quales essent, sequentia satis declarant.—Verbi *habere* exempla infra sunt c. 51. extr. et 52.

tulo Spintheri, qui tum aedilis, Cethegus Q. Cornificio, Statilius C. Caesari, Gabinius M. Crasso, Coeparius (nam is paulo ante ex fuga retractus) Cn. Terentio, senatori, traduntur.

XLVIII. Interea plebes, [conjuratione patefacta,] quae primo, cupida rerum novarum, nimis bello favebat, mutata mente, Catilinae consilia exsecrari, Ciceronem ad coelum tollere; veluti ex servitute erepta, gaudium atque laetitiam agitabant. Namque alia belli facinora praedae magis, quam detrimento, incendium vero crudele, immoderatum, ac sibi maxume calamitosum, putabat; quippe cui omnes copiae in usu quotidiano et cultu corporis erant. Post eum diem, quidam L. Tarquinius ad senatum adductus, quem,

---

XLVIII. 1. *Conjuratione patefacta.*] Interpretatio vocis *Interea:* arripuit librarius ex c. 46., "Laetabatur, *conjuratione patefacta*, civitatem periculis ereptam."

2. *Nimis bello favebat.*] *Bello* suspectum habeo, et mallem ex sequentibus intelligere *consiliis Catilinae*. Infra c. 51., "*Imitari*, quam invidere *bonis* malebant.

3. *Alia belli facinora..., incendium vero—.*] *Jug.* c. 43., "*Alia* omnia sibi cum collega ratus, ad *bellum*.....animum intendit." 63., "Etiam tum *alios* magistratus plebes, *consulatum* nobilitas inter se per manus tradebant." 82., "Vir egregius in *aliis* artibus, nimis molliter *aegritudinem pati*." 85., "*Alii* si deliquere,...omnia haec praesidio adsunt: *mihi* spes omnes in memet sitae." 114., "*Alia* omnia virtuti suae prona esse; cum *Gallis* pro salute, non pro gloria, certare." Adde not. 3. ad c. 44. supra.

4. *Putabat.*] Delendum censet Palmerius; et ejusdem generis additamentum abjeci supra c. 46. n. 4.

5. *Post eum diem.*] Postero die; quasi *die* (proximo) *post eum diem:* sic *Jug.* c. 102. *post diem quintum;* adde c. 109. et 112.: et similis est vulgaris loquutio *prope diem*. Verum tamen haud invitus equidem scriberem *Post eum die:* ut *Jug.* c. 19. *pleraque ex Punicis oppida*, et c. 30. *unam ex tam multis orationem.*

6. *Ad senatum adductus.*] Harl. 3. *deductus*, sicuti Fabric. 1. apud Cortium, idque significantius respicitque iter, ex quo iste retrac-

ad Catilinam proficiscentem, ex itinere retractum aiebant. Is quum se diceret indicaturum de conjuratione, si fides publica data esset, jussus a consule, quae sciret, edicere, eadem fere, quae Volturcius, de paratis incendiis, de caede bonorum, de itinere hostium, senatum edocet: praeterea, Se missum a M. Crasso, qui Catilinae nuntiaret, ne Lentulus, Cethegus, alii ex conjuratione deprehensi terrerent; eoque magis properaret ad urbem accedere, quo et ceterorum animos reficeret, et illi facilius e periculo eriperentur. Sed, ubi Tarquinius Crassum nominavit, hominem nobilem, maxumis divitiis, summa potentia, alii, rem incredibilem rati, pars, tamen etsi verum existumabant, tamen, quia in tali tempore tanta vis hominis leniunda, quam exagitanda, videbatur, plerique, Crasso ex negotiis privatis obnoxii, conclamant, indicem falsum; deque ea re postulant uti referatur. Itaque, consulente Cicerone, frequens senatus decernit, Tarquinii indicium falsum videri; eumque in vinculis retinendum, neque amplius potestatem faciun-

---

tus erat. Certe adprobabis, quod idem ille Harl. verbum substantivum exclusit.

7. *De caede bonorum.*] Vide not. 3. ad c. 37. supra.

8. *E periculo eriperentur.*] Praepositionem Harl. 12., 19., 23., delent, et, omissa illa, supra c. 46., " Civitatem *periculis ereptam.*" 15. autem plane omisit *e periculo*, quomodo absolute infra c. 50., " Opifices atque servitia in vicis ad eum *eripiendum* sollicitabant."

9. *Tanta vis hominis.*] Homo tantis viribus: supra c. 36. extr., *tanta vis morbi.*—*Leniunda quam exagitanda :* adverbium *magis*, quod Cort. unico codice fretus delevit, ego testor ab Harl. 7. et 14., itemque Regio, abesse: qua de ellipsi vide not. 1. ad c. 8. supra.

10. *Falsum videri.*] Cic. II. Acad. Qu. c. 47., a majoribus institutum refert, quae jurati judices cognovissent, ut ea non *esse* facta, sed ut *videri*, pronuntiarent. Vide Brisson. II. Form. p. 195. et V. p. 482. *Cortius.*

11. *Potestatem.*] Sc. *indicandi.*

dam, nisi de eo indicaret, cujus consilio tantam rem mentitus esset. Erant eo tempore, qui aestumarent, illud a P. Autronio machinatum, quo facilius, adpellato Crasso, per societatem periculi reliquos illius potentia tegeret. Alii Tarquinium a Cicerone immissum aiebant, ne Crassus, more suo, suscepto malorum patrocinio, rempublicam conturbaret. Ipsum Crassum ego postea praedicantem audivi, tantam illam contumeliam sibi ab Cicerone impositam.

XLIX. Sed isdem temporibus Q. Catulus et C. Piso, neque gratia, neque precibus, neque pretio, Ciceronem impellere potuere, uti per Allobroges aut alium indicem C. Caesar falso nominaretur. Nam uterque cum illo gravis inimicitias exercebant; Piso, obpugnatus in judicio repetundarum propter cujusdam Transpadani supplicium injustum; Catulus, ex petitione pontificatus odio incensus, quod,

---

12. *Illud a P. Autronio machinatum.*] Sic Cortius, deleto *indicium*; pronomen autem censuit ad sequentia trahendum, ut *Jug.* c. 14., "Tantum *illud* vereor, ne—:" inesse enim in verbis *adpellato Crasso* id omne quod ex *indicium illud* aut ex vi relativa pronominis intelligi posset, sc. *ut per Tarquinium adpellaretur Crassus.*

13. *Immissum.*] Subornatum. *Justin.* XXXII. 2., "Ad cujus rei probationem *immittit* indices, testes subornat, et facinus, quod objicit, admittit." *Tacit. Ann.* XI. 1., "Suillium accusandis utrisque *immittit.*" adde ibid. III. 16.

14. *Tantam illam contumeliam —.*] Harl. 10. et 23. *tantam contumeliam*, omisso pronomine *illam*, eleganter, ut supra c. 28., "Ita illi, janua prohibiti, *tantum* facinus frustra susceperant." *Sibi* autem deest Harl. 5. atque ed. Rom. et Venetis. *Impositam*, illatam: *Cic. in Verr.* IV. 9., "Quibus tu privatim injurias plurimas contumeliasque *imposuisti.*" Liv. IV. 32., *imponere labem.*

XLIX. 1. *Falso nominaretur.*] Harl. 6. omisit *falso.*

2. *Uterque . . .exercebant.*] *Tacit. Ann.* XIII. 9., "*Uterque* Vologesen regem nuntiis *monebant*,—." Idem Hist. II. 97., "*Uterque ambigui.*" Ibid. IV. 34., "Dux *uterque*. . .prosperis *defuere.*" Justin. XXXVIII. 3. "Decernitur in senatu, ut *uterque* in regnum *restituantur.*".

extrema aetate, maxumis honoribus usus, ab adolescentulo Caesare victus discesserat. Res autem opportuna videbatur; quod, privatim egregia liberalitate, publice maxumis muneribus, grandem pecuniam debebat. Sed, ubi consulem ad tantum facinus impellere nequeunt, ipsi singulatim circumeundo, atque ementiundo, quae se ex Volturcio aut Allobrogibus audisse dicerent, magnam illi invidiam conflaverant; usque eo, ut nonnulli equites Romani, qui praesidii causa cum telis erant circum Concordiae, seu periculi magnitudine seu animi nobilitate impulsi, quo studium suum in rempublicam clarius esset, egredienti ex senatu [Caesari] gladio minitarentur.

L. Dum haec in senatu aguntur, et dum legatis Allobrogum et Tito Volturcio, comprobato eorum indicio, praemia decernuntur, liberti et pauci ex clientibus Lentuli, divorsis itineribus, opifices atque servitia in vicis ad eum eripiendum sollicitabant; partim exquirebant duces multitudinum, qui

---

3. *Adolescentulo.*] Comparative, et ex Catuli aestimatione; erat autem Caesar eo tempore annos XXXV. natus.—*Victus discesserat:* vide not. 5. ad c. 39. supra.

4. *Circum Concordiae.*] Sc. *aedem.* Ellipsis usitatissima: *Liv.* I. 33., 41., II., 51. V. 47.

5. *Nobilitate.*] Ferocia. *Plaut. Mil.* IV. 8. 14., " Et, quia tecum eram, propterea animo eram *ferocior:* eam *nobilitatem* amittendam video."

6. *Egredienti ex senatu Caesari.*] Brevitatis studioso licebat reticere *ex senatu,* ut nimirum ex eadem Concordiae aede egrediens Caesar intelligeretur, quam minitantes equites circumsteterant. At τὸ *Caesari* ab interpolatore venisse, orationis nexum respicienti cuivis constabit: " Magnam *illi* invidiam conflaverant; usque eo,"—repetere necesse est *illi invidiam conflaverant*—" ut nonnulli equites Romani ... *egredienti* ex senatu [Caesari] gladio minitarentur." Nec videtur Cortii conjectura, *egrediente...Caesare,* locum multo meliorem in statum deducere. Atque uncis inclusi. *Liv.* II. 35., " In *exeuntem* e curia impetus factus esset, ni—."

L. 1. *Opifices ... sollicitabant;*

pretio rempublicam vexare soliti: Cethegus autem per nuntios familiam atque libertos suos, exercitatos in audaciam, orabat, grege facto, cum telis ad sese irrumperent. Consul, ubi ea parari cognovit, dispositis praesidiis, ut res atque tempus monebat, convocato senatu, refert, Quid de his fieri placeat, qui in custodiam traditi erant. Sed eos paulo ante frequens senatus judicaverat, CONTRA REMPUBLICAM FECISSE. Tum D. Junius Silanus, primus sententiam rogatus, quod eo tempore consul designatus erat, de his qui in custodiis tenebantur, praeterea de L. Cassio, P. Furio, P. Umbreno, Q. Annio, si deprehensi forent, supplicium sumendum decreverat; isque postea, permotus oratione C. Caesaris, pedibus in sententiam Tib. Neronis iturum se dixerat; quod de ea re, praesidiis additis, referundum censuerat. Sed Caesar, ubi ad eum ventum, hujuscemodi verba loquutus est.

---

partim exquirebant —.] H. e., *partim* opifices atque servitia ... sollicitabant; *partim* exquirebant duces multitudinum. Sic *Jug.* c. 83., " Ille probare; *partim* abnuere." *Liv.* XXXIII. 11., Captivis praedaque venumdatis, *partim* militi concessis." Atque ita saepissime fit, ut, ubi sensus voces distributivas postulat binas, prior quaeque dissimuletur: infra c. 56., " Ceteri,... sparos aut lanceas [alii], *alii* praeacutas sudes, portabant." *Jug.* c. 31., " Sacerdotia et consulatus [pars], *pars* triumphos, ostentantes."

2. *Exercitatos in audaciam.*] Pro *in audacia*, ἀρχαϊκῶς: sic infra c. 51., " Cui item exercitus *in manus*." et *Jug.* c. 112., " Quum talem virum *in potestatem* habuisset."

3. *Contra remp. fecisse.*] Perduelles esse. Formula verbis mollior, re eadem, qua *hostes* judicabantur: habes eamdem c. 51. extr. Romani autem moris fuit, ut civis ante civium exceptus numero, patriae hostis pronuntiaretur, quam capitale de eo supplicium sumi potuerit. *Cortius.*

4. *Pedibus ... iturum.*] Discessurum; nota loquutio: *Liv.* V. 9., IX. 8.—Pro *dixerat* autem mallem *dixit*.

5. *Ubi ad eum ventum.*] Glossema *rogatus sententiam a consule*, partim auctoribus Harl. 23. et Burneiano, hi enim *a consule* omittunt, partim etiam invitis libris,

LI. " Omnis homines, Patres conscripti, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira atque misericordia, vacuos esse decet. Haud facile animus verum providet, ubi illa obficiunt; neque quisquam omnium lubidini simul et usui paruit. Ubi intenderis ingenium, valet: si lubido possidet, ea dominatur, animus nihil valet. Magna mihi copia memorandi, Patres conscripti, qui reges atque populi, ira aut misericordia impulsi, male consuluerint; sed ea malo dicere, quae majores nostri contra lubidinem animi recte atque ordine fecere. Bello Macedonico, quod cum rege Perse gessimus, Rhodiorum civitas magna atque magnifica, quae populi Romani opibus creverat, infida atque advorsa nobis fuit; sed, postquam, bello confecto, de Rhodiis consultum est, majores nostri, ne quis divitiarum, quam injuriae, causa bellum inceptum diceret, impunitos dimisere. Item bellis Punicis omnibus, quum saepe Carthaginienses, et in pace et per inducias, multa nefaria facinora fecissent, num-

---

ejeci; et nemo, credo, facinus magnopere reprehendet, nisi forte quis Sallustianae brevitati consentaneum putet idem bis dicere.—Mox *loquutus est*: scripturam *loquutus* per *qu* servavit Harl. 23., idemque passim: tertius autem abjecit *est*.

LI. 1. *Haud facile.*] Vide not. 10. ad c. 13. supra.

2. *Neque quisquam omnium.*] Sic passim Cicero *nemo omnium*. Noster *Jug.* c. 102., " Amicorum neque nobis, neque *cuiquam omnium*, satis." Harl. tamen novem, Regius, atque ed. Venetae, *hominum*.

3. *Sed ea malo dicere.*] Mihi suspectum *dicere;* quo abjecto, facile sit *memorare* adsumere. *Cic. ad Fam.* XII. 24., " Sed haec quoque te ex aliis *malo*." sc. *noscere:* scripsit supra, " Sed mea studia erga te et officia malo tibi ex tuorum literis, quam ex meis, esse *nota*."

4. *Divitiarum, quam injuriae, causa.*] Harl. 9. auctore, delevi *magis;* vide not. 1. ad c. 8. supra: septimo autem deest *causa*.

5. *Impunitos dimisere.*] *Liv.* XXXIX. 55., " Seniores... lenitatem ... castigarunt, quod eos homines, qui..., *impunitos dimiserint*."

quam ipsi per occasionem talia fecere; magis, quid se dignum foret, quam quid in illis jure fieri posset, quaerebant. Hoc idem providendum, Patres conscripti, ne plus valeat apud vos P. Lentuli et ceterorum scelus, quam vestra dignitas; neu magis irae, quam famae, consulatis. Nam, si digna poena pro factis reperitur, novum adprobo consilium: sin magnitudo sceleris omnium ingenia exsuperat, iis utendum censeo, quae legibus comparata sunt. Plerique eorum, qui ante me sententias dixerunt, composite atque magnifice

---

6. *Per occasionem.*] *Liv.* I. 11., "Dum ea ibi Romani gerunt, Antemnatium exercitus *per occasionem* ...incursionem facit." et ibid. c. 53., "Nam, ne errarent, manere his bellum, quod positum simuletur; et *per occasionem* eum incautos invasurum." Adde VII. 7., XXI. 35., XXII. 15., XXIII. 2., XXV. 38., XXX. 3.

7. *Magis, quid se dignum foret.*] *Liv.* XLV. 42., "Magis, quid se dignum esset, quam quid merito ejus fieri posset, aestimaturum."

8. *In illis.*] Vide not. 2. ad c. 9. supra. *Liv.* XXX. 12., "Omnia quidem ut possis *in nobis*, dii dederunt, virtusque et felicitas tua." et c. 25., "Tamen se nihil, nec institutis populi Romani, nec suis moribus indignum, *in iis* facturum esse."

9. *Hoc idem providendum.*] Sic Cortius; vulgo *Hoc item vobis* —: agnoscunt autem *idem* Harl. 6., 7., 11., 13., 15., 19., 20.; et *vobis* 8. et 13. delent. Ceterum verbum substantivum ipse abjeci. Harl. 11. et 14. sequutus.

10. *Ne plus valeat*, etc.] Scholiast. Harl. 4., *Hoc totum dictum latenter, ut eripiat captos.*

11. *Neu magis irae, quam famae, consulatis.*] *Jug.* c. 33., "Dignitati, quam irae, magis consulens."

12. *Pro factis.*] Addunt vulgo *eorum*, quod abest ab ed. Veneta 1470. et Mediol., et commode omnino subaudiri potest.—Mox scripsi cum Harl. 23. *novum adprobo consilium*, interjecto verbo.

13. *Omnium ingenia exsuperat.*] Sin majus scelus est, quam ut ulla ingenia dignam poenam queant excogitare. *Ovid. de Trist.* I. 5. 56., "Materia vires *exsuperante* meas."

14. *Comparata.*] Fortasse *comparatae*, sc. poenae. *Auct. ad Herenn.* IV. 35., "Statuite exemplum, quantae *poenae* in civitate sint hominibus istiusmodi *comparatae.*"

15. *Composite.*] Rhetorice, artificiose. *Jug.* c. 85., "Non sunt

casum reipublicae miserati sunt: belli saevitia quae victis acciderent, enumeravere: rapi virgines, pueros; divelli liberos a parentium complexu; matres familiarum pati, quae victoribus collibuisset: fana atque domos exspoliari; caedem, incendia fieri: postremo armis, cadaveribus, cruore atque luctu, omnia compleri. Sed, per deos immortalis! quo illa oratio pertinuit? an, uti vos infestos conjurationi faceret?

---

composita verba mea; parum id facio; ipsa se virtus satis ostendit: illis *artificio* opus est, uti turpia facta oratione tegant."—Mox *miserati sunt:* Regius delet *sunt.*

16. *Belli saevitia quae victis acciderent, enumeravere.*] Vulgo *quae belli saevitia esset, quae victis acciderent:* quae lectio ex dubia positione pronominis relativi orta: scilicet, quum primitus dupliciter scriberetur, *belli saevitia quae victis acciderent*, et *quae belli saevitia victis acciderent*, tandem fiebat ut oscitantia librariorum pronomen in utrumque locum reciperetur: quomodo plane peccatum fuerat supra c. 43., "Catilina in agrum Faesulanum quum venisset," ubi ante Cortium legebatur "*Cum* Catilina in agrum Faesulanum *cum exercitu* venisset." Nec multum aberat, quin hoc loco verum videret administer Bipontinus, qui, deleto *esset* (quod jam Cort. abjecerat), et *saevitia* pro sexto casu habito, *acciderent* ad utrumque pronomen referebat. Harl. 11., *quae, belli saevitia, essent, quae victis acciderent;* quae quasi periphrasis nostrae lectionis est. Non frustra autem pronomina indefinita emphaticis vocibus cedunt, in locumque minus conspicuum se recipiunt. Infra c. 52., "Vos, de crudelissumis parricidis *quid* statuatis, cunctamini." *Jug.* c. 14., "Neque mihi in manu fuit, Jugurtha *qualis* foret." 24., "Legatorum verba *quanti* fecerit, pericula mea declarant." 102., "Nam, bello *quid* valeat, tute scis."

17. *Rapi virgines, pueros*, etc.] *Liv.* XXIX. 17., "Constuprant matronas, virgines, ingenuos, raptos ex complexu parentum."

18. *Quae victoribus collibuisset.*] Quae *(eas pati,)* victoribus collibuisset. Lectio Harl. 3. optimi est; sed fuit eadem initio etiam primi: vulgo *pati, quae victoribus collibuissent*, quae mihi dubia admodum Latinitas est. Adde not. ad illud *Jug.* c. 49., "*Quae* ab imperatore *decuerit*, omnia suis *provisa.*"

19. *Omnia compleri.*] *Jug.* c. 92., "Luctu atque caede omnia complentur."

Scilicet, quem res tanta atque tam atrox non permovit, eum oratio accendet. Non ita est: neque cuiquam mortalium injuriae suae parvae videntur: multi gravius aequo habuere. Sed aliis alia licentia, Patres conscripti. Qui demissi in obscuro vitam habent, si quid iracundia deliquere, pauci sciunt; fama atque fortuna pares sunt: qui, magno imperio praediti, in excelso aetatem agunt, eorum facta cuncti mortales novere. Ita in maxuma fortuna minuma licentia est: neque studere, neque odisse, sed minume irasci, decet: quae apud alios iracundia, ea in imperio superbia atque crudelitas adpellatur. Equidem ego sic aestumo,

---

20. *Res tanta atque tam atrox.*] Placet scriptio codicis cujusdam Cortiani, *tanta atque atrox*, ut nimirum particula *tam* ex *tanta* intelligenda sit; quasi *tam magna atque* (tam) *atrox*: lege not. 11. ad c. 5. supra.

21. *Multi gravius aequo habuere.*] Sic Harl. 1., omisso pronomine *eas*, eleganter: immo potius *suas* intelligendum est. *Habuere*, tulere: *Liv.* VII. 5., "Nec ...aegre *habuit*, filium id pro parente ausum."

22. *Vitam habent.*] Supra c. 4., "Mihi reliquam *aetatem* a republica procul *habendam* decrevi."

23. *Pauci sciunt—cuncti mortales novere.*] Necessario *novere*, quia praesens *nosco* formae est inchoativae. Sic mox *meminere et... disserunt.*

24. *In maxuma fortuna minuma licentia est.*] Nimirum, verbis Satyrici, "Omne animi vitium tanto conspectius in se Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur." (*Juv.* VIII. 140.)

25. *Quae apud alios iracundia, ea in imperio superbia atque crudelitas adpellatur.*] Sic Harl. 1., 10., 22.; ut *adpellatur* sit ad utrumque membrum revocandum: vulgo *quae ...dicitur, ea... adpellatur;* Cort. autem frustra delevit *ea*. Ceterum *quae—, ea—*, pro *quod—, id—*: v. n. 9. ad c. 7. supra. *Liv.* VII. 20., "Ne appellarent consilium, *quae* vis ac necessitas appellanda esset." —*In imperio:* in imperantibus.

26. *Equidem ego—.*] Frustra esse, qui adverbium *equidem* ex *ego* et *quidem* compositum arbitrantur, multa exempla apud Nostrum proprietatis unice studiosum probant. Infra h. c., "De poena *possumus equidem* dicere—." c. 52., "Jam pridem *equidem nos* vera rerum vocabula amisimus." et eodem, "Quare vanum *equi-*

Patres conscripti, minores cruciatus omnis, quam facinora illorum, esse: sed plerique mortales postrema meminere, et, in hominibus impiis, sceleris obliti, de poena disserunt, si ea paulo severior fuit. D. Silanum, virum fortem atque strenuum, certo scio, quae dixerit, studio reipublicae dixisse, neque illum, in tanta re, gratiam aut inimicitias exercere: eos mores, eam modestiam viri cognovi. Verum sententia non mihi crudelis, quid enim in talis homines crudele fieri potest? sed aliena a republica nostra, videtur. Nam profecto aut metus aut injuria te subegit, Silane, consulem designatum, genus poenae novum decernere. De timore supervacaneum est disserere, quum, praesenti dili-

---

dem hoc consilium, si—." c. 58., "*Scitis equidem*, milites,—." Ac dicerem ipse, adverbium ex *et quidem* conflatum; ubi autem sensus *ego quidem* flagitat, ut flagitat saepissime, plane scribendum autumo *e' quidem*.

27. *Minores cruciatus omnis.*] Pro collocatione Sallustiana servata, gratiam habeas, lector, Harl. 3. optimo et 19.: vulgo *o. c. m.*

28. *Postrema meminere.*] Ac proinde poenam potius, quam scelus.

29. *Certo scio.*] Sic Harl. 9. et 19., Fabric. apud Rivium, Cortiani duo, ed. Romana 1470., et F. G. Pottier ex cod. septem: vulgo *certe*. Jug. c. 9., "Quam rem tibi *certo scio* gaudio esse."

30. *Studio reipublicae dixisse.*] In Harl. 23. non legitur *dixisse;* et gemina ellipsis supra est c. 3., "Plerique, quae delicta *reprehenderis*, malevolentia et invidia putant." sc. reprehendisse.

31. *In talis homines.*] Harl. 13. delet *homines;* et mox undecimus *nostra*, quod neque ed. Veneta 1470. agnoscit.

32. *Consulem designatum.*] Nec emphasin nec gratiam in hisce vocibus videt Gruterus, si quis expungendas putaverit, ei accessurus suffragator. Mihi autem videtur Caesar haud obscure significare, esse boni consulis potius instituta majorum tueri, quam nova inferre: q. d., *quem minime decuit.*—Harl. 23. *novum poenae genus.*

33. *Quum praesenti diligentia*—. Ita ex. v. c. emendavit Putschius, quum antea legeretur, nullo commodo sensu, *quum praesertim*, quasi supervacaneum esset de timore disserere et nescio quam aliam ob

gentia clarissumi viri, consulis, tanta praesidia sint in armis. De poena possumus equidem dicere id, quod res habet: in luctu atque miseriis mortem aerumnarum requiem, non cruciatum, esse; eam cuncta mortalium mala dissolvere; ultra neque curae neque gaudio locum esse. Sed, per deos immortalis! quamobrem in sententiam non addidisti, uti prius verberibus in eos animadvorteretur? An, quia lex Porcia vetat? at aliae leges item condemnatis civibus non animam eripi, sed in exsilium mitti, jubent. An, quia gra-

---

causam et eo magis quia tanta praesidia in armis essent: istud tamen obstinato animo retinuerunt Gruterus et Wassius: receptam autem lectionem in antiquissimo codice reperit Cortius, eamdemque testor ipse in Harl. 5. (haud magnae auctoritatis, verum tamen) exstare. *Praesenti*, h.e., promta, alacri: *Cic. in Verr.* IV. 49., "Multis saepe in difficillimis rebus *praesens* auxilium ejus oblatum est." *Virg. Ge.* II. 127., "Quo non *praesentius* ullum...Auxilium venit." et *Aen.* XII. 152., "Tu, pro germano si quid *praesentius* audes, Perge: decet." ubi Servius interpretatur, efficacius, vehementius.— *Clarissumi viri consulis:* Scholiast. Harl. 4., *Captat hic Caesar benevolentiam Tullii Ciceronis, laudando eum.*

34. *De poena* —.] Supra disjunctive enuntiavit, aut *metum* aut *injuriam* istum subegisse; remota autem altera parte, nunc alterius positionem ex voce *poena*, quippe quae vi sua injuriam respiciat, tacite intelligendam relinquit: in quo enthymemate haesit Ciacconius, et frustra lacunam in libris suspicatus est. — *Possumus equidem:* v. n. 26. supra.

35. *Id, quod res habet.*] Sc. in se: quomodo res sese habet. *Cic. pro Flacc.* 23., "Exponam, quid in *re* sit."

36. *Mortem aerumnarum requiem.*] Longin. de Subl. s. 9., Λιμὴν κακῶν, ὁ θάνατος.

37. *In sententiam non addidisti.*] Pro *addere sententiae*, ut *Senec. Thyest.* 994., "Noxque se *in noctem addidit.*" ubi plura Gronovius; sive *ut esset sententia.* Cortius.— Mox Harl. 15. *vetabat.*

38. *Sed in exsilium mitti.*] Vulgo *sed exsilium permitti:* codices autem M. S. multi (Harl. 5., 7., 11., 13., 14., 18., 22.; octo Cortiani, Gruteriani tres) *sed in exsilium permitti*, quod, utpote Grutero probatum, simul quia non appareret unde in tot codices praepositio

vius est verberari, quam necari? quid autem acerbum aut grave nimis, in homines tanti facinoris convictos? Sin [quia]

derivata esset, loquutionem insolentiorem etiam veriorem existimans, diffidenter recepit Cortius. Verum enimvero non Lynceo aliquo opus erat, qui hoc loco fraudem perspiceret librariorum. Nimirum infra de iisdem illis legibus Caesar: "Tum lex Porcia aliaeque paratae, quibus legibus *exsilium* damnatis *permissum*." An ergo mirum videri posset, si, a Sallustio accepta scriptione *sed in exsilium mitti*, tamen bonis librariis ita placitum fuisset, ut alterum locum ad formam alterius refingerent? Notus autem istorum mos (qui quidem nisi obtinuisset, profecto genuinae saepe evanuissent) dubias lectiones binas ita conflandi, ut posset corrector postea partem aliquam scripturae confodendo veram lectionem expedire: et hujus rei exempla vidisti n. 16. supra. Ac proinde, qui *sed in exsilium permitti* scripserunt, duplicem lectionem voluerunt indicare, et *sed in exsilium mitti*, et *sed exsilium permitti*. Nihil certius. Sed non sola conjectura nititur res: nam, ut Cortianum quemdam omittam, ut omittam Palatinos duos apud Gruterum, scriptionem Sallustianam, quam expressi, servavit probatissimus ille Harl. 3.; ut nefas sit ultra dubitare.—Supra *non animam eripi:* in ed. Cortiana ordo sollicitatus est, *animam non eripi*, male, et, pro certo habeo, contra ipsius voluntatem.

39. *Quia gravius est.*] Harl. 12., 16., 18., delent *est*.—Mox quintus delet *quam necari*, ut *gravius* pro *nimis grave* accipiatur.

40. *In homines tanti facinoris convictos.*] M.S. quidam apud Cortium, *in tanti facinoris homines convictos;* quam metathesin defendit *Wopkens. Lect. Tull.* I. 9.: Cortius autem *convictos* pro irreptitio habet; cujus tamen exempla non fere probant, quam commode *homo facinoris alicujus* diceretur, quippe nominum quae consuetudinem quamdam potius vel animi habitum significant. Immo, si quid mutandum, delendum est *homines;* et fortasse reponendus sextus casus *convictis*.

41. *Sin quia levius.*] Hoc non equidem intelligo: quomodo enim levitas ista obstare potuisset, quin Silanus censeret, ut prius verberibus animadverteretur? Ac legerem, omissa particula *quia*, ab librariis, ut existimo, temere repetita, *Sin levius*, vel fortasse, nisi quod Harl. 3. vetat, revocato verbo substantivo, *Sin levius est;* h. e., Sin levius est verberari, quam necari, *et nihil aliud, quam lex Porcia, vetabat;* quomodo convenit in minore negotio legem timere, quum in majore neglexeris? Interim sensui eatenus consului, ut vocu-

levius; qui convenit in minore negotio legem timere, quum in majore neglexeris? At enim quis reprehendet, quod in parricidas reipublicae decretum erit? Tempus, dies, fortuna, cujus lubido gentibus moderatur. Illis merito accidit, quidquid evenerit: ceterum vos, Patres conscripti, quid in alios statuatis, considerate. Omnia mala exempla ex bonis orta sunt: sed, ubi imperium ad ignaros aut minus bonos pervenit, novum illud [exemplum] ab dignis et idoneis ad indignos et non idoneos transfertur. Lacedaemonii, devictis Atheniensibus, triginta viros imposuere, qui rempublicam tractarent. Hi primo coepere pessumum quem-

---

lam istam turbidam compedibus vincirem; quam tamen, qui vulgatam lectionem potuerit intelligere, facile erit ei scalpello liberare. Haec ultro scripseram, quum, ad ed. Hackianam conversus, rescivi, jam olim Ciacconium obiter monuisse, *quia* abundare videri: ut minus me poeniteat sententiae.

42. *Qui convenit*— ?] Quomodo: *qui* antiquus ablativus est, ex antiquiore, credo, *quoi* contractum. *Hor.*, " *Qui* fit, Maecenas, — ?"— Mox Harl. 13. *legem tenere.*

43. *Quum in majore neglexeris.*] Expunxi pronomen *eam*, auctore Harl. 1., qui codex eamdem supra n.21. praestitit sinceritatem. Neque ed. vet. omnes istud agnoscunt, ut Ascensiana.

44. *At enim*—.] Dicet aliquis. *Liv.* III. 68., " *At enim* communis res per haec loco est pejore." IV. 4., " *At enim*, nemo post reges exactos de plebe consul fuit." VI. 15., " *At enim*, quid ita solus ego civium curam ago?" alibi saepe.

45. *In parricidas.*] An in *parricidis?* Liv. V. 36., " Sed, ne id, quod placebat, *decerneret in* tantae nobilitatis *viris*, ambitio obstabat." vide not. 2. ad c. 9. supra.

46. *Tempus, dies, fortuna.*] Sc., *reprehendet.*

47. *Accidit.*] Praesens pro futuro: sic infra c. 58., " Sin metu cesserimus, eadem illa advorsa *fiunt.*" Ita utroque loco correxit Cortius.

48. *Ex bonis.*] Sc., *exemplis.*

49. *Ignaros.*] Sc., quas ob causas novum illud exemplum fuerit editum. Mox Cort. uncis inclusit *exemplum*, in cod. duobus non repertum.

50. *Qui rempublicam tractarent.*] Vulgo *remp. eorum:* Harl. 1. *illorum;* 15. *q. remp. t. eorum;* at 14. sincere, ut editum, quomodo etiam Cortiani duo, Leidens. C. atque ed. vet. multae.

que et omnibus invisum indemnatum necare: ea populus laetari, et merito dicere fieri. Post, ubi paulatim licentia crevit, juxta bonos et malos lubidinose interficere, ceteros metu terrere. Ita civitas, servitute oppressa, stultae laetitiae gravis poenas dedit. Nostra memoria, victor Sulla quum Damasippum et alios hujusmodi, qui malo reipublicae creverant, jugulari jussit, quis non factum ejus laudabat? homines scelestos, factiosos, qui seditionibus rempublicam exagitaverant, merito necatos aiebant. Sed ea res magnae initium cladis fuit. Nam, uti quisque domum aut villam, postremo aut vas aut vestimentum alicujus concupiverat, dabat operam, uti proscriptorum in numero esset. Ita, quibus Damasippi mors laetitiae fuerat, post paulo ipsi trahebantur; neque prius finis jugulandi fuit, quam Sulla omnis suos divitiis explevit. Atque ego haec, non in M. Tullio, neque his temporibus, vereor: sed in magna civitate multa et varia ingenia sunt. Potest alio tempore, alio consule, cui item exercitus in manus, falsum aliquid pro vero credi: ubi

---

51. *Et omnibus invisum.*] Sc. *maxime;* vide not. 11. ad c. 5. supra.

52. *Ea populus laetari.*] Sic cum casu quarto *Cic. ad Fam.* VII. 1., "*Utrumque laetor.*"

53. *Lubidinose.*] Deest Harl. 13. et 15.

54. *Malo reipublicae.*] *Liv.* XXXIV. 17., "Non nostra, inquit, magis, quam vestra, refert, vos non rebellare; si quidem id majore Hispanorum *malo*, quam exercitus Romani labore, semper adhuc factum est."

55. *Qui...exagitaverant.*] Haec omnia in Harl. 1. desiderantur.

56. *Proscriptorum in numero.*] Ita eleganter Harl. 3.; vulgo *in proscr. n.*

57. *Trahebantur.*] Sc., ad supplicium. *Tacit. Ann.* XI. 35.

58. *Atque ego haec, non in M. Tullio...vereor.*] Praesumtio: particulam autem *Atque* illustravi *Doctr. Copularum L.L.* c. I. n. 6.

59. *In manus.*] Pro *in manibus:* vide not. 2. ad c. 50. supra. Quod autem hanc lectionem ex cod. unico recepit Cortius, pro vulg. *in manu*, agnoscunt eamdem illam Harl. 9. et 21.

hoc exemplo, per senati decretum, consul gladium eduxerit, quis finem statuet, aut quis moderabitur? Majores nostri, Patres conscripti, neque consilii neque audaciae umquam eguere: neque superbia obstabat, quo minus aliena instituta, si modo proba, imitarentur. Arma atque tela militaria ab Samnitibus, insignia magistratuum ab Tuscis pleraque sumserunt: postremo, quod ubique apud socios aut hostis idoneum videbatur, cum summo studio domi exsequebantur: imitari, quam invidere bonis, malebant. Sed eodem illo tempore, Graeciae morem imitati, verberibus animadvortebant in civis; de condemnatis summum supplicium sumebant. Postquam respublica adolevit, et multitudine civium factiones valuere, circumvenire innocentes, alia hujuscemodi fieri coepere; tum lex Porcia aliaeque paratae, quibus legibus exsilium damnatis permissum. Hanc ego causam, Patres conscripti, quo minus novum consilium capiamus, in primis magnam puto. Profecto virtus atque sapientia major in illis fuit, qui ex parvis opibus tantum imperium fecere, quam in nobis, qui ea bene parta vix reti-

---

60. *Gladium eduxerit.*] *Cic. ad Att.* IV. 3., *eductis gladiis.*

61. *Ab Tuscis pleraque sumserunt.*] *Liv.* I. 8., "Unde sella curulis, unde toga praetexta *sumta* est."

62. *Cum summo studio.*] *Jug.* c. 54. *cum cura.*

63. *Imitari.*] Intelligendum *bona* (sc. instituta) per syllepsin. *Jug.* c. 1., "Neque regerentur [casibus] magis, quam regerent *casus.*"—Mox *eodem illo tempore:* Harl. 3., 13., 23., delent *illo.*

64. *Circumvenire innocentes.*] Circumveniebant, sc. homines factiosi.

65. *Damnatis.*] Harl. 3. delet.

66. *Profecto virtus atque—.*] Harl. 1. et 10. *Virtus profecto atque.*—Mox *ex parvis opibus:* Cortianus quidam *copiis;* Harl. 3. absolute *ex parvis.*

67. *Qui ea bene parta vix retinemus.*] Pronomen *ea* Harl. 1., 3., 9., 10., neglexerunt, propter, credo, singulare antecedens *imperium:* 1. et 22. *retineamus*, quae Latinitas magis in Cicerone foret probanda; quamquam ejusdemmodi arbitror esse illud in orat. Catonis: "*Qui* mihi atque animo meo nullius umquam delicti gratiam *fecissem*, haud

nemus. Placet igitur dimitti, et augere exercitum Catilinae? Minume: sed ita censeo: Publicandas eorum pecunias, ipsos in vinculis habendos per municipia, quae maxume opibus valent; neu quis de is postea ad senatum referat, neve cum populo agat; qui aliter fecerit, senatum existumare, contra rempublicam et salutem omnium facturum."

LII. Postquam Caesar dicundi finem fecit, ceteri verbo, alius alii, varie adsentiebantur: at M. Porcius Cato, rogatus sententiam, hujuscemodi orationem habuit.

" Longe mihi alia mens est, Patres conscripti, quum res

---

facile alterius lubidini malefacta condonabam."

68. *Placet igitur dimitti?*] Vulgo *eos dimitti;* Burn. *dimitti eos;* Harl. 1., 10., 18., 21., *illos dimitti;* 2. *Placet eos—;* at 13. et 14. pronomen omnino non agnoscunt; neque eo opus est, nimirum verbo *placet* rogationem consulis respiciente. Intellige autem, *dicet aliquis.* Jug. c. 31., " Quid igitur censes?" ubi vide.

69. *Et augere exercitum Catilinae.*] Ita Harl. 21., Leidens. K., atque ed. Romana 1470.: vulgo *augeri*, propter τὸ *dimitti* videlicet; quam tamen aequabilitatem nihili habet Sallustius. Enallagen numeri vidimus supra c. 7. n. 6., modi c. 16. n. 2., alias alibi: nunc vocis agnoscamus. *Cic. de Leg.* I. 21., " Quamnam igitur sententiam dicimus? *M. Requiri* placere terminos, quos Socrates pegerit, iisque *parere.*" quod exemplum *Wopkensii* est, *Lect. Tull.* III. 13. *Liv.* III. 46., " Placuit...fratrem Icilii filiumque Numitorii...*pergere* inde recta ad portam, et quantum accelerari posset, Virginium *acciri* e castris." plura vide apud clariss. *Drakenb.* ad. VIII. 34. Porro stat mihi, eamdem elegantiam Sallustio vindicare *Jug.* c. 75.

70. *Neu quis de is postea—.*] Voculas *de is* Harl. 2., 14., 22., delent; et accedit tertius, habens post *referat* usque locatas.

71. *Contra remp....facturum.*] Pronomen *eum* expunxi, Harl. 3. sequutus. *Liv.* XXV. 22., " *Liberos* fore suaque omnia *habituros*, qui ante idus Martias exissent: post eam diem quique exissent, quique ibi mansissent, hostium *futuros* numero." De formula autem, vide not. 3. ad c. 50. supra.

LII. 1. *Verbo.*] Breviter, paucis.

2. *Alius alii.*] Alii Silano, alii Neroni, alii Caesari.

3. *Longe mihi alia mens est.*]

atque pericula nostra considero, et quum sententias nonnullorum mecum ipse reputo. Illi mihi disseruisse videntur de poena eorum, qui patriae, parentibus, aris atque focis suis bellum paravere: res autem monet cavere ab illis, quam, quid in illis statuamus, consultare. Nam cetera tum persequare, ubi facta sunt; hoc, nisi provideris, ne accidat, ubi evenit, frustra judicia implores: capta urbe, nihil fit

---

Longe aliae cogitationes animo meo obversantur. *Demosth. Olynth.* III., Οὐχὶ ταὐτὰ παρίσταταί μοι γινώσκειν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ὅταν τε εἰς τὰ πράγματα ἀποβλέψω, καὶ ὅταν πρὸς τοὺς λόγους, οὓς ἀκούω. *Liv.* XLV. 38., "Equidem ipse *aliter affectus animo* sum, qui..., quam paulo ante eram, quum—."

4. *Mecum ipse reputo.*] Harl. 11. *in mentem mihi repeto.*

5. *Disseruisse.*] Quasi vero longa oratione opus esset.

6. *Aris atque focis suis.*] Abest pronomen ab Harl. 1. et 23., item ed. Romana 1470.

7. *Cavere ab illis.*] Scribendum suspicor *ab aliis;* totus enim in eo versatur Cato, ut ostendat, de apprehensis oportere quam primum supplicium sumi, ut ita ceteris metus injiciatur: infra, "Quum de P. Lentulo ceterisque statuetis, pro certo habetote, simul de exercitu Catilinae et de omnibus conjuratis decernere. Quanto attentius agetis, tanto illis animus infirmior erit: etc." Et suspicionem auget nonnihil Demosthenes: Τοὺς μὲν γὰρ λόγους περὶ τοῦ τιμωρήσασθαι Φίλιππον ὁρῶ γινομένους· τὰ δὲ πράγματα εἰς τοῦτο προήκοντα, ὥστε ὅπως μὴ πεισώμεθα αὐτοὶ πρότερον κακῶς, σκέψασθαι δέον. Immo codicum lectio mihi quidem perabsurda videtur: magis cavere ab apprehensis, quam quidquam de iisdem statuere! Sic porro, quae continuo sequuntur, absurdissima sunt: "Nam cetera tum persequare, ubi facta sunt: *hoc*, nisi provideris, ne accidat, ubi evenit, frustra judicia implores: capta urbe, nihil fit reliqui victis." Quid istud *hoc?* An verebatur Cato, ne ab iis urbs caperetur, qui jam ipsi capti erant?

8. *Quam—.*] Vide not. 1. ad c. 8. supra.—*Quid in illis statuamus:* supra c. 51. n. 8., "Quid *in illis* jure fieri posset." ubi vide.

9. *Persequare.*] Verbum judiciale: unde mox, "*Frustra judicia* implores."

10. *Ubi evenit.*] Hanc lectionem agnoscit Harl. nullus; solus secundus respicere videtur, habens *accidit* per commutationem librarii: nam 4., 7., 22., *venerit;* 11. *acciderit;* ceteri omnes *evenerit.*

reliqui victis. Sed, per deos immortalis! vos ego adpello, qui semper domos, villas, signa, tabulas vestras pluris, quam rempublicam, fecistis: si ista, cujuscumque modi sunt, quae amplexamini, retinere, si voluptatibus vestris otium praebere voltis, expergiscimini aliquando, et capessite rempublicam. Non agitur de vectigalibus, non de sociorum injuriis: libertas et anima nostra in dubio est. Saepenumero, Patres conscripti, multa verba in hoc ordine feci; saepe de luxuria atque avaritia nostrorum civium questus sum, multosque mortalis ea causa advorsos habeo: qui mihi atque

---

11. *Cujuscumque modi sunt.*] Sic Harl. 1., 3., 4., 9., 11., 13., 19., 23.; quidam ambigue per compendium *st̄:* vulgo *sint.* Cic. pro Rab. Post. 8., " Gabinius illud, *quoquo* consilio *fecit*, fecit certe suo: *quaecumque* mens illa *fuit*, Gabinii fuit."

12. *Quae amplexamini.*] *Cic. pro Sext.* 45., " Neque ullum *amplexari* otium, quod abhorreat a dignitate."

13. *Expergiscimini.*] Vide not. 21. ad c. 20. supra.—*Aliquando:* serius omnino, at aliquando: *Jug.* c. 14., " Utinam...*aliquando* aut apud vos, aut apud deos immortalis, rerum humanarum cura oriatur." et c. 62., " Obtestatur, uti *aliquando* sibi liberisque, et genti Numidarum, optume meritae, provideat." Adde *Cic. Phil.* I. 1. et III. 1.

14. *Capessite rempublicam.*] Scholiast. Harl. 4., *Quae si bene se habebit, habebitis divitias vestras, et inde otium; secus autem, ipsas amittetis: inde vos laborare oportebit.* Liv. XXVI. 36., " Respublica incolumis et privatas res facile salvas praestat: publica prodendo, tua nequidquam serves." Conf. praeterea *Thucyd.* II. 60., quem jam cum Livio suo comparavit V. Cl. Johannes Walker.

15. *Non agitur de vectigalibus*, etc.] Sic Memmius, *Jug.* c. 31., " Non peculatus factus est, neque per vim sociis ereptae pecuniae; etc."

16. *In dubio est.*] *Terent. Adel.* III. 2. 41., " Tua fama et gnatae vita *in dubium* veniet." *Liv.* XLV. 19., " Regnum *in dubium* adductum esse."

17. *Saepenumero*, etc.] *Tacit. Ann.* XIV. 43., " Saepenumero, Patres conscripti, in hoc ordine interfui, quum—." Conf. item *Liv.* XXXIV. 4.

animo meo nullius umquam delicti gratiam fecissem, haud facile alterius lubidini malefacta condonabam. Sed, ea tametsi vos parvi pendebatis, tamen respublica firma; opulentia neglegentiam tolerabat. Nunc vero non id agitur, bonis an malis moribus vivamus; neque quantum aut quam magnificum imperium populi Romani; sed, cujus haec cumque modi nostra, an, nobiscum una, hostium futura sint. Hic mihi quisquam mansuetudinem et misericordiam nominat? Jam pridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus; quia bona aliena largiri liberalitas, malarum

---

18. *Gratiam fecissem.*] *Liv.* III. 56., "Omnium igitur tibi, Ap. Claudi, quae impie nefarieque per biennium alia super alia es ausus, *gratiam facio.*" Idem VIII. 34., "Disciplinae militaris eversae juventuti *gratiam facere.*" Noster *Jug.* c. 104. extr.—*Haud facile:* vide not. 10. ad c. 13. supra.—*Condonabam:* iterum Noster *Jug.* c. 27.

19. *Ea tametsi vos*—.] Sc. verba mea. *Vos* autem Harl. 1., 10., 19., delent.

20. *Respublica firma; opulentia neglegentiam tolerabat.*] Sic Cort., et Harl. 3. optimus; 2. *firma fuit;* 9. et 15. *videbatur;* vulgo *f. erat.* Ceterum *opulentia* casum sextum intellige, et repete *respublica.* Infra c. 53., "Respublica magnitudine sua imperatorum atque magistratuum vitia sustentabat." *Hor. Epist.* I. 18. 29., "Stultitiam patiuntur opes." Verbi *tolerare* autem exempla supra sunt c. 24. et 37.

21. *Bonis, an malis, moribus.*] Sic mox, "nostra, *an*...hostium:" vide not. 5. ad c. 25. supra.

22. *Cujus haec cumque modi.*] Haud inusitata illa τμῆσις: *Cic. de Orat.* III. 16., *de Fin.* IV. 25., *de Div.* II. 2.—Recte autem Cortius abjecit *videntur;* neque istud princeps Romana agnoscit.

23. *Nobiscum una.*] *Liv.* XXI. 43., "Quidquid Romani tot triumphis partum congestumque, possident, id omne vestrum *cum ipsis dominis* futurum est."

24. *Hic mihi quisquam mansuetudinem ... nominat?*] Εἶτα. *Cic. Phil.* VIII. 4., "*Hic* mihi etiam Q. Fufius, vir fortis ac strenuus, amicus meus, pacis commoda commemorat!" *Idem in Verr.* II. 44., "*Hic* vos dubitabitis, judices, —?" adde *pro L. Manil.* 13.

25. *Equidem nos.*] Vide not. 26. ad c. 51. supra.

26. *Bona aliena largiri, liberalitas.*] Qualis fere Caesaris liberalitas memoratur supra c. 49. *Ta-*

rerum audacia fortitudo vocatur: eo respublica in extremo sita. Sint sane, quoniam ita se mores habent, liberales ex sociorum fortunis, sint misericordes in furibus aerarii; ne illis sanguinem nostrum largiantur, et, dum paucis sceleratis parcunt, bonos omnis perditum eant. Bene et composite C. Caesar paulo ante in hoc ordine de vita et morte disseruit, falsa, credo, existumans, quae de inferis memorantur; divorso itinere malos a bonis loca tetra, inculta, foeda atque formidolosa, habere. Itaque censuit, PECUNIAS EORUM PUBLICANDAS, IPSOS PER MUNICIPIA IN CUSTODIIS HABENDOS; videlicet timens, ne, si Romae sint, aut a popularibus conjurationis aut a multitudine conducta per vim eripiantur. Quasi vero mali atque scelesti tantummodo in urbe, et non per totam Italiam, sint; aut non ibi plus possit audacia, ubi ad defendendum opes minores. Quare vanum equidem hoc

---

cit. Hist. I. 52., "Ita comitatem bonitatemque faventes vocabant, quod sine modo, sine judicio, donaret sua, *largiretur aliena.*"—Particulam *quia* lubenter abjecerim.

27. *In furibus.*] Vide not. 2. ad c. 9. supra.

28. *Ne illis sanguinem nostrum largiantur.*] Sed ea lege, ne —; ita tamen, ne —; modo ne —. *Tacit. Ann.* III. 70., "*Sane* lentus in suo dolore esset; reipublicae injurias *ne* largiretur." et XI. 23., "Fruerentur *sane* vocabulo civitatis; insignia Patrum, decora magistratuum, *ne* vulgarent." *Liv.* XXXVI. 1., "Permissum, ut... auxilia ab sociis, *ne* supra quinque millium numerum, acciperet." *Cic. de Leg.* II. 26., "Super terrae tumulum noluit quid statui, nisi columellam, tribus cubitis *ne* altiorem." Adde *Tacit. Hist.* IV. 58.

29. *Dum paucis sceleratis parcunt.*] *Jug.* c. 31., "Ne, ignoscendo malis, bonos perditum latis."

30. *Composite.*] Vide not. 15. ad c. 51. supra.—Mox Harl. 13. delet *paulo ante.*

31. *In hoc ordine.*] Damnavit haec Gruterus, importune: tu intellige, quasi dixisset Cato — indigno loco et tempore sumto ad religionem contemnendam.

32. *Divorso itinere.*] Sc. profectos. Harl. 10. *diversos.*—Mox *habere:* vide not. 2. ad c. 6. supra.

33. *Ad defendendum.*] Nazarianus apud Gruterum *defendendam*

consilium, si periculum ex illis metuit: sin in tanto omnium metu solus non timet, eo magis refert mihi atque vobis timere. Quare, quum de P. Lentulo ceterisque statuetis, pro certo habetote, simul de exercitu Catilinae et de omnibus conjuratis decernere. Quanto attentius agetis, tanto illis animus infirmior erit: si paululum modo languere viderint, jam omnes feroces aderunt. Nolite existumare, ma-

---

sc. audaciam; atque ita intelligendum: Cicero *defendere injuriam*, pro Rosc. A. 1., de Off. III. 18.

34. *Sin ... solus non timet.*] Hominem perstringit, Catilinae socium; qui postea consilia Catilinae suscepta ad exitum perduxit: nimirum alter libertatem patriae voluit exstinguere, et nomen exsecrandum reliquit; exstinxit alter, et—vir summus evasit: ita sese mores habent.

35. *Eo magis...timere.*] Scilicet et conjuratos, et illum conjuratorum fautorem. *Demosth. Phil.* IV. 9., *Δέδοικα τοῦτον, ὅστις ἂν ᾖ πότ', ἔγωγ', ἐπειδὴ οὐχ οὗτος Φίλιππον.* Scholiast. Harl. 4., *Habeamus nobis cautelam, quia forte est de illis.—Mihi atque vobis timere:* me mihi, vos vobis.

36. *Quum...statuetis.*] Harl. 1. *quae;* 4. et 11. *quod.*

37. *Pro certo habetote, simul ... decernere.*] Ita Harl. 15., omisso *vos* eleganter, quod in Regio locum mutat: sed plurium codicum instar *Livius* est, IX. 1. extr., "Proinde...*pro certo habetote*, priora bella adversus deos magis, quam homines, *gessisse.*"

38. *Quanto attentius agetis.*] Vulgo *Quanto vos attentius ea agetis;* at, uno eodemque auctore Harl. 11., utrumque pronomen transfixi: quorum unum, *ea*, jam Cortius damnavit, et vidit ille Sallustium absolute posuisse *agetis*, ut supra c. 42. n. 1.: *vos* autem pronominis *illis* in posteriori membro librandi causa invectum est, quae tamen ratiuncula nihili est; nec reformidavit Cortius parem antithesin perfringere *Jug.* c. 31., "Si tam (*vos*) libertatis curam haberetis, quam *illi* ad dominationem accensi sunt." et paulo post, "Quod magis (*vos*) fecisse, quam *illis* accidisse, indignum."— Pro *attentius* Harl. 14. *intentius.*

39. *Si paululum modo languere viderint.*] Tertio pronomen *vos* delevi, auctoribus Harl. 21. et 22., ut omittam in quibus locum mutat.

40. *Jam omnes —.*] *Liv.* III. 68., "Ante portas est bellum: si inde non pellitur, *jam* intra moenia erit." —*Feroces aderunt:* Jug. c. 50., "Infensi *adesse* atque instare."

jores nostros armis rempublicam ex parva magnam fecisse. Si ita res esset, multo pulcherrumam eam nos haberemus; quippe sociorum atque civium, praeterea armorum atque equorum, major nobis copia, quam illis. Sed alia fuere, quae illos magnos fecere, quae nobis nulla sunt: domi industria, foris justum imperium; animus in consulendo liber, neque delicto neque lubidini obnoxius. Pro his habemus luxuriam atque avaritiam; publice egestatem, privatim opulentiam; laudamus divitias, sequimur inertiam; inter bonos et malos discrimen nullum; omnia virtutis praemia ambitio possidet. Neque mirum; ubi vos separatim, sibi quisque, consilium capitis; ubi domi voluptatibus, hic pecuniae aut gratiae servitis: eo fit, ut impetus in vacuam fiat rempublicam. Sed ego haec omitto. Conjuravere nobilissumi cives

---

41. *Si ita res esset.*] Harl. 1., 14., 15., *Si ita esset*, omisso *res*.

42. *Multo pulcherrumam eam nos haberemus*] Pronomen *nos* omittunt Harl. 1., 4., 6., 7., 8., 10., 11.; et, sua sponte librarios antithesin sustulisse, vix credibile: vigesimus autem delet *eam;* at quintusdecimus instat auctor utriusque, et *eam et nos*, exstinguendi: sextus *multo eam p. h.* Scriberem, arbitrium sequi si liceret, *multo nos pulcherrumam haberemus:* poterat nimirum librarius, quum vellet interpretis officio fungi, pronomen *nos* suo movere loco, et postea alieno inserere oblivisci.

43. *Alia fuere, quae...fecere.*] Vide not. 7. ad c. 39. supra.

44. *Pro his habemus—.*] Pronomen *nos*, quod jam Gruterus et Cortius supervacaneum judicaverunt, Harl. 11. sequutus delevi.

45. *Sequimur inertiam.*] *Phaedr.* V. 1. 17., " Resides et *sequentes* otium."

46. *In vacuam fiat rempublicam.*] Ita verbum *fiat* princeps Romana habet projectum, nec frustra, opinor, si quidem ita et voci *vacuam* emphasis accedit, et perissologia non nimis grata, *fit ut fiat*, quasi dissimulatur.—*Vacuam:* nudam defensoribus, vel potius consultoribus. *Liv.* XXIII. 2., " Per caedem senatus *vacuam rempublicam* tradere Hannibali." De adjectivo *vacuus* plura *Rupert.* ad *Tacit. Ann.* I. 3. 2. et II. 3. 1.

47. *Conjuravere ... incendere.*] Sic cum infinitivo *Virg. Ge.* I. 280., " *Conjuratos* coelum *rescin-*

patriam incendere; Gallorum gentem infestissumam nomini Romano ad bellum arcessunt; dux hostium supra caput est: vos cunctamini etiam nunc, quid, intra moenia adprehensis hostibus, faciatis. Misereamini censeo; deliquere homines adolescentuli per ambitionem; atque etiam armatos dimittatis. Nae ista vobis mansuetudo et misericordia, si illi arma ceperint, in miseriam vortet. Scilicet res aspera est, sed vos non timetis eam. Immo vero maxume, sed inertia

---

dere fratres." adde *Hor. Od.* I. 15. 7.

48. *Nomini Romano.*] Romanis, genti Romanorum: sic *Liv.* I. 10. *nomen Caeninum;* II. 35. *Volscum nomen;* passim *nomen Latinum.*

49. *Arcessunt.*] *Liv.* IV. 2., "Quum hostes tantum non *arcessierint.*" Adde XXXVI. 22. et 24., et *Cic. in Catil.* IV. 6.

50. *Dux hostium supra caput est.*] *Liv.* III. 17., "Quum hostes *supra caput* sint, discedi ab armis, legesque ferri, placet?" Harl. 14. delet *est.* Recte autem Cort. extrusit *cum exercitu.*

51. *Cunctamini...,quid—.*] Infra, "Vos, de crudelissumis parricidis *quid* statuatis, *cunctamini.*" Sic recte Cortius, ejecto supplemento *et dubitatis,* quod neque Harl. 1. et 10. agnoscunt.

52. *Quid, i. m. adprehensis hostibus, faciatis.*] Monet Cortius, recte *hostibus* vel sexto vel tertio casu *facere* dici: equidem absolutam constructionem intelligo, ut supra c. 46., "Anxius erat, in maxumo scelere tantis *civibus deprehensis, quid facto* opus."

53. *Armatos dimittatis.*] Armetis atque ita dimittatis. Infra c. 60., *perturbatos...interficit,* h. e. perturbat et perturbatos interficit. *Jug.* c. 26. *excruciatum necat.* Particulam autem *etiam* omittunt codices a Grut. et Cort. memorati decem, quibus accedunt Harl. 1., 12., 19.: eaque videtur sensum in periculum committere; nam nemo, sola verba *atque etiam armatos dimittatis* intuens, non putaret de hominibus jam armatis orationem esse.

54. *Nae—.*] *Jug.* c. 14. "*Nae* ille...gravis poenas reddet." et c. 85., "*Nae* illi falsi sunt, qui—."— *In miseriam vortet:* vide not. 10. ad c. 6. supra.

55. *Sed vos non timetis eam.*] Harl. 11. delet *vos;* et, quid habeat istud quod agat, non video. Ed. Parisiensis 1470. *s. v. eam. n. t.;* et hoc *eam* quoque si quis voluerit expungere, suffragium meum reportabit.

et mollitia animi, alius alium exspectantes cunctamini, dis immortalibus confisi, qui hanc rempublicam in maxumis saepe periculis servavere. Non votis neque suppliciis muliebribus auxilia deorum parantur: vigilando, agendo, bene consulendo, prospera omnia cedunt: ubi secordiae te atque ignaviae tradideris, nequidquam deos implores; irati infestique sunt. Apud majores nostros T. Manlius Torquatus bello Gallico filium suum, quod is contra imperium in hostem pugnaverat, necari jussit; atque ille egregius adolescens immoderatae fortitudinis morte poenas dedit: vos, de crudelissumis parricidis quid statuatis, cunctamini. Videlicet vita cetera eorum huic sceleri obstat. Verum parcite dignitati Lentuli, si ipse pudicitiae, si famae suae,

---

56. *Alius alium exspectantes.*] Noster I. *Hist.* orat. Lepidi, " Ne, *alius alium principem expectantes*, ante capiamini." Conf. item *Liv.* II. 10., et *Tacit. Hist.* I. 55.

57. *Dis immortalibus confisi.*] Orat. Macri III. *Hist.*, " Jovem aut alium quem deum consultorem exspectatis."

58. *Non votis neque—.*] Harl. 10. et 22., Cortiani duo, ed. Venetae et Mediol., *N. v. atque—*: vide not. 6. ad c. 12. supra. *Livius* XXII. 5., " Nec enim inde *votis* aut *imploratione deum*, sed vi ac virtute, evadendum esse."

59. *Agendo.*] Orat. Lepidi, " *Agendum* atque obviam eundum est, Quirites;...non prolatandum, neque votis paranda auxilia." *Liv.* XXII. 14., Audendo atque *agendo* res Romana crevit, non—."

60. *Prospera omnia cedunt.*] Vide not. 8. ad. c. 26. supra.

61. *T. Manlius Torquatus.*] Ita recte princeps Romana, quum M. S. omnes *Aulus* praenomen exhibeant.

62. *Bello Gallico.*] Immo Latino; quod tamen supervacaneum erat senatum Romanum edocere: et hoc oscitantis librarii commentum esse existimo, in cujus memoria haeserat Gallicum bellum, quo Manlius Torquati cognomen adeptus est.—*Filium suum:* Harl. 1. pronomen non agnoscit.

63. *Vita cetera eorum.*] Harl. 10. et 16. *illorum:* alienum ergo pronomen.—*Huic sceleri obstat:* Liv. I. 26., " Atrox visum id facinus Patribus plebique: sed recens meritum facto *obstabat.*"

64. *Si famae suae.*] Harl 1. et

si dis aut hominibus umquam ullis pepercit: ignoscite Cethegi adolescentiae, nisi iterum patriae bellum fecit. Nam quid ego de Gabinio, Statilio, Coepario, loquar? quibus si quidquam umquam pensi fuisset, non ea consilia de republica habuissent. Postremo, Patres conscripti, si mehercule peccato locus esset, facile paterer vos ipsa re corrigi, quoniam verba contemnitis: sed undique circumventi sumus. Catilina cum exercitu faucibus urget; alii intra moenia, in sinu urbis, sunt hostes: neque parari

---

10. omittunt *suae;* et mox 2., 5., 13., 18., *ullis.*

65. *Si d. a. h. umquam ullis pepercit.*] *Cic. in Verr.* II. 6., " Si cuiquam denique ulla in re umquam temperaverit, ut vos quoque ei temperetis."

66. *Iterum.*] Sc., quum fuisset (ut creditur) prioris conjurationis particeps, de qua supra c. 18.

67. *Quidquam. . .pensi.*] Vide not 8. ad c. 5. supra.

68. *Si mehercule peccato locus esset*, etc.] Orat. Memmii, *Jug.* c. 31., " Atque ego...vos hominibus sceleratissumis ignoscere, quoniam cives sunt, aequo animo paterer, nisi misericordia in perniciem casura esset." Notabilis autem loquutio *peccato locus*, quum proprietas *peccando* potius vel *peccandi* poscat: *Cic. in Verr.* I. 4., " Non est in hoc homine cuiquam *peccandi locus*, judices."

69. *Facile paterer.*] Aequo animo, lubenter. *Cic. Tusc. Qu.* I. 33., " Ego vero memineram: sed te de aeternitate dicentem aberrare a proposito *facile patiebar.*" Adde *Plaut. Asin.* I. 3. 87.

70. *Faucibus urget.*] Sic apud Cortium *Valer. Max.* V. 3. 3., " Qui pestifera Ti. Gracchi manu *faucibus apprehensam* rempublicam strangulari passus non est." Item *Cic. pro Cluent.* c. 31., " Istam conciliationem gratiae Stalenus tum recenti re, quum *faucibus premeretur*, excogitavit." *Faucibus urget* igitur ita intelliges, *ad nos strangulandos* (exstinguendos, opprimendos) *adest.*

71. *Intra moenia, in sinu urbis.*] Sic Cort., deleto *atque;* cui non eram obtemperaturus, nisi Harl. 3. ipse reluctantem devicisset. Habueram autem in animo locum *Ciceronis in Verr.* V. 37., " In urbem dico, *atque* in urbis intimam partem, venisse piratas." qua de copulae vi, nisi piget tenues cognoscere curas, consulas libellum nostrum *Doctr. Copular. L. L.* c. I. n. 3. Sed omittunt illam par-

neque consuli quidquam occulte potest: quo magis properandum. Quare ita ego censeo: Quum nefario consilio sceleratorum civium respublica in maxuma pericula venerit, hique indicio T. Volturcii et legatorum Allobrogum convicti confessique sint, caedem, incendia, alia foeda atque crudelia facinora in civis patriamque paravisse, de confessis, sicuti de manifestis rerum capitalium, more majorum supplicium sumendum."

LIII. Postquam Cato adsedit, consulares omnes, itemque senatus magna pars, sententiam ejus laudant; virtutem animi ad coelum ferunt: alii alios increpantes timidos vocant; Cato magnus atque clarus habetur: senati decretum fit, sicuti ille censuerat.

Sed mihi legenti multaque audienti, quae populus Romanus domi militiaeque, mari atque terra, praeclara facinora fecit, forte lubuit attendere, quae res maxume tanta negotia sustinuisset. Sciebam, saepenumero parva manu

---

ticulam etiam editiones principes Parisiensis et Veneta.—Infra *properandum:* Cortius tacitus delevit *est:* abest autem id ab Harl. 7.

72. *Quum*—.] Particula prooemio censentis propria: *Cic. Phil.* V. 15., IX. 7., X. 11., XIV. 14.: Anglice *Whereas.*

73. *Venerit.*] Harl. 3. *evenerit;* fortasse pro *devenerit,* quod non improbarem: *Plaut. Men.* I. 2. 27., " Perii, in insidias *deveni!* "

74. *Crudelia facinora.*] Harl. 1. delet *facinora:* 12. *foeda atque facinorosa in cives.*

LIII. 1. *Consulares omnes.*] Harl. 11. delet *omnes.*

2. *Itemque senatus*—.] Eorum, qui consulares non erant.

3. *Sed mihi legenti multaque audienti,*—.] Vulgo *multa legenti, multa audienti:* Harl. 10. et 20. *multa mihi l., multa a.;* 22. *mihi l. multa a.;* 9., 11., 14., 23., Regius, Burn., *multa l., multaque a.,* quomodo ed. Aldinae, Junt., etc.: Veneta 1478. *l. multa, multaque a.:* Sallustii imitator *Aur. Victor, Caes.* c. 11., " At mihi quidem *audienti multa legentique* plane compertum—." qui satis plane significat apud Nostrum se *multa* semel tantummodo positum legisse. Verum enim vero Sallustianum

cum magnis legionibus hostium contendisse; cognoveram parvis copiis bella gesta cum opulentis regibus; ad hoc saepe fortunae violentiam toleravisse; facundia Graecos, Gallos gloria belli, ante Romanos fuisse. Ac mihi multa agitanti constabat, paucorum civium egregiam virtutem cuncta patravisse; eoque factum, uti divitias paupertas, multitudinem paucitas, superaret. Sed, postquam luxu atque desidia civitas corrupta est, rursus respublica magnitudine

---

est, quod ex Harl. 4. et 18. expressi, *sed mihi legenti multaque audienti*, idque perinde intelligendum ac si geminatum esset *multa*. Sic *Horat. Epist.* I. 3. 15., "Monitus *multumque* monendus." h. e., monitus multum, multumque monendus. Idemque passim; passim item *Tibullus:* exempla congessi *Doctr. Copularum L. L.* c. III. n. 17. Sed neque *Ciceroni* ipsi ignota res est, ignota quamvis editori ejus Ernestio: *Phil.* VIII. 7., "Ante *consulis oculosque legatorum* tormentis Mutinam verberavit." i. e., ante consulis oculos, oculosque legatorum. Ita Ferrarius, Gruterus, Graevius: Ernest. autem mire haesit, confugitque ad *ante consulem oculosque legatorum;* qui tamen geminum exemplum tacitus praeteriit, *ibid.* V. 19., "Qui *Caesaris*, pontificis, *auctoritatemque hujus ordinis* defenderint." *De Div.* II. 14., "Ostreis et conchyliis omnibus contingere, ut cum luna *crescant pariterque decrescant.*" Ita saepius citat Nizolius; nunc autem τὸ *pariter* solet geminari. Eademque structura apud Nostrum iterum agnoscenda est *Jug.* c. 5., "Pauca supra repetam, quo ad cognoscendum omnia *illustria* [magis] *magisque in aperto* sint." deleto priore *magis*. Adde sis not. 1. ad c. 50. supra.

4. *Legionibus hostium.*] *Plaut. Amph.* prol. 136., "Memorat, *legiones hostium* ut fugaverit." Sic *legiones hostium* apud *Liv.* X. 28. bis. Noster *Jug.* c. 79., "Postquam utrimque *legiones*, item classes, saepe fusae."—*Contendisse:* sc. p. R.

5. *Parvis copiis.*] Exiguis opibus: infra, "Eoque factum, uti *divitias paupertas*, multitudinem paucitas, superaret."—Mox Harl. 5., 7., 12., 13., *opulentissimis.*

6. *Toleravisse.*] Animadvertenda enallage vocis,—*contendisse,...gesta ...,toleravisse:* similiter *Jug.* c. 10., "Tua virtute Romanos ex amicis amicissumos *fecisti;* in Hispania nomen familiae *renovatum;* postremo...gloria invidiam *vicisti.*" Adde not. 69. ad c. 51. supra.

7. *Gallos gloria belli.*] Hunc ordinem ostendunt Harl. 14. et

sua imperatorum atque magistratuum vitia sustentabat; ac, sicuti effoeta parentium, multis tempestatibus haud sane quisquam Romae virtute magnus fuit. Sed memoria mea ingenti virtute, divorsi moribus, fuere viri duo, M. Cato et C. Caesar; quos quoniam res obtulerat, silentio praeterire non fuit consilium, quin utriusque naturam et mores, quantum ingenio possem, aperirem.

LIV. Igitur his genus, aetas, eloquentia, prope aequalia fuere; magnitudo animi par; item gloria, sed alia alii. Caesar beneficiis ac munificentia magnus habebatur; integritate vitae Cato. Ille mansuetudine et misericordia clarus

---

Burn, itemque ed. Venetae et Mediol.; vulgo *g. b. G.*: vide not. 3. ad c. 2. supra.

8. *Respublica...sustentabat.*] Vide not. 20. ad c. 52. supra.

9. *Sicuti effoeta parentium.*] Sc. *virtute.* Quasi illa virtus, quae in parentibus et majoribus illustrium domorum fuit, lassata et effoeta provenire ac propagari desiisset; longo tempore nemo apparuit eadem, qua majores, virtute magnus. Haec *Gronovius.* Nimirum Ἐξ ἀγαθῶν ἀγαθοί: vide *Hor. Od.* IV. 4. 29. Cortius autem, *effoeta parentium* pro *effoeta parens* accipiens, frustra constructionem, frustra sensum, expedire conatur: "Ac sicuti *effoeta parens*, inter parentes, *sese habere solet*, ut nullos amplius liberos proferat; sic Roma sese habuit, ubi multis tempestatibus nemo virtute magnus fuit." Profecto, ut duritiem structurae omittam, non perinde Roma se habebat, ac mulier effoeta, quae facultatem concipiendi, semel amissam, numquam resumit. F. G. Pottier, editor Parisiensis, ex conjectura, *sicuti effoeta parens tum*: conjecturam autem ut homo ipse sine adnotationis verbo dimisit, ita non meum est istius suscipere curam.

10. *Quos quoniam res obtulerat*, etc.] Merito hanc praefatiunculam reprehendit vir gravissimus *Johannes Walker* ad *Livium* XXXIX. 40., laudes M. Porcii Catonis illius Censorii pronuntiantem, et Livio suo palmam defert, quod tales excursus ita operi intexuerit, ut non purpureos pannos assuere, nec de via usquam devertere, aut plausus captare, videatur. Distinctionem autem post *quos* sustuli: vide not. 3. ad c. 11. supra.

LIV. 1. *Sed alia alii.*] Ceterum alia alteri, alteri alia. *Liv.* I. 21.,

factus; huic severitas dignitatem addiderat. Caesar dando, sublevando, ignoscendo; Cato nihil largiundo gloriam adeptus. In altero miseris perfugium; in altero malorum pernicies: illius facilitas, hujus constantia laudabatur. Postremo Caesar in animum induxerat laborare, vigilare; negotiis amicorum intentus, sua neglegere; nihil denegare, quod dono dignum esset: sibi magnum imperium, exercitum, novum bellum exoptabat, ubi virtus enitescere posset. At Catoni studium modestiae, decoris, sed maxume severitatis, erat: non divitiis cum divite, neque factione cum factioso, sed cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia, certabat;

" Ita *duo* deinceps reges, *alius alia* via, ille bello, hic pace, civitatem auxerunt."

2. *Dignitatem addiderat.*] *Jug.* c. 73., " Alteri generis humilitas favorem *addiderat.*"

3. *Adeptus.*] Verbum substantivum Cortius tacitus abjecit, cui nunc ego auctorem post factum affero, Harl. 3.

4. *In altero malorum pernicies.*] Sic Harl. 4.; vulgo *malis*, propter superius illud *miseris:* vide not. 2. ad c. 33. supra. Simili diversitate utitur *Tacitus*, *Agric.* 22., " Ut erat *bonis* comis, ita *adversus malos* injucundus."

5. *Facilitas.*] Humanitas, benignitas, *προθυμία* ad omnia danda, condonanda, concedenda, facienda. *Cic. pro Mur.* 31., " Si illius comitatem et *facilitatem* tuae gravitati severitatique adsperseris." *Nep. in Att.* 15., " Ejus comitas non sine severitate erat, neque gravitas sine *facilitate.*"

6. *In animum induxerat.*] Constituerat, decreverat, sibi persuaserat: *Liv.* VIII. 5., XXII. 29., XXVII. 9. et 12., XXVIII. 18., XLII. 25., XLIV. 14. et 23.

7. *Negotiis amicorum intentus.*] Vide not. 10. ad c. 7. supra.—Mox *neglegere* pro *neglegebat:* v. n. 2. ad c. 16.

8. *Dono dignum.*] Dignum, quod dono daretur; quod pro dono esset. Facile satis crassum sensum assequi: loquutionis exemplum desidero.

9. *Non divitiis cum divite...certabat.*] Noster fragm. VI. *Hist.*, " Pompeius cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte, *certabat.*"—*Cum innocente:* v. n. 2. ad c. 12. supra.

esse, quam videri, bonus malebat: ita, quo minus gloriam petebat, eo magis sequebatur.

LV. Postquam, ut dixi, senatus in Catonis sententiam discessit, consul, optumum factum ratus, noctem, quae instabat, antecapere, ne quid eo spatio novaretur, triumviros, quae supplicium postulabat, parare jubet: ipse, praesidiis dispositis, Lentulum in carcerem deducit; idem fit ceteris per praetores. Est locus in carcere, quod Tullianum ad-

---

10. *Esse, quam videri, bonus malebat.*] *Aeschyl. Sept. contra Theb.* 596., οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι, θέλει. Conf. *Vellei.* II. 35.

11. *Eo magis sequebatur.*] Sc. gloria Catonem. Sed obsoletam lectionem, *illam adsequebatur*, propugnat *Ruhnken. ad Vellei.* II. 127., " Nihil sibi vindicantem, eoque *adsequentem* omnia." et Cortium reprehendit, quod *non petebat gloriam*, et *adsequebatur gloriam*, idem fere dixerit, ac *non petebat*, et *petebat;* miraturque ubinam mens fuerit homini: nonne enim Velleius, quid sit *gloriam assequi* clarissime ostenderet? At nihil iste mihi quidem amplius ostendit, quam se ipsum proprietatis verbi oblitum fuisse; neque id tantum quaeritur, quid sit *gloriam adsequi*, sed quid gloriam *et non petere et adsequi:* et certe non magis contra Cortianam lectionem facit Velleius, quam pro eadem *Plinius, Epist.* I. 8. 14., *Sequi* enim gloria, non adpeti, debet." Alibi Noster, I. *Hist.* orat. Philippi, " Ubi *malos* praemia *sequuntur*, haud facile quisquam gratuito bonus est." Adde supra c. 3.

LV. 1. *Optumum factum.*] Vide not. 3. ad c. 32. supra.

2. *Noctem antecapere.*] *Jug.* c. 21., " Maxume festinans tempus legatorum *antecapere*."—Mox *novaretur:* v. n. 3. ad c. 39. supra.

3. *Praesidiis dispositis.*] Cort. *disp. praes.* tacite; idemque tacite infra *clarissima gente*, contra codices utrobique.

4. *Idem fit ceteris.*] Ceteri itidem deducuntur.

5. *Carcere, quod Tullianum adpellatur.*] Attractio relativi: sic *Liv.* VII. 23., " Auctor Patribus scribendi alterius *exercitus*, *quod* ad incertos belli eventus *subsidium* reipublicae esset." idemque XXIV. 42., " *Saguntum* oppidum, *quae causa* belli erat." XXXII. 30., " *Brixia*, *quod caput* gentis erat." XXXIII. 8., " *Robur* Macedonici exercitus, *quam phalangem* voca-

pellatur, ubi paululum escenderis ad laevam, circiter duodecim pedes humi depressus. Eum muniunt undique parietes, atque insuper camera, lapideis fornicibus vincta: sed incultu, tenebris, odore, foeda atque terribilis ejus facies. In eum locum postquam demissus Lentulus, quibus praeceptum erat, laqueo gulam fregere. Ita ille, patricius, ex gente clarissuma Corneliorum, qui consulare imperium Romae habuerat, dignum moribus factisque suis exitium vitae invenit. De Cethego, Statilio, Gabinio, Coepario, eodem modo supplicium sumtum.

---

bant:" alibi saepe. Sed solet cum genere simul etiam numerus posteriori nomini accommodari. *Liv.* II. 13., "Patres C. Mucio virtutis causa trans Tiberim *agrum* dono dedere, *quae* postea sunt Mucia *prata* appellata." et III. 54., "Ea omnia in *pratis* Flaminiis concilio plebis acta, *quem* nunc *circum* Flaminium appellant."

6. *Escenderis.*] Saepe hoc verbum restituerunt viri docti Sallustio: *Jug.* c. 25., 93., 97.

7. *Humi depressus.*] In solum humi: vide *Sanctii Minerv.* IV. 4. voce *Solum.*

8. *Terribilis ejus facies.*] Sic, omisso *est*, Harl. 7. et 22. atque etiam impressi multi: haeret tamen istud, nescio cur, in contextu Cortiano.

9. *Demissus.*] *Liv.* XXXIV. 44., "Pleminius in inferiorem *demissus* carcerem est." et XXXIX. 50., "Eo vinctus *demittitur.*"

10. *Quibus praeceptum erat.*] Περισσολόγως, ne carnifices nominaret. *Curt.* III. 2., "Haec vociferantem, *quibus erat imperatum*, jugulant." Et recte Cortius elegans quamvis glossema ejecit, *vindices rerum capitalium.*

11. *Exitium vitae.*] Festus: "*Exitium* antiqui ponebant pro *exitu:* nunc exitium pessimum exitum dicimus." *Varr. de L. L.* IV. 10., "Animae et corporis discessus, quod natis sit exitus, inde *exitium;* ut, quum in unum ineunt, *initia.*" Terent. Andr. IV. 1. 43., "At tibi Di dignum factis *exitium* duint." *Valer. Flacc.* I. 809., "Date fallaci pudibunda senectae *Exitia*, indecoresque obitus." Harl. 1. et 10. *exitium* absolute; absolute 22. atque ed. Romana 1470. *exitum.*

12. *Invenit.*] Noster I. *Hist.* orat. Philippi, "Perge, qua coepisti, ut quam maturrime merita *invenias.*" Elegans esse in re tali verbum *invenire* docet *Burmannus*

LVI. Ea dum Romae geruntur, Catilina ex omni copia, quam et ipse adduxerat, et Manlius habuerat, duas legiones instituit; cohortis pro numero militum complet; deinde, ut quisque voluntarius, aut ex sociis, in castra venit, aequaliter distribuerat; ac brevi spatio legiones numero hominum expleverat, quum initio non amplius duobus millibus habuisset. Sed ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus armis instructa; ceteri, ut quemque casus armaverat, sparos aut lanceas, alii praeacutas sudes, portabant. Sed, postquam Antonius cum exercitu adventabat, Catilina per montis iter facere, ad urbem modo, modo in Galliam vorsus, castra movere; hostibus occasionem pugnandi non dare; sperabat, prope diem sese habiturum, si Romae socii incepta patravissent. Interea servitia repudiabat, cujus initio ad

---

ad *Virg. Aen.* II. 645. et *Ovid. Met.* VII. 281.

LVI. 1. *Ea dum —.*] Praeposito pronomine, Harl. 22. et Cortii judicium sequutus sum: sic supra c. 29., " *Ea* quum —." et *Jug.* c. 26., " *Ea* postquam —."

2. *Distribuerat.*] Veneta 1470. *distribuebat*: tu scribe *distribuere;* v. n. 2. ad c. 16. supra.

3. *Numero hominum.*] Sc. justo, solito, usitato. Pro *expleverat* autem mallem, quod habet Harl. 7., *explevit;* idque videtur temporum ratio postulare: *instituit—complet —explevit.*

4. *Ex omni copia.*] Recte Gruterus haec ex superioribus repetita existimat.

5. *Sparos aut lanceas, alii praeacutas sudes —.*] H. e., *alii* sparos aut lanceas, *alii* praeacutas sudes, portabant. *Liv.* III. 37., " Virgis caedi, *alii* securi subjici." *Tacit. Ann.* I. 63., " Caecinae... castra metari in loco placuit; ut opus, et *alii* proelium inciperent." Adde *Caes. de B. G.* I. 8., *Liv.* XXXIV. 2. sub fin., et not. 1., ad c. 50. supra.

6. *In Galliam vorsus.*] *Caes. de B. G.* VII. 8., " Castra ex Biturigibus movet *in* Arvernos *versus.*" Noster *Jug.* c. 58., " Animadvortit, fugam *ad* se *vorsum* fieri." Vide *Sanctii Minerv.* I. 16. sub fin.

7. *Sese habiturum.*] Sc. occasionem. Ita bene Cortius; vulgo *magnas copias se h.:* pronomen autem abest ab ed. Romana 1740.

8. *Servitia,...cujus —.*] Intellige *servitii,* ex plurali singularem nu-

eum magnae copiae concurrebant, opibus conjurationis fretus; simul alienum suis rationibus existumans, videri causam civium cum servis fugitivis communicavisse.

LVII. Sed, postquam in castra nuntius pervenit, Romae conjurationem patefactam, de Lentulo, Cethego, ceteris, quos supra memoravi, supplicium sumtum, plerique, quos ad bellum spes rapinarum, aut novarum rerum studium illexerat, dilabuntur; reliquos Catilina per montis asperos magnis itineribus in agrum Pistoriensem abducit, eo consilio, uti per tramites occulte perfugerent in Galliam. At Q. Metellus Celer cum tribus legionibus in agro Piceno praesidebat, ex difficultate rerum eadem illa existumans,

---

merum, qui et ipse plures notat: haec Cortius, qui idem in excursu, more suo, multa de omnibus rebus docte disseruit. Pro me autem ipse hoc tantummodo possum monere, inter *servitium* et *servitia* hoc interesse, quod alterum solet de toto genere servili adhiberi, alterum de numero aliquo circumscripto servorum, sive pro numero plurali nominis *servus;* eamque ipsam consuetudinem postulasse, ut numerus mutaretur. *Tacit. Ann.* XII. 17., "Postero misere legatos, veniam liberis corporibus orantes: *servitii* decem millia offerebant." i. e., generis servilis. *Idem ibid.* XIV. 61., "Vitam ipsam in extremum adductam a clientelis et *servitiis* Octaviae." i. e., servis.—Mox Harl. 5. et 13. delent *ad eum.*

9. *Existumans, videri* —.] Cortius, uncis incluso *existumans*, quum id cod. duobus defuisset, *videri* accipit pro *videbatur:* atque illud ab suo item codice, monet Putschius, salvo sensu abfuisse. Contra ego testor, ab Harl. 3. et 13. abesse *videri.* Sed dubito, an sollicitanda sit vulgata: nam, utrovis omisso, sive *existumans* sive *videri*, simul, arbitror, rescribendum erit *communicare* pro *communicavisse.* Et nihil nisi speciem quamdam honesti captabat Catilina: nolebat *videri* causam civium cum servis communicasse; re vera autem eumdem non adeo religiosum fuisse, constat, si quidem supra c. 24. vidimus ipsa servitia ultro sollicitantem.

LVII. 1. *Eo consilio, uti*—.] Harl. 4. delet *eo consilio*, male: formulae exempla accipe Ciceroniana: *de Orat.* II. 32., *Phil.* XI. 12., *ad Att.* V. 20., *de Fin.* I. 21.—*Occulte perfugerent*: sc. ipse cum iis: ita Cortius. Harl. 13. et 15. delent *occulte.*

2. *Praesidebat, ... existumans,*

quae supra diximus, Catilinam agitare. Igitur, ubi iter ejus ex perfugis cognovit, castra propere movet, ac sub ipsis radicibus montium consedit, qua illi descensus erat. Neque tamen Antonius procul aberat; utpote qui magno exercitu, locis aequioribus, expeditus, in fuga sequeretur. Sed Catilina postquam videt montibus atque copiis hostium sese clausum, in urbe res advorsas, neque fugae neque

---

—.] Observa hic (Cortii admonitio est) morem et Graecorum et Latinorum, qui in usu participiorum, quando duo adsunt verba, illud persaepe in participium mutant, quod, propter sensum, non debuerant. Igitur haec ita interpretaberis, ac si scriptum foret: Metellus Celer in agro Piceno *praesidens*, ex difficultate rerum eadem illa *existumabat* Catilinam agitare. Sic nempe bene clauditur haec periodus, et haud inconcinne excipit *Igitur*. Herodian. II. cap. III. n. 10., *τὴν ἐξουσίαν πάντες ψηφίζομέν σοι διδόντες.* pro *ψηφίζοντες δίδομέν σοι.* D. Marcus cap. III. comm. 23., *ἤρξαντο οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ὁδὸν ποιεῖν τίλλοντες τοὺς σταχύας.* adde Zosim. I. cap. V. n. 4. et Paull. Ep. ad Ebr. cap. XIII. com. 2. Sic Capitolin. Marco cap. XVIII., ut et haereditates delatas, *reddens* proximis, aliquando *respuerit.* pro *respuens reddiderit.* Propert. I. eleg. III. v. 35., Tandem te nostro referens injuria lecto Alterius clausis *expulit* e foribus. Sensus est: *expellens retulit.* Celsus Praef. p. 17., Ergo etiam vetustissimus auctor Hippocrates dixit, *mederi* oportere et communia et propria *intuentem.* Haec princeps ille Criticorum.— Adde *Jug.* c. I. n. 8.

3. *Ubi iter ejus...cognovit.*] Harl. 11. *ubi animum ejus*—. Mox *movit*, quod pro vulg. *movit* ex unico rescripsit Cortius, tuetur Harl. quoque 19.: ita etiam ed. Venetae et Mediol.

4. *Qua illi descensus erat.*] Qua parte: *Jug.* c. 50., " Montem occupat, *qua* Metellus descenderat." Addunt autem vulgo *in Galliam properanti:* at Cortius ista merito damnavit, uncisque inclusa reliquit; apud quem unus codex habuit a correctore transfixa, alter ordinem immutavit *p. in G.*, tertius omisit *properanti:* et in Harl. 18. prima manus non scripsit *in Galliam.* Atque interpretis supplementum ejeci.

5. *Neque tamen*—.] Quamquam Antonius ipse haud procul aberat: vide not. 3. ad c. 19. supra.

6. *In fuga sequeretur.*] Illum fugientem. Ita Cortius; vulgo *expeditos in fugam.*

7. *Montibus atque.*] Harl. 4. delet; item mox 11. et 14. *hostium.*

praesidii ullam spem, optumum factum ratus, in tali re, fortunam belli tentare, statuit cum Antonio quamprimum confligere. Itaque, concione advocata, hujuscemodi orationem habuit.

LVIII. " Compertum ego habeo, milites, verba virtutem non addere; neque ex ignavo strenuum, neque fortem ex timido exercitum oratione imperatoris fieri. Quanta cujusque animo audacia natura aut moribus inest, tanta in bello patere solet: quem neque gloria, neque pericula excitant, nequidquam hortere; timor animi auribus obficit. Sed ego vos, quo pauca monerem, advocavi; simul uti causam consilii aperirem. Scitis equidem, milites, secordia atque ignavia Lentuli quantam ipsi cladem nobisque attulerit; quoque modo, dum ex urbe praesidia opperior, in Galliam proficisci nequiverim. Nunc vero quo in loco res nostrae sint, juxta mecum omnes intellegitis. Exercitus hostium duo, unus ab urbe, alter a Gallia, obstant: diutius in his

---

8. *Fortunam belli tentare.*] Quod unum reliquum: conf. *Tacit. Ann.* XII. 14. Harl. 15. autem delet *belli.*

LVIII. 1. *Quanta cujusque animo*, etc.] *Liv.* XXVI. 3., " Suum cuique ingenium audaciam aut pavorem facere."

2. *Timor animi auribus obficit.*] Dubitari poterat, *timor animi* an *animi auribus* jungendum esset, nisi prius illud apud Nostrum iterum exstaret *Jug.* c. 57. sub fin.

3. *Scitis equidem*—.] Vide not. 26. ad c. 51. supra.

4. *Dum ex urbe praesidia opperior.*] Exquisitius Harl. 5. *ex urbe praesidia dum opperior.* Burn. *dum praesidia ex urbe opp.*; at Harl. 15. delet *ex urbe*, neque injuria, quum neque ignari esse possent audientes, unde terrarum sperata fuissent auxilia, et Lentuli mentio jam cogitationes eorum ad Urbem duxisset.

5. *Nunc vero*—.] Particula *vero* ex contextu Cortiano exsulat, incuria librarii, credo; certe codices M.S. illam agnoscunt omnes.

6. *Quo in loco res nostrae sint.*] *Liv.* VII. 35., " *In eo* enim *loco* res sunt nostrae, ut vobis ego magis necessitatis vestrae index, quam consilii auctor, sim." *Terent. Phorm.*

locis esse, si maxume animus ferat, frumenti atque aliarum rerum egestas prohibet. Quocumque ire placet, ferro iter aperiundum est. Quapropter vos moneo, uti forti atque parato animo sitis; et, quum proelium inibitis, memineritis, vos divitias, decus, gloriam, praeterea libertatem atque patriam, in dextris portare. Si vincimus, omnia nobis tuta, commeatus abunde, municipia atque coloniae patebunt: sin metu cesserimus, eadem illa advorsa fiunt; neque locus neque amicus quisquam teget, quem arma non texerint. Praeterea, milites, non eadem nobis et illis necessitudo impendet: nos pro patria, pro libertate, pro vita certamus; illis supervacaneum est pro potentia paucorum pugnare.

II. 4. 6., " Videtis, *quo in loco* res haec siet." *Virg. Aen.* II. 350., " Quae sit rebus fortuna, videtis."

7. *Si maxume animus ferat.*] *Cic. pro L. Manil.* 24., " Si vestra voluntas *feret.*" vide not. 4. ad c. 21. supra, item n. 9. ad *J.* c. 54.

8. *Ferro iter aperiundum est.*] *Liv.* IV. 28., " Ferro via facienda est."

9. *In dextris portare.*] *Liv.* XXVII. 45., " In illorum armis dextrisque suam liberumque suorum salutem ac libertatem repositam esse." *Curt.* IV. 14., " In dextris vestris jam libertatem, opem, spem futuri temporis, geritis." *Tacit. Agric.*, 33., " Manus et arma, et in his omnia."—Supra Harl. 23. *proelium cum vos inibitis.*

10. *Omnia nobis tuta.*] *Tacit. Agric.* 33., " Omnia prona victoribus, atque eadem victis adversa."

11. *Commeatus abunde.*] Vide not 1. ad c. 21. supra.

12. *Municipia atque coloniae.*] Ed. Cortiana *c. atque m.*, mendose; id quod ex adnotatione facile intelligendum.

13. *Advorsa fiunt.*] Vide not. 47. ad c. 51. supra.

14. *Illis supervacaneum est—.*] Locum comparavit Stockius cum illo *Demosth. de Cor.* 2., Οὗτος δ' ἐκ περιουσίας μου κατηγορεῖ.—*Pro potentia paucorum pugnare:* hunc ordinem tenent scripti plures, quum alterum, *pugnare p.p.p.*, tacitus dederit Cortius. Verum enim vero delendum est vagum istud *pugnare*, et *certare* potius ex illo *certamus* adsumendum. Favet castigationi nostrae *Livius* VI. 18., communi verbo usus: " Acrius, crederem, vos pro libertate, quam illos pro dominatione, *certaturos.*"

Quo audacius adgredimini, memores pristinae virtutis. Licuit nobis cum summa turpitudine in exsilio aetatem agere: potuistis nonnulli Romae, amissis bonis, alienas opes exspectare. Quia illa foeda atque intoleranda viris videbantur, haec sequi decrevistis. Si relinquere voltis, audacia opus est: nemo, nisi victor, pace bellum mutavit. Nam in fuga salutem sperare, quum arma, quis corpus tegitur, ab hostibus avorteris, ea vero dementia est. Semper in proelio maxumum est periculum, qui maxume timent: audacia pro muro habetur. Quum vos considero, milites, et quum facta vestra aestumo, magna me spes victoriae tenet: animus, aetas, virtus vestra, hortantur; praeterea necessitudo, quae

---

15. *Alienas opes exspectare.*] *Jug.* c. 14., " Nunc deformatus aerumnis, inops, *alienas opes exspecto.*"

16. *Haec sequi.*] Hunc cursum tenere, haec consilia sequi.

17. *Si relinquere voltis.*] Pronomen *haec*, vulgo iteratum, quod Cort. suo arbitrio delevit, abest ab ed. Venetis et Mediol. Ostendit autem Catilina, pedem revocare atque ab armis sine fraude discedere, non licere; eam conditionem belli, ut aut vincendum sit, aut moriendum.—*Nemo, nisi victor*, etc.: conf. *Jug.* c. 83.

18. *Nam in fuga salutem sperare*, etc.] *Virg. Aen.* II. 354., " Una salus victis nullam sperare salutem." *Tacit. Hist.* IV. 49., " Unam in audacia spem salutis." *Liv.* XXII. 5., " Nullam, nisi in dextra ferroque, salutis spem esse." —*Ea vero dementia est:* vide not. 9. ad c. 7. supra.

19. *Semper in proelio* etc.] Conf. *Jug.* c. 107., et *Liv.* XXII. 5.

20. *Magna me spes victoriae tenet.*] Pronomen *me* in scriptis varie locum mutat; unus autem Cortianus omisit, ut vir summus pronuntiavit, eleganter; et omisit etiam Burneianus. Mihi vero collocatio paulo exquisitior, *magna me spes*, hoc loco satis pronomen tutari videtur. *Cic. Tusc.* I. 41., " Magna *me*, inquit, spes tenet, judices, —." *Idem pro Cluent.* 3., " Quamobrem magna *me* spes tenet, —". At *Jug.* c. 31., " Nisi forte nondum etiam *vos* dominationis eorum satietas *tenet.*" Harl. 3. omnino expungi jubet *vos*, cui decretum est obtemperare. — Mox *hortantur:* recte Cort. delevit *me*, neque agnoscit Harl. 11., nec Regius.

etiam timidos fortis facit: nam, multitudo hostium ne circumvenire queat, prohibent angustiae. Quod si virtuti vestrae fortuna inviderit, cavete, inulti animam amittatis; neu capti potius, sicuti pecora, trucidemini, quam, virorum more pugnantes, cruentam atque luctuosam victoriam hostibus relinquatis."

LIX. Haec ubi dixit, paululum commoratus, signa canere jubet, atque instructos ordines in locum aequum deducit: dein, remotis omnium equis, quo militibus, exaequato periculo, animus amplior esset, ipse pedes exercitum pro loco atque copiis instruit. Nam, uti planities erat inter sinistros montis et ab dextera rupem asperam, octo cohortis

---

21. *Quae etiam timidos fortis facit.*] *Curt.* V. 4., " Ignaviam quoque necessitas acuit, et saepe desperatio spei causa est." *Liv.* IV. 28., " Virtute pares, necessitate, quae ultimum ac maximum telum est, superiores estis."

22. *Multitudo...queat.*] Harl. 2. *queant*, ut Senat. 2. apud Cortium. —*Prohibent angustiae:* ita Cortius, abjecto *loci*.

23. *Sicuti pecora.*] *Liv.* XXV. 16., " Id referre, utrum praebentes corpora, *pecorum modo*, inulti trucidentur, an —." *Idem* XL. 27., " *Pecorum modo* fugientes." *Tacit. Ann.* IV. 25., " *Pecorum modo* trahi, occidi, capi."

LIX. 1. *Signa canere.*] Harl. 9. *signa movere*.

2. *Remotis omnium equis*, etc.] *Caes. de B. G.* I. 25., " Caesar, primum suo, deinde omnium remotis equis, ut, aequato periculo, spem fugae tolleret; cohortatus suos, proelium commisit."

3. *Exaequato periculo.*] Quo militibus, exaequato periculo *ipsis cum duce*, animus amplior esset, ipse *quoque* pedes —. *Jug.* c. 100., " Uti militibus *exaequatus cum imperatore* labos volentibus esset." *Tacit. Agric.* 18., " Ipse ante agmen, quo ceteris par animus simili periculo esset, erexit aciem." Eleganter *ipse* pro *ipse quoque:* Cic. pro Mur. 25., " Quum miserorum fidelem defensorem negasset inveniri posse, nisi eum, qui *ipse* miser esset."

4. *Uti planities erat* —.] Vide not. 8. ad c. 31. supra.

5. *Inter sinistros montis et ab dextera rupem asperam.*] Hanc lectionem verissimam ostendunt Harl. 6. et 16. (prior *dexteram*), itemque

in fronte constituit; reliqua signa in subsidio artius collocat. Ab his centuriones omnis lectos, et evocatos, praeterea ex gregariis militibus optumum quemque armatum, in primam aciem subducit. C. Manlium in dextera, Faesulanum quemdam in sinistra parte curare jubet: ipse cum libertis et colonis propter aquilam adsistit, quam bello Cim-

---

ed. Romana 1470. et Mediol., eamdemque ex cod. M. S. nonnullis adnotavit Gruterus. Vulgo *inter s. m. et ab d. rupes aspera*, inaudita Latinitate. Plures autem M. S. *et ab d. rupe aspera*, in quo pronuntiat Cortius Crispi *ingenium* agnoscendum esse, qui diversas saepissime constructiones jungat; sed nihili sunt exempla, quibus tale istud monstrum compositionis munire profitetur. Denique editor Bipontinus ex conjectura, *inter... montes et...rupis aspera*. Et poterat ipse ex fragmento l. II. *Hist.*, " Inter *laeva moenium* et dextrum flumen Turiam," conjecturam facere: *et dextera rupis asperae*. Sed nihil conjecturis opus est: unice vera est lectio, quam ex cod. M. scriptis atque ed. primariis recepi, omnisque turbatio ex incuria festinantis librarii orta, quum notulam literae *m* superscribere (*rupē asperā*) omisisset. Ceterum eleganter *sinistros—ab dextera*, pro *ab sinistra —ab dextera*, sive *sinistros—dexteram*. Sic *Jug.* c. 50., " Numidae, alii *postremos* caedere, pars *a sinistra ac dextera* tentare."

6. *Artius.*] Pro *arctius:* sic *arte* Jug. c. 45., 52., 85.; *artissume* c.68.

7 *Ab his.*] Sc. subsidiariis.— *Centuriones omnis lectos, et evocatos,—*: h. e., centuriones omnes et evocatos legit (eligit) et lectos subducit: vide not. 53. ad c. 52. supra. Quod autem *lectos* medium locatum est, ad utrumque, et *centuriones* et *evocatos*, trahendum; sic supra c. 33., " Plebes aut dominandi studio *permota*, aut superbia magistratuum." et plura ejusdem generis videas ad *Jug.* c. 54. n. 5. congesta. Ceterum erant *evocati* proprie emeriti stipendia, qui in gratiam ducis alicujus ultro dederant sese conscribendos. Porro intelligendum, Catilinam duplicem modo aciem instituisse, et, quidquid roboris in exercitu fuerat, in frontem contraxisse, contra morem Romanae militiae, sperantem scilicet, prout primus impetus cessisset, eventum fore: cujus consilio promte obviam it Petreius.

8. *Optūmum quemque armatum.*] Pro *optime armatum quemque;* nisi forte cum cod. quodam Cortiano abjiciendum *armatum*, ut *optumum* sit *fortissimum*, *strenuissimum*, ut *Jug.* c. 92., " *Optumus* quisque cadere, aut sauciari."

9. *Curare.*] Verbum militare: *Jug.* c. 46., 57., 60. bis, 100.

10. *Ipse cum libertis et co-*

brico C. Marius in exercitu habuisse dicebatur. At ex altera parte C. Antonius, pedibus aeger quod proelio adesse nequibat, M. Petreio legato exercitum permittit. Ille cohortis veteranas, quas tumulti causa conscripserat, in fronte, post eas ceterum exercitum in subsidiis locat: ipse, equo circumiens, unumquemque nominans adpellat, hortatur; rogat, uti meminerint, se contra latrones inermos, pro patria, pro liberis, pro aris atque focis suis, cernere. Homo militaris, quod amplius annos triginta tribunus, aut praefectus, aut legatus, aut praetor, cum magna gloria fuerat,

---

lonis—.] Colonos intellige, qui ipsius Catilinae agros conductos colebant: nam, Sullani coloni (c. 28.) si cum Catilinae libertis intelligendi fuissent, fuissent etiam nominandi. *Caes. de B. C.* I. 34., " Profectum item Domitium ad occupandam Massiliam navibus actuariis septem, quas...servis, libertis, *colonis* suis, compleverat." Possessiones satis amplas etiam tum habebat Catilina, ut innuit ipse in epistola ad Q. Catulum, quas eo facilius sive patrias retinuerat, sive novas paraverat, quod paucis ante annis praetor Africam expilaverat.

11. *Propter aquilam.*] Prope, juxta; *Liv.* IX. 2., XXI. 27., XXV. 23., XXVI. 8.: de ista aquila autem vide *Cic. in Catil.* I. 9. extr.

12. *In exercitu habuisse.*] Fabriciani apud Cortium *h. in ex.*; at Harl. 1. non agnoscit *in exercitu.*

13. *Pedibus aeger quod*—.] Fuere tamen, qui non tam pedibus quam animo aegrum crederent, quumque Catilinae hostis ex socio factus esset, non nimis cupidum fuisse illum in proelio obvium habere. Sustuli autem interpunctionem, ut jungendum sit, *quod pedibus aeger proelio adesse nequibat:* vide not. 3. ad c. 11. supra, item not. 3. ad c. 60. infra.

14. *Exercitum permittit.*] Imperandum tradit.

15. *Quas tumulti causa conscripserat.*] Has ergo Petreius legatus, non consul Antonius, conscripserat; et nimirum, nihil erat, cur talem hominem, qualis Antonius, veterani sequerentur. Petreii autem de gloria militari et Noster infra, et *Cic. pro Sext.* c. 5.

16. *Cernere.*] Certare. *Plaut. Amph.* arg. 2., " Pro patria dum *cernit* cum hostibus." *Virg. Aen.* XII. 709., " Inter se coisse viros, et *cernere* ferro." Et sic Accius, Ennius, Pacuvius, apud *Nonium* c. IV. n. 69.

17. *Cum magna gloria.*] *Liv.* II. 25., " Consul *cum maxima gloria*

plerosque ipsos factaque eorum fortia noverat; ea commemorando militum animos accendebat.

LX. Sed ubi, omnibus exploratis, Petreius tuba signum dat, cohortis paulatim incedere jubet: idem facit hostium exercitus. Postquam eo ventum, a ferentariis unde proelium committi posset, maxumo clamore cum infestis signis concurrunt: pila omittunt; gladiis res geritur. Veterani, pristinae virtutis memores, comminus acriter instare; illi

---

sua victorem exercitum Romam reducit." et VI. 10., "Victorem exercitum tribuni *cum magna gloria* Romam reduxerunt." Adde VII.39.

18. *Plerosque ipsos*—.] Harl. 3. et a manu secunda 16., itemque ed. Venetae et Mediol., *ipse*.

19. *Factaque eorum fortia.*] Harl. 3. non agnoscit *fortia;* et suspiciose Guelf. 3. apud Cort. *fortia factaque*. Supra c. 58., "Quum *facta* vestra aestumo." *Fortia facta* Jug. c. 53. et 85.

LX. 1. *Omnibus exploratis.*] Vulgo *omnibus rebus exploratis;* Cort. *rebus o. exp.*, apud quem codex quidam *o. locis exp.*, alter autem (a prima manu) sincere *omnibus exploratis*, quomodo etiam Harl. 18.: sic *Jug.* c. 90., "Igitur consul, *omnibus exploratis*,—." adde c. 93.

2. *Idem facit*—.] Itidem incedit paulatim. *Liv.* IX. 22., "Sed extemplo ad pedes descensum ab Romanis est, coactique *idem* Samnites *facere*."

3. *A ferentariis unde*—.] Sic Harl. 3. disposuit, efficacius et Sallustiane; vulgo *unde a. f.*—: supra c. 43., "Constituerant, uti, Catilina in agrum Faesulanum *quum* venisset,—." *Jug.* c. 13., "Igitur legati *ubi* satis confidunt, die constituto senatus utrisque datur." Et sic solent ab optimis scriptoribus, in primisque Cicerone, voces *definitivae* particulis praeponi. Adde sis not. 16. ad c. 51. supra; item not. 9. ad *Jug.* c. 10.

4. *Pila omittunt; gladiis res geritur.*] *Caes. de B. G.* VII. 88., "Nostri, *omissis pilis*, gladiis rem gerunt." ita legendum monuit Cortius, et jam ipse videram; vulgo *emissis*. Sed etiam nunc restat mihi corrigendus *Livius* XXVIII. 33., "Primo missilibus territavere: deinde, *emissis* levibus telis, quae irritare magis, quam decernere, pugnam poterant, gladios nudant, et collato pede res coepta geri est." Nam, vulgatam quidem lectionem falsam convincunt illa: "quae *irritare* magis, quam decernere, pugnam *poterant*." h.e., quae suapte natura pugnam irritare tantummodo poterant, *et, emissa si fuissent, tantummodo irritassent* (quo de usu temporis imperfecti, vide, sis, *Ru-*

haud timidi resistunt: maxuma vi certatur. Interea Catilina cum expeditis in prima acie versari; laborantibus succurrere; integros pro sauciis arcessere; omnia providere; multum ipse pugnare, saepe hostem ferire: strenui militis et boni imperatoris officia simul exsequebatur. Petreius, ubi videt Catilinam contra, ac ratus erat, magna vi tendere, cohortem praetoriam in medios hostis inducit; eos perturbatos atque alios alibi resistentes interficit; deinde utrimque ex lateribus adgreditur. Manlius et Faesulanus in primis pugnantes cadunt. Postquam fusas copias, seque cum paucis relictum videt Catilina, memor generis atque pristinae dignitatis, in confertissumos hostis incurrit, ibique pugnans confoditur.

LXI. Sed, confecto proelio, tum vero cerneres, quanta

---

pert. ad *Tacit. Ann.* I. 35. 8.). *Missis* autem, quod scripti nonnulli ostendunt, minus placet; etsi hoc pro *omissis* accipi possit: sed nihil tale suspicantur viri docti ad locum; qui miror quonam modo *irritare poterant* intellexerint. Ac nihil certius, quam *omissis* rescribendum; nisi forte Livius erat emissorum effectum per tempus imperfectum indicaturus. Sed obiter haec. Conf. praeterea *Liv.* II. 46., IX. 13., et *Tacit. Hist.* II. 42.

5. *Contra ac ratus erat, magna vi.*] Cortius *magna vi*, tamquam interpretationem, suspectum habet, frustra: vide not. 1. ad *Jug.* c. 72.

6. *Perturbatos...interficit.*] Vide not. 53. ad c. 52. supra.

7. *In primis.*] In iis, qui primi cecidere. *Jug.* c. 6., "Feras primus, aut *in primis*, ferire." et c. 26. "Jugurtha *in primis* Adherbalem excruciatum necat."

8. *Memor...dignitatis.*] Pronomen *suae* Cort., invitis cod., delevit: abest autem id ab Harl. 13. et 15.

9. *Ibique pugnans confoditur.*] Florus: "Pulcherrima morte, si pro patria sic concidisset." Conf. mortem Hasdrubalis apud *Livium* XXVII. 49.

LXI. 1. *Sed, confecto proelio*, etc.] *Xenoph. lib. de Agesilao* II. 14., Ἐπεί γε μὴν ἔληξεν ἡ μάχη, παρῆν δὴ θεάσασθαι ἔνθα συνέπεσον ἀλλήλοις, τὴν μὲν γῆν αἵματι πεφυρμένην, νεκροὺς δὲ κειμένους φιλίους καὶ πολεμίους μετ' ἀλλήλων, ἀσπίδας δὲ διατεθρυμμένας, δόρατα συντεθραυσμένα, ἐγχειρίδια γυμνὰ κουλεῶν τὰ μὲν χαμαί, τὰ δ' ἐν σώμασι, τὰ δ' ἔτι μετὰ χεῖρας.

2. *Cerneres.*] *Virg. Aen.* IV.

audacia, quantaque animi vis fuisset in exercitu Catilinae. Nam fere, quem quisque pugnando locum ceperat, eum, amissa anima, corpore tegebat. Pauci autem, quos, medios, cohors praetoria disjecerat, paulo divorsius, sed omnes tamen advorsis volneribus, conciderant. Catilina vero longe a suis inter hostium cadavera repertus est, paululum etiam spirans, ferociam animi, quam habuerat vivus, in

---

401., " Migrantes *cernas*, totaque ex urbe ruentes." ubi Servius, " Honesta figura, si rem tertiae personae in secundam referas." Noster *Jug.* c. 60., " Eos, uti quaeque Jugurthae res erant, laetos modo, modo pavidos, *animadvorteres*." Sed et supra exempla obvia sunt, et trita res est. Mox pro *in exercitu* Harl. 9. *exercitus*.

3. *Quem quisque pugnando locum ceperat*, etc.] *Plaut. Amph.* I. 1. 85., " Animam omittunt, priusquam loco demigrent: Quisque, uti steterat, jacet, obtinetque ordinem." *Justin.* IX. 3., " Non tamen immemores pristinae gloriae cecidere; quippe adversis vulneribus omnes loca, quae tuenda a ducibus acceperant, morientes corporibus texerunt."

4. *Pauci autem, quos, medios,* —.] Per attractionem quamdam, pro *pauci autem, medii, quos*—. Sic *Jug.* c. 69., " *Turpilius, quem, praefectum oppidi*, unum ex omnibus profugisse supra ostendimus—." pro *Turpilius, praefectus oppidi, quem*—. Cortius autem temere delevit *medios*.

5. *Advorsis volneribus.*] Honestis utique, nisi in parricidio fuissent excepta. Noster fragm. incert., " Faciem suam ostentabat aliquot *advorsis cicatricibus* et effosso oculo." et *Jug.* c. 85., " Cicatrices *advorso* corpore." ubi plura. *Tacit. Ann.* XII. 30., " Laudatus, quod...corpore *adverso* vulnera excepit." *Idem Hist.* III. 84., " Cecidere omnes contrariis vulneribus, versi in hostem." ubi eamdem etiam Latinitatem qualemcumque agnoscimus, *cadere contrario vulnere*.

6. *Paululum etiam spirans.*] *Eurip. Alcest.* 203., σμικρὸν ἐμπνέουσ' ἔτι. *Etiam* pro *adhuc*; ut *Jug.* c. 51., ubi plura.

7. *Ferociam...retinens.*] Copulam abjeci, auctoribus Harl. 1., 3., 8., 9., 11.: et sunt illa, *paululum etiam spirans*, parenthetica potius, quam cum *ferociam...retinens* jungenda; nam, quo magis spirabat, profecto eo minus mirandum, illum ferociam vultus retinuisse. Harl. 3. autem *ferociam, quam animi*—: fortasse non male: ferociam, quam vivus habuerat, *ita*

voltu retinens. Postremo, ex omni copia, neque in proelio neque in fuga quisquam civis ingenuus captus; ita cuncti suae hostiumque vitae juxta pepercerant. Neque tamen exercitus populi Romani laetam aut incruentam victoriam adeptus: nam strenuissumus quisque aut occiderat in proelio, aut graviter volneratus discesserat. Multi autem, qui de castris visundi aut spoliandi gratia processerant, volventes hostilia cadavera, amicum alii, pars hospitem aut cognatum, reperiebant; fuere item, qui inimicos suos cognoscerent. Ita varie per omnem exercitum laetitia, moeror, luctus atque gaudia, agitabantur.

---

ut ea animi esset; quam *in animo* habuerat vivus, in vultu retinens.

8. *Civis ingenuus.*] Harl. 10. et 23. delent *civis;* secundus transposuit.—*Juxta pepercerant:* vide not. 15. ad c. 2. supra.

9. *In proelio.*] Harl. 9. atque ed. Venetae et Mediol. *in bello:* vide not. 4. ad c. 9. supra.—*Discesserat:* v. n. 5. ad c. 39.

10. *Agitabantur.*] Harl. 11. *agitantur.*

C. SALLUSTII CRISPI

DE BELLO JUGURTHINO

LIBER.

C. SALLUSTII CRISPI

DE BELLO JUGURTHINO

LIBER.

I. Falso queritur de natura sua genus humanum, quod, imbecilla atque aevi brevis, forte potius, quam virtute, regatur. Nam contra, reputando, neque majus aliud neque praestabilius invenias; magisque naturae industriam hominum, quam vim aut tempus, deesse. Sed dux atque impe-

---

I. 1. *Falso queritur*, etc.] In margine exemplaris Regii editionis Venetae 1470. manus pervetus adnotavit: "Quum Sallustius se a reipublicae gubernatione abdicasset, consulto, ut in priore prooemio explicavit; a multis ignaviae accusabatur, quod dicere, quam facere, mallet. Quibus respondere vult officium suum tuendo commendandoque. Sed primo erroneam hominum vitam reprehendit et corrigit, qui illam ad debitum finem non dirigant."

2. *Nam contra, reputando—*.] Regius *N. cuncta rep.*

3. *Magisque naturae industriam hominum...deesse.*] Locum male interpolatum arguunt codices. Harl. 9. *n. h. ind.*; 21. *ind. h. n.*; at 11. et 23. delent *hominum: naturae* autem ed. Romana 1470. non agnoscit, neque Leidens. H. apud Havercampum: et neutro opus est.

4. *Quam vim aut tempus.*] Scholiast. Harl. 4., *Humana natura non est imbecilla, quia desit ei vis; non est brevis aevi, quia desit ei tempus: haec non desunt; sed deest industria.*

5. *Sed dux*, etc.] Idem Scholiast., *Queritur hoc genus, quod natura sua potius regatur forte, quam virtute: sed magis virtute regitur, quam fortuna, quia animus est dux.*

rator vitae mortalium animus est: qui ubi ad gloriam virtutis via grassatur, abunde pollens potensque et clarus est, neque fortunae eget; quippe probitatem, industriam, alias artis bonas, neque dare neque eripere potest. Sin, captus pravis cupidinibus, ad inertiam et voluptatis corporis pessum datus est, perniciosa lubidine paulisper usus, ubi per secordiam vires, tempus, ingenium, defluxere, naturae infirmitas accusatur: suam quisque culpam auctores ad negotia transferunt. Quod si hominibus bonarum rerum tanta cura esset, quanto studio aliena ac nihil profutura, multumque etiam periculosa petunt, neque regerentur magis, quam regerent casus, et eo magnitudinis procederent, ubi pro mortalibus gloria aeterni fierent.

II. Nam, uti genus hominum compositum ex anima et corpore, ita res cunctae studiaque omnia nostra corporis alia, alia animi, naturam sequuntur. Igitur praeclara facies, magnae divitiae, ad hoc vis corporis, alia hujuscemodi omnia, brevi dilabuntur: at ingenii egregia facinora, sicuti anima, immortalia sunt. Postremo corporis et fortunae

---

6. *Quippe probitatem*, etc.] Sic Cortius, omisso pronomine; et ipse se sensus satis ostendit.

7. *Neque dare neque eripere potest.*] Ita bene Cortius, deleto *cuiquam*. Senec. ad Helv. 8., "Quidquid optimum homini est, id extra humanam potentiam jacet; nec *dari* nec *eripi* potest." *Id. de Const.* 5., "Nihil *eripit* fortuna, nisi quod *dedit*."

8. *Sin...pessum datus est, p. l. paulisper usus.*] Ita intellige, quasi dixisset — *sin...pessum datus, p. l. paulisper usus est;* et lege not. 2. ad *Catil.* c. 57.

9. *Neque regerentur magis.*] Sc. *casibus:* vide not. 63. ad *Catil.* c. 51.

10. *Eo magnitudinis.*] Infra c. 5., "Quae contentio...*eo* vecordiae processit, ut—." et c. 14., "Quoniam *eo* miseriarum venturus eram." *Liv.* XXV. 8., XXXII. 18.

11. *Gloria aeterni.*] *Cic. pro Mil.* 35., "Ex omnibus praemiis virtutis, si esset habenda ratio praemiorum, amplissimum esse prae-

bonorum, ut initium, finis est: omnia orta occidunt, et aucta senescunt; animus incorruptus, aeternus, rector humani generis, agit atque habet cuncta, neque ipse habetur. Quo magis pravitas eorum admiranda est, qui, corporis dediti gaudiis, per luxum atque ignaviam aetatem agunt; ceterum ingenium, quo neque melius neque amplius aliud in natura mortalium, incultu atque secordia torpescere sinunt; quum

---

mium gloriam: esse hanc unam, quae brevitatem vitae posteritatis memoria consolaretur; quae efficeret, ut absentes adessemus, mortui viveremus: hanc denique esse, cujus gradibus etiam homines in coelum viderentur adscendere."

II. 1. *Omnia orta occidunt.*] *Cic. de N. D.* I. 8., " Hunc censes primis, ut dicitur, labris gustasse physiologiam, qui quidquam, quod ortum sit, putet aeternum esse posse? quae est enim coagmentatio non dissolubilis? aut quid est, cujus principium aliquod sit, nihil sit extremum?" et c. 10., " Quasi ..non omne, quod ortum sit, mortalitas consequatur."

2. *Et aucta senescunt.*] *Senec. ad Marc.* c. 23., adnotante Cortio, " Quidquid ad summum pervenit, ad exitum prope est. Nam, ubi incremento locus non est, vicinus occasus est; et appetit finis, ubi incrementa consumta sunt."

3. *Animus incorruptus.*] Incorruptibilis: infra c. 43., *animus invictus*, ubi vide.

4. *Aeternus.*] *Cic. Tusc. Qu.* I. 27., " Animorum nulla in terris origo inveniri potest: nihil enim est in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum atque fictum esse videatur....Ita quidquid est illud, quod sentit, quod sapit, quod vivit, quod viget, coeleste et divinum est, ob eamque rem aeternum sit necesse est." *Ibid.* c. 29., " In animi autem cognitione dubitare non possumus, nisi plane in physicis plumbei sumus, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. Quod quum ita sit, certe nec secerni, nec dividi, nec discerpi, nec distrahi, potest: nec interire igitur: est enim interitus quasi discessus, et secretio ac diremtus earum partium, quae ante interitum junctione aliqua tenebantur."

5. *Agit atque habet.*] Regit atque habet in potestate.

6. *Corporis dediti gaudiis.*] Sic Harl. 3., 11., 16., itemque ed. Venetae et Mediol.; vulgo *dediti corporis gaudiis*, languide et nulla euphonia.—Mox *in natura mortalium:* abjeci *est*, auctore Harl. 14.

7. *Incultu atque secordia torpes-*

praesertim tam multae variaeque sint artes animi, quibus summa claritudo paratur.

III. Verum ex his magistratus et imperia, postremo omnis cura rerum publicarum, minume mihi hac tempestate cupiunda videntur; quoniam neque virtuti honos datur, neque illi, quibus per fraudem jus fuit, tuti, aut eo magis honesti sunt. Nam vi quidem regere patriam aut parentes, quamquam et possis, et delicta corrigas, tamen importunum est; quum praesertim omnes rerum mutationes caedem, fugam, aliaque hostilia, portendant: frustra autem niti, neque aliud fatigando, nisi odium, quaerere, extremae dementiae

---

cere.] Harl. 23. *incultum*, quod non ego temere spreverim: simile quiddam infra est c. 5. n. 9.

III. 1. *Quibus per fraudem jus fuit.*] Jus *honoris*, h. e., magistratus. *Tacit. Ann.* XIV. 50., "Venditata ab eo munera Principis et adipiscendorum *honorum jus*."

2. *Vi quidem regere patriam aut parentes.*] Parentes cum Cortio intelligo *qui parent*—subditos: infra c. 102., "*Parentes* abunde habemus." Nec tamen vulgari interpretationi magnopere repugnarem, si post *patriam* interpungeretur proque particula *aut* scriberetur *ut*—sicut. Nunc vero utriusque nominis, et *patriam* et *parentes*, eadem ratio habenda est; et utrumque intelligere necesse est, et vi regere patriam importunum esse, quum praesertim —; et vi regere parentes importunum esse, quum praesertim omnes rerum mutationes caedem, fugam, aliaque hostilia portendant: ut unam illam interpretationem sensus ferat.

3. *Quamquam et possis.*] Sc. *vi regere:* infra c. 64., "Ubi primum [facere] *potuisset* per negotia publica, *facturum* sese, quae peteret." Et sic saepissime eleganterque hoc penes verbum infinitivi reticentur. At segnem caudam adglutinaverunt librarii *Livio* XXXIV. 17., "Non nostra, inquit, magis, quam vestra, refert, vos non rebellare; si quidem....Id ut ne fiat, uno modo arbitror caveri posse, si effectum erit, ne *possitis* [rebellare]." ubi vel ex *fiat* adsumi potest *facere*, vel, quia cum illo, *Id ut ne fiat*, lectorem subaudire necesse est *ut rebelletis*, nihil prohibet, in brevitate praesertim militaris oratiunculae, quin ipsum *rebellare* subaudiatur: additum autem hoc vim omnem orationis adfligit. Sed nunc, ed. Drakenb. inspecta, video rem J. Fr. Gronovium non fugisse.

est; nisi forte quem inhonesta et perniciosa lubido tenet, potentiae paucorum decus atque libertatem suam gratificari.

IV. Ceterum ex aliis negotiis, quae ingenio exercentur, in primis magno usui est memoria rerum gestarum: cujus de virtute multi quia dixere, praetereundum puto; simul, ne, per insolentiam, quis existumet, memet, studium laudando, extollere. Atque ego credo fore, qui, quia decrevi procul a republica aetatem agere, tanto tamque utili labori meo nomen inertiae imponant: certe, quibus industria maxuma videtur salutare plebem, et conviviis gratiam quaerere. Qui si reputaverint, et quibus ego temporibus magistratus adeptus sim, et quales viri idem adsequi nequiverint, et

---

4. *Nisi forte* —.] Vide not. 25. ad *Catil.* c. 20. — *Lubido tenet:* Liv. XXVII. 27., " Marcellum tanta cupiditas *tenebat* dimicandi cum Hannibale, ut —." adde n. 20. ad *C.* c. 58.—*Lubido...gratificari:* v. n. 6. ad *C.* c. 13.

IV. 1. *Ex aliis negotiis.*] Reliquis; sc. praeter magistratus atque imperia.

2. *Memoria rerum gestarum.*] *Cic. de Orat.* II. 9., " Historia, testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuntia vetustatis."

3. *Multi quia dixere.*] Ita Harl. 17. et 20., emphatica voce particulae praeposita; vide not. 3. ad *Catil.* c. 60. Quartus, sicuti Bongarsii liber, *multi multa*, quod Ciceronianis lectoribus posset placere, Sallustii autem gravitate dignum non est. Ita iste *de Off.* II. 18., " *Multa multis* de jure suo cedentem." et ad *Att.* XI. 9., " Quotidie jam Balbi ad me literae languidiores; *multae*que *multorum* ad illum, fortasse contra me." *Praetereundum puto:* sc. *dicere.* Plaut. Merc. II. 3. 68., " Quod *praeterii dicere.*" Minus bene autem Cortius et contra morem Sallustii distinxit post *virtute:* vide not. 3. ad *Catil.* c. 11.

4. *Memet, studium laudando, extollere.*] Ita Cortius, deleto *meum*: sed illum frustra quidam veriti sunt sequi, emphasin omnem ita perire arbitrantes; quae tamen in isto pronomine nulla esse potest, sed omnis in *studium* sita.

5. *Atque ego credo fore* —.] Vide not. 58. ad *Catil.* c. 51.—Mox *labori meo:* abest pronomen ab ed. Romana 1470: Harl. 20. *meo l.*

6. *Industria maxuma.*] Sic Harl. 4., postposito adjectivo: octavus *quibus certe.*

7. *Adeptus sim.*] Cod. plures

postea quae genera hominum in senatum pervenerint, profecto existumabunt, me magis merito, quam ignavia, judicium animi mutavisse, majusque commodum ex otio meo, quam ex aliorum negotiis, reipublicae venturum. Nam saepe ego audivi Q. Maxumum, P. Scipionem, praeterea civitatis nostrae praeclaros viros solitos ita dicere, quum majorum imagines intuerentur, vehementissume sibi animum ad virtutem accendi. Scilicet non ceram illam, neque figuram, tantam vim in sese habere; sed memoria rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere, neque prius sedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adaequaverit. At, contra, quis est omnium his moribus, quin divitiis et sumtibus, non probitate neque industria, cum majoribus contendat? Etiam homines novi, qui antea per virtutem soliti nobilitatem antevenire, furtim et per latro-

---

sum, errore ex dubio compendio orto; idque frustra suscepit Cortius: *sim* autem servant Harl. 1., 2., 8., 18., 19., 23.

8. *Judicium animi.*] Infra c. 85., " ex *animi* sententia."

9. *Reipublicae venturum.*] Infra c. 8., " Ultro *illi*...regnum *venturum.*" Sic cum tertio casu *Liv.* IX. 33., XXIV. 14., et alibi.

10. *Nam saepe ego audivi.*] Pronomen plane Sallustianum, ab editoribus frustra, ut Cortius quoque existimabat, extrusum, revocavi, M. S. quatuor ex omni multitudine refragantibus.

11. *Praeterea...praeclaros viros.*] Sc. *alios:* sic infra c. 85., " Nam ex parente meo, *et ex sanctis viris*, ita accepi —."

12. *Accendi.*] Vide not. 9., ad *Catil.* c. 13.—Supra *sibi* Harl. 23. omisit.

13. *Scilicet.*] H. e., *scire licet*, atque hinc pendent illa, *habere, crescere, sedari:* sic cum infinitivo infra c. 102. et 113.

14. *His moribus.*] Hodiernis; ita demonstrativum passim usurpat Livius.

15. *Non probitate neque industria.*] *Tacit. Hist.* II. 95., " Nemo in illa aula *probitate* aut *industria* certavit." Harl. 15. et 23. *non p. atque ind.:* vide not. 6. ad *Catil.* c. 12.—*Cum majoribus:* pronomen *suis* delevi, auctore Harl. 4., et adnuente etiam 20., qui habet post *contendat* locatum.

16. *Qui...soliti* —.] Delevi *erant*,

cinia potius [quam bonis artibus] ad imperia et honores nituntur: proinde quasi praetura, et consulatus, atque alia omnia hujuscemodi, per se ipsa clara, magnifica sint, ac non perinde habeantur, ut eorum, qui sustinent, virtus est. Verum liberius ego altiusque processi, dum me civitatis morum piget taedetque: nunc ad inceptum redeo.

V. Bellum scripturus sum, quod populus Romanus cum Jugurtha, rege Numidarum, gessit: primum, quia magnum et atrox, variaque victoria, fuit: dein, quia tum primum superbiae nobilitatis obviam itum est; quae contentio divina et humana cuncta permiscuit, eoque vecordiae processit, uti studiis civilibus bellum atque vastitas Italiae finem faceret. Sed, priusquam hujuscemodi rei initium expedio, pauca supra repetam, quo ad cognoscendum omnia illustria magisque in aperto sint. Bello Punico secundo, quo dux Carthaginiensium Hannibal, post magnitudinem nominis

---

Harl. 1. jubente; id quod etiam sine codice ullo auctore ausus est Cortius *Catil.* c. 50., "Qui pretio remp. vexare *soliti*."

17. *Quam bonis artibus.*] Haec insititia esse suspicatur Cortius; vide not. 5. ad *Catil.* c. 16.

18. *Ac non perinde habeantur.*] Sint; v. n. 10. ad *Catil.* c. 1. *Terent. Heaut.* I. 2. 21., "Atque haec *perinde sunt*, ut illius animus, qui ea possidet."—Harl. 20. *eorum ut, qui*—: v. n. 3. ad *C.* c. 60.

19. *Verum liberius ego altiusque*—.] Ita interpositum pronomen habent Harl. 17. et 18.; quomodo *Catil.* c. 52., "Ubi secordiae *te* atque ignaviae tradideris."—Mox particulam *nunc* Harl. 12. non agnoscit: vide infra c. 79. extr.

V. 1. *Dein, quia*—.] Harl. 1., 3., 4., 15., 17., 18., 21., *dehinc;* ut *Catil.* c. 3.—Infra *divina et humana cuncta:* Harl. 3. et 20. delent *cuncta.*

2. *Hujuscemodi rei.*] Harl. 9., 15., 16., *hujusce rei;* 11. autem et 17. delent *rei.*—*Priusquam...expedio:* vide not. 7. ad *Catil.* c. 4.

3 *Illustria magisque in aperto.*] Sic Harl. 17. atque ed. Romana 1470., omisso priore *magis:* vide not. 3. ad *Catil.* c. 53.

4. *Post magnitudinem nominis Romani.*] Romanorum; v. n. 48. ad *Catil.* c. 52.: post adultam rem Romanam.

Romani, Italiae opes adtriverat maxume, Masinissa, rex Numidarum, in amicitiam receptus a P. Scipione, cui postea Africano cognomen ex virtute fuit, multa et praeclara rei militaris facinora fecerat; ob quae, victis Carthaginiensibus, et capto Syphace, cujus in Africa magnum atque late imperium valuit, populus Romanus, quascumque urbis et agros manu ceperat, regi dono dedit. Igitur amicitia Masinissae bona atque honesta nobis permansit: imperii vitaeque ejus finis idem fuit. Dein Micipsa, filius, regnum solus

5. *Adtriverat maxume.*] Sic Harl. 12., adverbio postposito, ut *Catil.* c. 8. *negotiosus maxume*, et c. 33. *ulti maxume.*

6. *Masinissa.*] Lege *Liv.* XXIX. 29.—33.

7. *In amicitiam receptus.*] Cortius *in amicitia*, archaismum captans; et ita sane Harl. unus et alter, notula scilicet literae *m* omissa, quae incuria passim obvia est: infra c. 14., " Ceteri reges aut bello victi *in amicitiam* a vobis recepti, aut—." ubi nihil monet Cortius.

8. *Cognomen ex virtute.*] *Horat. Serm.* II. 2. 56., " Cui Canis *ex* vero ductum *cognomen* adhaeret."

9. *Magnum atque late imperium valuit.*] H. e., magnum fuit atque late valens: sic fere infra c. 101., " Quia divorsi *redeuntes*, alius ab alia parte, *atque* omnes idem *significabant.*" eodemque modo c. 53. legendum existimo, " Ubi *aequabilem* [manere] *et*, sicuti acies movebatur, magis magisque *adpropinquare*, vident," deleto *manere.*

10. *Imperii vitaeque ejus finis idem fuit.*] Epexegesis quaedam haec est illorum, *Amicitia Masinissae bona atque honesta nobis* PERMANSIT. Q. d., Amicitia Masinissae *bona* nobis permansit *cum imperio, honesta cum vita;* imperium autem ac vita ejus ad eumdem finem propagata fuere. Nimirum, nisi Masinissa imperium ad mortem usque tenuisset, amicitia ejus erga Romanos *bona* pariter, atque honesta, permanere non potuisset; ne supervacaneum putes id monuisse, quod secundum ipsum institutum regii imperii erat, Masinissam ad mortem regnasse. Et bona erat Masinissae amicitia, ut regis; honesta, ut hominis: bona amicitia scilicet ex Romanorum interpretatione ea erat, ex qua ipsi fructus uberrimos percipiebant, sive honestum nomen servitii, eosque pro bonis amicis sociisque habere soliti erant, qui auxilia frumentumque et arma mittebant, imperataque omnia gnaviter faciebant; vide c. 77.

obtinuit, Mastanabale et Gulussa, fratribus, morbo absumtis. Is Adherbalem et Hiempsalem ex sese genuit; Jugurthamque, Mastanabalis fratris filium, quem Masinissa, quod ortus ex concubina erat, privatum reliquerat, eodem cultu, quo liberos suos, domi habuit.

VI. Qui ubi primum adolevit, pollens viribus, decora facie, sed multo maxume ingenio validus, non se luxu neque inertiae corrumpendum dedit, sed, uti gentis illius

---

infra: *honesta* autem interpretor, honeste ac bona fide culta. Locum respexit *Tacitus*, *vit. Agric.* c. 14., "Quaedam civitates Cogiduno regi donatae, (is ad nostram usque memoriam fidissimus mansit) vetere ac jam pridem recepta populi Romani consuetudine, ut haberet instrumenta servitutis et reges." At Cortius ad hunc locum miserabile documentum praebet, summos etiam viros tamen homines esse: Absurdam esse vulgarem interpretationem (certe absurde satis ipse pervertit), nam qui vitam amittat, eum inter vivos imperium tenere, neminem facile credituru m: sed hunc sensum esse;—imperium in donatas urbes atque agros non translatum esse ad filios, sed cum vita Masinissae desiisse; Micipsam enim in Numidia tantum sua regnasse, Cirtam autem reliquamque Syphacis Numidiam Romanos mortuo Masinissa in provinciae formam redegisse! Ergo falsa illa Masinissae nepotis, in senatu querentis: "Verum ego his finibus ejectus sum, quos majoribus meis populus Romanus dedit, unde pater et avus una vobiscum expulere Syphacem et Carthaginienses." Falsa, quae postea Sallustius de Micipsae regno diviso deque ipsa ista Numidiae parte Adherbali tradita; falsa, quae de ipsius Cirtae oppugnatione. Sed piget longius ejus errorem persequi, cui, nonnumquam quamvis talpa caeciori, tamen plus debet Sallustius, quam omni multitudini reliquorum.

11. *Regnum solus obtinuit.*] Harl. 9. *r. obt. solus.*

12. *Liberos suos.*] Harl. 12. *pueros suos;* Francianus apud Havercampum *filios suos*: fortasse ergo delendum *liberos*, ut subintelligatur *filios.*

13. *Cultu...habuit.*] *Tacit. Ann.* XII. 51., "Unde publica cura deducta ad Tiridatem, comiterque excepta, *cultu* regio *habita* est." *Liv.* XLV. 28., "Filiam cum minore filio...omni liberali *cultu habuit.*"

VI. 1. *Luxu.*] Pro *luxui;* et hanc antiquam scripturam servant Harl. 3., 13., 19.: undecimus *atque inertiae.*

mos est, equitare, jaculari, cursu cum aequalibus certare, et, quum omnis gloria anteiret, omnibus tamen carus esse: ad hoc pleraque tempora in venando agere; leonem atque alias feras primus, aut in primis, ferire: plurimum facere, minumum de se ipse loqui. Quibus rebus Micipsa tametsi initio laetus fuerat, existumans virtutem Jugurthae regno suo gloriae fore, tamen, postquam hominem adolescentem, exacta sua aetate, parvis liberis, magis magisque crescere intellegit, vehementer negotio permotus, multa cum animo volvere. Terrebat natura mortalium, avida imperii et praeceps ad explendam animi cupidinem; praeterea opportunitas suaeque et liberorum aetatis, quae etiam mediocris viros saepe

---

2. *Uti gentis illius mos* est.] Hunc ordinem verborum ex Harl. 1. et 15. recepi; vulgo *uti mos*—. Tacit. Hist. III. 24., "Ita in Syria *mos est*." et c. 56., "Ubi feriri hostias *mos est*." IV. 22., "Ut cuique genti inire proelium *mos est*."

3. *In primis*.] Vide not. 7. ad *Catil.* c. 60.

4. *Minumum de se ipse loqui*.] Vulgo *ipse de se*: Harl. 9. et Cortiani duo *de se ipso*; at recte Harl. 19., item Fabric. 2. apud Cort., *de se ipse*.

5. *Cum animo volvere*.] Infra. c. 13. "*cum animo* reputans." Delevi pronomen *suo*, quod invito Cortio in contextu haesit, si quidem in adnotatione monuit se codices quatuor sequutum expunxisse. Deinde *volvere*, quod Gruterus conjecit, ego ex ed. Veneta 1470. recepi; vulgo *volvebat*. Continuo Harl. 11. *terrere*, quod procul dubio illud *volvere* respicit.

6. *Suaeque et liberorum*.] Formula—*que et*—admodum Sallustiana est, omninoque historicis usitatissima, ut ostendi *Doctr. Copularum L. L.* c. III. n. 79.: exempla infra sunt c. 26., 55., 89., 91., 104., 114.

7. *Quae etiam mediocris viros*—.] *Quae*, intellige *opportunitas* absolute. *Mediocris* autem, h. e., modestos, moderatos: infra c. 8., "Qui Jugurthae non *mediocrem* animum pollicitando accendebant."

8. *Saepe transvorsos agit*.] Libri omnes *q. e. m. v. spe praedae transv. agit*: cujus tamen lectionis puerilitatem meo ipsius periculo ausus sum a Sallustio amovere; quamquam ejusmodi confido emendationem esse, ut simul

transvorsos agit: ad hoc studia Numidarum in Jugurtham accensa; ex quibus, si talem virum interfecisset, ne qua seditio, aut bellum oriretur, anxius erat.

VII. His difficultatibus circumventus, ubi videt, neque per vim, neque insidiis, opprimi posse hominem tam acceptum popularibus, quod erat Jugurtha manu promtus, et adpetens gloriae militaris, statuit eum objectare periculis, eo modo fortunam tentare. Igitur, bello Numantino Micipsa quum populo Romano equitum atque peditum auxilia

---

adspicienda et probanda sit. Nimirum, quum librarius, qui primus locum corrupit, in exemplari *spe* compendium *τοῦ saepe* vidisset, idque pro sexto casu nominis accepisset, ne *res sperata* deesset, homo solertissimus statim *praedae* excogitavit. *Spe* autem, compendiose pro *saepe*, in scriptis alibi exstare testor, ut in Harl. 5. et 7. *Catil.* c. 51., " Quum saepe Carthaginienses *etc.*:" in eodemque compendio similiter lapsus est scriptor Harl. tertiidecimi infra c. 27., et pro *saepe gratia* dedit *spei gratia*. In octavo librarius, scripto jam *spe prae*, continuit manum, et fortasse perspexerat rem: nunc inter lineas altera syllaba adpicta est. Quod vero *saepe praedae transv. agit* ostendit Burneianus, ea frustratio mera librarii est, et nihil inde amplius colligendum, quam cognitum habuisse librarium, *spe* pro *saepe* usitatum compendium fuisse; si quidem *saepe* pro *spe* iterum scripsit idem iste infra c. 38., " Denique Aulum spe pactionis perpulit uti—." Sed, quum luce clarior res esset, etiam invitis libris emendandum erat. Ceterum *transvorsos agere* est de recta via virtutis deducere: infra c. 14., " Tantum illud vereor, ne quos privata amicitia Jugurthae, parum cognita, *transvorsos agat*."

9. *Studia Numidarum in Jugurtham accensa.*] *Tacit. Ann.* III. 4., " Nihil tamen Tiberium magis penetravit, quam *studia hominum accensa in* Agrippinam."—*Ex quibus*— : sc. studiis.

10. *Interfecisset.*] Ita Harl. quoque nonus, omisso *dolis*, quod Cortius duos sequutus delevit.

VII. 1. *Neque per vim neque insidiis.*] Infra c. 23., " Dies, noctes, aut *per vim* aut *dolis* tentare."

2. *Quod erat Jugurtha..., statuit eum—.*] Vide not. 3. ad *Catil.* c. 11.

3. *Eo modo fortunam tentare.*] Omisi copulam, Harl. 17., 18., 20., sequutus.

mitteret, sperans vel ostentando virtutem, vel hostium saevitia, facile occasurum, praefecit Numidis, quos in Hispaniam mittebat. Sed ea res longe aliter, ac ratus erat, evenit. Nam Jugurtha, ut erat impigro atque acri ingenio, ubi naturam P. Scipionis, qui tum Romanis imperator, et morem hostium cognovit, multo labore, multaque cura, praeterea modestissume parendo et saepe obviam eundo periculis, in tantam claritudinem brevi pervenerat, ut nostris vehementer carus, Numantinis maxumo terrori esset. Ac sane, quod difficillumum, in primis et proelio strenuus erat, et bonus consilio; quorum alterum ex providentia timorem, alterum ex audacia temeritatem, adferre plerumque solet. Igitur imperator omnis fere res asperas per Jugurtham agere, in amicis habere, magis magisque in dies amplecti; quippe cujus neque consilium neque inceptum ullum frustra erat. Huc accedebat munificentia animi, et ingenii solertia,

---

4. *Ut erat impigro atque acri ingenio.*] Harl. I. *impiger.*—De particula *ut*, v. n. 8. ad *Catil.* c. 31.

5. *Quod difficillumum, in primis et..., et—.*] Id demum difficillimum, utraque re excellere. At inepte vulgo, *quod difficillumum in primis est;* quod tamen tacitus praeterit Cortius, ne duplici quidem superlativo animadverso. Sensum autem expediunt Harl. 6. et 23., *q. diff. est, in p. et*—(quomodo jam olim correxit Ascensius); sed, 18. auctore, verbum substantivum delevi: infra c. 10., " quod difficillumum inter mortalis." et c. 14. " quod miserrumum."

6. *Quorum alterum*, etc.] Ed. Romana 1470. *q. ex prov. timorem alterum, alterum—*; qualis collocatio infra est c. 42.: vide not. 3. ad *Catil.* c. 2.

7. *In amicis habere.*] *Cic. ad Fam.* XI. 27., apud Cortium, " Perfecisti, ut ille me diligeret, coleret, *haberet in suis.*" Addo *Hor. Serm.* II. 6. 41., " Ex quo Maecenas me coepit *habere suorum In numero.*"

8. *Frustra erat.*] Infra c. 71., " Id *frustra fuit.*" et c. 73., " Ea res *frustra fuit.*" et. c. 93., " Omitteretne inceptum, quoniam *frustra erat.*" Adde not. ad illud

quis rebus sibi multos ex Romanis familiari amicitia conjunxerat.

VIII. Ea tempestate in exercitu nostro fuere complures, novi atque nobiles, quibus divitiae bono honestoque potiores erant, factiosi, domi potentes, apud socios clari magis, quam honesti: qui Jugurthae non mediocrem animum pollicitando accendebant, si Micipsa rex occidisset, fore, uti solus imperii Numidiae potiretur: in ipso maxumam virtutem, Romae omnia venalia esse. Sed postquam, Numantia deleta, P. Scipio dimittere auxilia, ipse revorti domum decrevit, donatum atque laudatum magnifice pro concione Jugurtham in praetorium abduxit, ibique secreto monuit, uti potius publice, quam privatim, amicitiam populi Romani coleret, neu quibus largiri insuesceret; periculose a paucis emi, quod multorum esset: si permanere vellet in suis artibus, ultro illi et gloriam et regnum venturum; sin properantius pergeret, suamet ipsum pecunia praecipitem casurum.

IX. Sic loquutus, cum literis, quas Micipsae redderet,

---

c. 84., " Sed ea res frustra sperata."

9. *Familiari amicitia.*] Harl. 1. et 13. *familiares;* sic etiam ed. Romana 1470., sed omisso *amicitia.* Supra autem Harl. 14. reticet pronomen *sibi:* v. n. 12. ad c. 10. infra.

VIII. 1. *Clari magis, quam honesti.*] *Liv.* VIII. 27., " *Clari* magis inter populares, quam *honesti.*"—Mox *non mediocrem:* v. n. 7. ad c. 6. supra.

2. *Imperii Numidiae potiretur.*] Harl. 1. *regnum;* 12. *regno:* scribe *uti solus Numidiae potiretur.*

3. *Ipse revorti domum.*] Abest *domum* ab Harl. 6.

4. *Periculose a paucis emi.*] Antithesin tollit Harl. 14., omisso *a paucis;* et poterat tantumdem ex τῷ *privatim* intelligi: 18. *emi a p.*

5. *Si permanere vellet in suis artibus.*] Languet oratio, et mihi videor interpretis operam agnoscere. Scriberem: *Suis in artibus vellet permanere, ultro...venturum; properantius pergeret, suamet...casurum.* Vide not. 7. ad c. 33. infra.

6. *Illi...venturum.*] Vide not 9. ad c. 4. supra.

IX. 1. *Loquutus.*] Hanc scrip-

dimisit. Earum sententia haec erat: "Jugurthae tui bello Numantino longe maxuma virtus fuit; quam rem tibi certo scio gaudio esse; nobis ob merita carus, ut idem senatu et populo Romano sit, summa ope nitemur. Tibi quidem pro nostra amicitia gratulor: en, habes virum te dignum, atque avo suo, Masinissa." Igitur rex, ubi, quae fama acceperat, ex literis imperatoris ita esse cognovit, quum virtute viri, tum gratia, permotus, flexit animum, et Jugurtham beneficiis vincere adgressus; statimque adoptavit, et testamento pariter cum filiis heredem instituit. Sed ipse paucos post

---

turam servant Harl. 3. et 23.; eamdemque hic quidem passim.

2. *Bello Numantino.*] Monuit Cortius in Guelf. 5. *Numantino* desiderari. At quis desideraverit? neque enim Micipsam arbitror quonam bello edocendum fuisse.

3. *Nobis ob merita carus, ut—.*] Verbum substantivum post *carus*, jam a Cortio damnatum, (et videtur, invito ipso, in contextu haesisse) delevi: ceterum istud equidem ne intelligendum quidem existimo, sed haec continuo insequentibus, more Sallustiano, praemittenda: *nobis* (ὦν) *ob merita carus, ut idem senatu et populo R. sit, summa ope nitemur:* vide not. 10. ad *Catil.* c. 7.

4. *Ut idem senatu et populo Romano sit.*] Ut senatui populoque R. *itidem carus sit*—sc., *ac nobis est.* Ed. Cortiana *uti idem senatui sit et populo Romano*, in qua *uti* librarii menda est: malebat autem Cortius cum Heuss. et Senat. 2. *senatu*; et ex Harl. 2. et 6., qui constanter fere cum istis Cortianis geminis inter seque consentiunt, in altero librarius addidit quidem literam *i*, sed statim virgula disjunxit, in altero prima manus *senatu* fideliter scripsit; quod cur non recipiatur, nihil video: ita supra c. 6. *luxu;* et *exercitu* infra c. 43. et 75. restituendum est. Sed non placet ista verbi substantivi interpositio, quod librarii tentamentum fuisse, pro certo habeo, qui vim pronominis *idem* et synesin constructionis parum intellexisset. Denique Harl. 3. delet *Romano*, me quidem plaudente.

5. *Te dignum atque avo suo.*] Ita interpositum *dignum* habent Harl. 4. et 20.: v. n. 19. ad c. 4. supra, item not. 7. ad *Catil.* c. 59.

6. *Flexit animum.*] Ita, pronomine *suum* omisso, Harl. 11.; quo eodem et 15. auctoribus infra, *adgressus*, abjeci *est.*

7. *Heredem instituit.*] *Heredem* Harl. 6. habet in margine adscrip-

annos, morbo atque aetate confectus, quum finem vitae adesse intellegeret, coram amicis et cognatis, item Adherbale et Hiempsale, filiis, dicitur hujuscemodi verba cum Jugurtha habuisse.

X. " Parvum ego, Jugurtha, te, amisso patre, sine spe, sine opibus, in meum regnum accepi; existumans non minus me tibi, quam liberis, si genuissem, ob beneficia carum fore: neque ea res falsum habuit. Nam, ut alia magna et egregia tua omittam, novissume, rediens Numantia, meque regnumque gloria honoravisti: tua virtute nobis Romanos ex amicis amicissumos fecisti: in Hispania nomen familiae renovatum: postremo, quod difficillumum inter mortalis, gloria invidiam vicisti. Nunc, mihi quoniam natura vitae

---

tum; 11. nusquam agnoscit: et quidni *testamento instituere* absolute dicatur?

8. *Quum finem vitae adesse intellegeret.*] Pronomen *sibi* delevi, auctoribus Harl. 11. et Xenophonte, Κύρου Π. VIII. 7. 2., Εδόκει εἰδέναι, ὅτι τοῦ βίου ἡ τελευτὴ παρείη.

X. 1. *Accepi.*] Harl. 11. *recepi.*

2. *Quam liberis, si genuissem.*] Harl. 1. *liberis* inter lineas tantummodo ostendit, et, quomodo temeraria inscitia jam grassata fuerit, non sum ignarus. Sed, corruptus quum locus sit, non tamen putatoris opera eget. Immo, redivivum Sallustium adspicere si velis, scribe: *existumans, non minus me tibi, quam,* LIBEROS *si genuissem, ob beneficia carum fore.* Tacit. Ann. XVI. 31., " Sic gemmas et vestes et dignitatis insignia dedi, quomodo, *si sanguinem et vitam poposcissent.*" sc., ipsum sanguinem et vitam eram datura.

3. *Falsum habuit.*] Fefellit; v. n. 8. ad *Catil.* c. 23.

4. *Egregia tua.*] *Liv.* XXX. 30., " Tibi quoque inter *multa egregia* non in ultimis laudum hoc fuerit, Hannibalem...tibi cessisse."

5. *Meque regnumque.*] *Meum* abjeci, Harl. 3. sequutus.

6. *In Hispania* —.] Respicit Micipsa Masinissae res gestas, quum hic in exercitu Poenorum militaret.

7. *Quod difficillumum inter mortalis.*] Harl. 1. *inter mort. q. diff.*; quae non inepta emphasis videtur.

8. *Gloria invidiam vicisti.*] Gloriam adeptus es majorem, quam cui invideri possit. *Demosth. Olynth.* III. 9., Μόνοι δὲ ἀνθρώπων κρείττω τὴν ἐπὶ τοῖς ἔργοις δόξαν τῶν φθονούντων κατέλιπον.

9. *Mihi quoniam* —.] Ita praepositum pronomen ostendunt Harl.

finem facit, per hanc dextram, per regni fidem, moneo obtestorque, uti hos, qui tibi genere propinqui, beneficio meo fratres sunt, caros habeas: neu malis alienos adjungere, quam sanguine conjunctos retinere. Non exercitus neque thesauri praesidia regni sunt, verum amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas; officio et fide pariuntur. Quis autem amicior, quam frater fratri? aut quem alienum fidum invenies, si tuis hostis fueris? Equidem ego vobis regnum trado, firmum, si boni eritis, sin mali, imbecillum. Nam concordia parvae res crescunt, discordia

---

6., 11., 17.: et sic commodum oritur duplex; primum enim euphoniae consultum est, si quidem concursus literarum, usitatus quantumvis, duriusculus tamen, — *c qu*—, vitatur: deinde melius oppositio notatur inter ipsum moribundum Micipsam, et Jugurtham, cujus maturae aetati sapientiaeque vult ille liberos quodammodo commendare. Infra c. 14., " Quod in familia nostra fuit, praestitit, uti in omnibus bellis vobis adessent: *nos* uti per otium tuti simus, in manu vestra est." Adde not. 3. ad *Catil.* c. 60. Levia haec, non tamen nihili.

10. *Per hanc dextram.*] Intellige, Micipsam Jugurthae manum prehensam tenuisse.

11. *Per regni fidem.*] Per fidem, quam, in regnum acceptus, debes. *Cort.*

12. *Alienos adjungere.*] *Terent. Adel.* I. 1. 47., " Ille, quem beneficio *adjungas*, ex animo facit." *Liv.* XXI. 58., " In Etruriam ducit, eam quoque gentem, sicut Gallos Liguresque, aut vi aut voluntate *adjuncturus.*"

13. *Non exercitus, neque thesauri* —.] Expressit Noster verba moribundi Cyri apud Xenophontem. Hanc autem Sallustii orationem divinam vocat Spartianus, memoratque Imp. Severum, ingravatum morbo, filio majori misisse.

14. *Pariuntur.*] *Terent. Andr.* I. 1. 41., " Obsequium amicos, veritas odium *parit.*"

15. *Quis autem amicior* — ?] Sc. *cui.*

16. *Invenies.*] Harl. 11. et 15. *invenias*; 16. *inveneris.*

17. *Si tuis hostis fueris.*] Harl. 4. litura ostendit scriptionem primariam, *si tuus hostis fuerit;* quam equidem veriorem existimo: q.d., Quem alienum *quisquam* fidum invenire poterit, si *suus* (aliquis sibi sanguine conjunctus) hostis fuerit? Vide not. 13. ad *Catil.* c. 20. Et *tuus* quidem ostendit etiam primus.

18. *Regnum trado,* —.] Scholiast. Harl. 14., *Si eritis concordes, regnum; si discordes, bellum.*

maxumae dilabuntur. Ceterum ante hos te, Jugurtha, qui aetate et sapientia prior es, ne aliter quid eveniat, providere decet. Nam in omni certamine, qui opulentior est, etiam si accipit injuriam, quia plus potest, facere videtur. Vos autem, Adherbal et Hiempsal, colite, observate talem hunc virum; imitamini virtutem, et enitimini, ne ego meliores liberos sumsisse videar, quam genuisse."

XI. Ad ea Jugurtha, tametsi regem ficta loquutum intellegebat, et ipse longe aliter animo agitabat, tamen pro tempore benigne respondit. Micipsa paucis diebus moritur. Postquam illi more regio justa magnifice fecerant reguli, in unum convenere, uti inter se de cunctis negotiis disceptarent. Sed Hiempsal, qui minumus ex illis, natura ferox, et jam antea ignobilitatem Jugurthae [quia materno genere impar erat] despiciens, dextra Adherbalem adsedit,

---

19. *Qui...prior es.*] Infra c. 50., "Ita numero *priores*...disjectos... circumveniebant." et c. 96., "Neque consilio, neque manu, *priorem* alium pati."

20. *Accipit.*] Harl. 3. primitus *accepit*.

21. *Observate talem hunc hominum.*] *Cic. pro Mil.* 27., "Qua invidia *huic* esset *tali* viro conflagrandum."

22. *Meliores liberos.*] Cortius monet, verbis *Gellii* II. 13., *liberos*, in multitudinis numero, etiam unum filium filiamve veteres dixisse. Equidem syllepsin potius intelligo, et, ad numerum pluralem quod attinet, non minus commodam existimo scriptionem Harl. 12. *meliores viros:* sed scripsit fortasse Sallustius nude *meliores*. Vide not. 15. ad c. 13. infra.

XI. 1. *Tametsi ... longe aliter animo agitabat.*] Infra c. 72., "Ad ea rex aliter, atque animo gerebat, placide respondit." ubi vide. Harl. 8. *aliter longe*.

2. *Paucis diebus.*] Intra paucos dies: sic infra c. 13., 24., 35. 64.

3. *Justa*] Τὰ νομιζόμενα.

4. *Postquam...fecerant reguli.*] Ita melius distinguit Ascensius; v. n. 3. ad *Catil.* c. 11.

5. *Ex illis.*] Harl. 11. et 12. delent.

6. *Et jam antea.*—] Ita divisim scribendum, non *etiam*, recte monuit Rivius; nec secus in Harl. 6. scriptum est.

7. *Quia materno genere impar*

ne medius ex tribus, quod apud Numidas honori ducitur, Jugurtha foret. Dein tamen, uti aetati concederet, fatigatus a fratre, vix in partem alteram transductus est. Ibi quum multa de administrando imperio dissererent, Jugurtha inter alias res jacit: Oportere quinquennii consulta omnia et decreta rescindi; nam per ea tempora, confectum annis, Micipsam parum animo valuisse. Tum idem, Hiempsal, placere sibi, respondit; nam ipsum illum his tribus adoptatione in reguum pervenisse. Quod verbum in pectus Jugurthae altius, quam quisquam ratus, descendit. Itaque ex eo tempore, ira et metu anxius, moliri, parare; atque ea modo animo habere, quibus Hiempsal per dolum cape-

---

erat.] Haec Cort. translata suspicatur ex c. 108. infra, uncisque inclusit.

8. *Fatigatus.*] Precibus obtusus: sic Noster infra c. 66. et 111., item *Horat. Od.* I. 2. 26.

9. *Jacit.*] Verbum est obiter et subobscure loquentis: vide *Rupert.* ad *Tacit. Ann.* XI. 18., 7.

10. *Parum animo valuisse.*] Harl. 14. delet *animo;* et poterat Jugurtha ita melius verecundiae consulere: *parum valuisse*, sc. ad consulendum decernendumque.— Mox *placere sibi:* pronomen delent Harl. 8. et 11.

11. *Ipsum illum his tribus adoptatione—.*] Vulgo *tribus his proxumis annis.* Castigatio autem Cortiana est; sed ipsi parum sufficiebant codices auctores: nam, quum ex illius duo *annis* omisissent, *proximis* mordicus tenebant omnes. Contra, quot vidi ipse, *annis* retinent omnes; *proximis* autem Harl. 17. vetustissimus non agnoscit. Itaque summi viri judicio non dubitavi obtemperare. *Annis* igitur ex illo *quinquennii* exigendum est; *proximis* autem, quum adsit pronomen *his*, desideraverit nemo: infra c. 31., " Nam illa quidem piget dicere, *his* annis quindecim quam ludibrio fueritis superbiae paucorum." Sed fortasse cum Regio delendum amplius *adoptatione:* quod autem idem Regius cum Harl. 9., 14., 15., 17., pronomen *illum* omiserunt, poterat id ab imperitis librariis fieri.

12. *Quam quisquam ratus.*] Recte editores abjecisse *erat*, Harl. 3. fidissimus probat.

13. *Animo habere.*] *Liv.* XLIV. 25., " Neque bello eum invadere

retur. Quae ubi tardius procedunt, neque lenitur animus ferox, statuit quovis modo inceptum perficere.

XII. Primo conventu, quem ab regulis factum supra memoravi, propter dissensionem placuerat dividi thesauros, finis imperii singulis constitui. Itaque tempus ad utramque rem decernitur, sed maturius ad pecuniam distribuendam. Reguli interea in loca propinqua thesauris, alius alio, concessere. Sed Hiempsal in oppido Thirmida forte ejus domo utebatur, qui, proxumus lictor Jugurthae, carus acceptusque semper fuerat; quem ille, casu ministrum oblatum, promissis onerat, uti tamquam suam visens domum eat, portarum clavis adulterinas paret (nam verae ad Hiempsalem referebantur); ceterum, ubi res postularet, se ipsum cum magna manu venturum. Numida mandata brevi confecit; atque, uti doctus erat, noctu Jugurthae milites introducit. Qui postquam in aedis irrupere, divorsi regem quaerere; dormientis alios, alios occursantis interficere; scrutari loca abdita, clausa effringere; strepitu et tumultu omnia miscere: quum interim Hiempsal reperitur occultans sese tugurio mulieris

---

animo habuit." ubi plura Gronovius.

XII. 1. *Finis...constitui.*] Ita Harl. 12. et 23., abjecta copula. Supra primus *q. ab r. s. m. factum.*

2. *In loca propinqua thesauris.*] Ignava interpretatio: scribe *in propinqua loca, alius alio.*

3. *Carus acceptusque.*] Huic scilicet, Jugurthae: vide not. 3. ad *Catil.* c. 11.

4. *Promissis onerat, uti—.*] Expulit Cortius, quod vulgo insertum legitur, *impellitque;* et sunt talia semper potius subaudienda. Verbum *onerare* autem illustrabit *Liv.* IV. 13., XXIV. 13., XXIX. 32., XXXIV. 61.

5. *Cum magna manu.*] Venetae et Mediol. *c. m. venturum manu.*

6. *Atque...introducit.*] Copulam exegeticam Harl. 13. delet.

7. *Omnia miscere.*] Vide not. 9. ad *Catil.* c. 2.

8. *Quum interim—.*] Cort. ex unico *q. H. interim reperitur;* quae interpretis collocatio est: infra c. 49., "*Quum interim* Metellus...conspicitur."

9. *Occultans sese.*] Pronomen

ancillae, quo, initio, pavidus et ignarus loci, perfugerat. Numidae caput ejus, uti jussi erant, ad Jugurtham referunt.

XIII. Ceterum fama tanti facinoris per omnem Africam brevi divolgatur: Adherbalem omnisque, qui sub imperio Micipsae fuerant, metus invadit: in duas partis discedunt; plures Adherbalem sequuntur, sed illum alterum bello meliores. Igitur Jugurtha quam maxumas potest copias armat; urbis, partim vi, alias voluntate, imperio suo adjungit; omni Numidiae imperare parat. Adherbal, tamen etsi Romam legatos miserat, qui senatum docerent de caede fratris et fortunis suis, tamen, fretus multitudine militum, parabat armis contendere. Sed, ubi res ad certamen venit, victus, ex proelio profugit in provinciam, ac deinde Romam contendit. Tum Jugurtha, patratis consiliis, in otio facinus

---

Rivius et Gruterus abesse voluerunt, et testor ego ab Harl. 12. abesse: nonus *se occ.*

10. *Uti jussi erant.*] Absunt haec ab ed. Romana 1470., et in tam insigni brevitate narrationis (vide *Schelleri Praecepta*, p. 483. et 654.), quum inter repertum Hiempsalem et caput interfecti relatum nihil intercedat, satis inepta ista admonitiuncula videtur: sane nihil periculi erat, ne crederet lector, sicarios injussu fecisse. Harl. 11. et 22. *uti jussi* (erant); 21. *uti jussum fuerat.* Ac delenda censeo.

XIII. 1. *Invadit.*] Harl. 4., 20., 21., *invasit*, quod placet; et accedunt Leidenses A., I.

2. *In duas partis discedunt.*] Harl. 11. *descendunt:* et *descendere* similiter adhibuit *Tacitus*, *Ann.* XV. 50.

3. *Sed illum alterum.*—] Infra c. 73., " Imperatori nobilitas, quae antea decori, invidiae esse; at *illi alteri* generis humilitas favorem addiderat."—*Bello meliores:* Liv. VII. 9. extr., XXV. 18.; adde infra c. 49.

4. *Ubi res ad certamen venit.*] *Cic. in Verr.* V. 11., " Nonnumquam etiam *res ad manus atque ad pugnam veniebat.*"

5. *Ex proelio.*] Desunt Harl. 4.: *Liv.* XXIV. 49., " Syphax cum paucis equitibus in Maurusios *ex acie*...refugit." Adde XXIX. 31.

6. *Provinciam.*] Sc. Romanam; de qua infra c. 19.—*Ac deinde—:* Harl. 14. copulam omisit.

7. *Patratis consiliis.*] Interpre-

suum cum animo reputans, timere populum Romanum, neque advorsus iram ejus usquam, nisi in avaritia nobilitatis et pecunia sua, spem habere. Itaque paucis diebus cum auro et argento multo Romam mittit, quis praecepit, primum uti veteres amicos muneribus expleant, deinde novos adquirant; postremo, quaecumque possint largiundo parare, ne cunctentur. Sed, ubi Romam legati venere, et, ex praecepto regis, hospitibus aliisque, quorum ea tempestate auctoritas pollebat, magna misere, tanta commutatio incessit, uti ex maxuma invidia in gratiam et favorem nobilitatis Jugurtha veniret; quorum pars spe, alii praemio inducti, singulos ex senatu ambiundo, nitebantur, ne gravius in eum consuleretur. Igitur, legati ubi satis confidunt, die constituto, senatus utrisque datur. Tum Adherbalem hoc modo loquutum accepimus.

---

tationem, *postquam omni Numidia potiebatur*, merito ejecit Cortius.

8. *Cum animo reputans.*] Sic infra c. 70. et 85.: supra c. 6. *cum animo volvere.*

9. *Romam mittit.*] Sc. *quosdam;* v. n. 5. ad *Catil.* c. 32.: ita castigavit Cortius, quum vulgati libri insertum habeant *legatos.*

10. *Primum uti—.*] Ita cod. septem Cortiani, Harl. 1., 4., 17., 21., 22., 23., Regius, atque ed. Romana 1470.; vulgo *uti primum—*: v. n. 3. ad *Catil.* c. 60.

11. *Quaecumque possint largiundo parare.*] Mallet quis distinguere, *quaecumque p., l. p. ne cunctentur*, frustra; v. n. 3. ad *Catil.* c. 11.

12. *Quorum...auctoritas pollebat.*] Vulgo *in senatu auctoritas;* voces *in senatu* autem Harl. 6. in marginem rejecit, et Cort. recte delevit.—*Magna misere :* sic Cort., deleto *munera;* et adnuit Harl. 21., in quo istud locum mutat.

13. *Quorum pars spe,—.*] Harl. 8. et Regius, *q. spe pars, alii praemio;* fortasse melius: vide not. 3. ad *Catil.* c. 2.—*Praemio inducti:* v. n. 9. ad *C.* c. 36.

14. *Legati ubi satis confidunt.*] Recte Cort. particulam postposuit: v. n. 3. ad *Catil.* c. 60.

15. *Die constituto, senatus utrisque datur.*] Dies constituitur, atque ita senatus utrisque datur. Intelligendum scilicet, ante quam legati Jugurthini satis confiderent, rem ne tantulum quidem pro-

XIV. " Patres conscripti, Micipsa, pater meus, moriens praecepit, uti regnum Numidiae tantummodo procuratione existumarem meum, ceterum jus et imperium penes vos esse; simul eniterer domi militiaeque quam maxumo usui esse populo Romano; vos mihi cognatorum, vos in adfinium locum ducerem: si ea fecissem, in vestra amicitia exercitum, divitias, munimenta regni habere. Quae quum [praecepta parentis mei] agitarem, Jugurtha, homo omnium, quos sustinet terra, sceleratissumus, contemto imperio vestro, Masinis-

---

cessisse, ut dies constitueretur. Ceterum animadvertendum *utrisque* pluraliter, quum ab altera parte adesset Adherbal solus: sic infra c. 15., " Deinde *utrique* curia egrediuntur." et c. 22., de Jugurtha et legatis Romanis, " Ita *utrique* digrediuntur." Frustra ergo Harl. 14. *utrique;* quamquam hoc ipsum defendi potest, quasi plurium legatorum eadem ratio habenda esset, et unius Jugurthae, cujus negotium sustentabant.— Continuo particulam *Tum* delent Harl. 2. et 6.

XIV. 1. *Regnum...procuratione ...meum.*] *Cic. ad Fam.* VII. 30., " Cujus quum proprium te esse scribis mancipio et nexu, *meum* autem *usu* et fructu; contentus isto sum." Cortiana emendatio est: vulgo *regni...procurationem... meam.*

2. *Jus et imperium penes vos esse.*] Sic, adnotante Ciacconio, Masgaba, Masinissae filius, apud *Livium*, XLV. 13., " Masinissam meminisse regnum a populo Romano partum auctumque et multiplicatum habere: usu regni contentum, scire dominium et jus eorum, qui dederint, esse."

3. *Vos mihi cognatorum—.*] Harl. 9. delet *mihi.*

4. *Munimenta regni habere.*] Praesens pro futuro; quae enallage hic eleganter fiduciam praecipientis notat. *Liv.* XXVI. 41., " Animus quoque meus, maximus mihi ad hoc tempus vates, *praesagit*, nostram Hispaniam *esse.*" Et sic: ex cod. duobus rescripsit Cortius; vulgo *habiturum:* geminam emendationem nostram cod. pluribus nitentem, vide sis infra c. 107.

5. *Quae quum...agitarem.*] Interclusas voces, *praecepta parentis mei*, Gruterus spurias pronuntiavit, eique assentitur Cortius. Infra c. 35., " Quae postquam Massiva *agitare* coepit.

6. *Quos sustinet terra.*] Haec collocatio est Harl. 1. et 9.; et

sae me nepotem, et jam ab stirpe socium atque amicum populo Romano, regno fortunisque omnibus expulit. Atque ego, Patres conscripti, quoniam eo miseriarum venturus eram, vellem potius ob mea, quam ob majorum, beneficia, posse auxilium petere: ac maxume deberi mihi a populo Romano, quibus non egerem: secundum ea, si desideranda erant, uti debitis uterer. Sed, quoniam parum tuta per se ipsa probitas, neque mihi in manu fuit, Jugurtha qualis foret, ad vos confugi, Patres conscripti, quibus, quod miserrumum, cogor prius oneri, quam usui, esse. Ceteri reges aut bello victi in amicitiam a vobis recepti, aut in suis dubiis rebus societatem vestram adpetiverunt: familia nostra cum populo Romano bello Carthaginiensi amicitiam instituit; quo tem-

---

videtur in illa vehementius quiddam inesse, quam in vulgata, *quos terra sustinet.*

7. *Socium atque amicum.*] Ita M. S. libri, tribus exceptis, omnes: ed. Cort. *s. et. a.*—Mox *regno fortunisque:* copulam negligunt Harl. 9. et Regius. Harl. 20., *r. f. que exp. omnibus.*

8. *Vellem, potius ob mea, quam*—.] Harl. 12. reticet *potius;* quae usitata omnino ellipsis. *Liv.* III. 68., "Malae rei se, *quam* nullius,...duces esse volunt." et XXVIII. 44., "In sua terra cogam pugnare eum, et Carthago praemium victoriae erit, *quam* semiruta Bruttiorum castella." Adde not. 1. ad *Catil.* c. 8.

9. *Secundum ea.*] Secundo autem loco, deinde: sic *contra ea* infra c. 57., et *supra ea* Catil. c. 3.

10. *Neque mihi in manu fuit,*—.] Infra, "Nos uti per otium tuti simus, *in manu vestra est.*" int. *situm*, quod expressit infra c. 31., "Verum, id frustra an ob rem faciam, in vestra manu *situm*, Quirites." Vide *Schweb.* ad *L. Bos Ellips. Gr.* n. 131. (Κείμενος).

11. *In suis dubiis rebus.*] Quasi vero in suis ipse florentissimis, ac non regno ejectus, Masinissa se Romanis adjunxisset. Eumenes apud *Liv.* XXXVII. 53., "Hostis Masinissa ante vobis, quam socius, fuit: nec incolumi regno cum auxiliis suis, sed extorris, expulsus, amissis omnibus copiis, cum turma equitum in castra confugit vestra."

12. *Amicitiam instituit.*] Harl. 11., 12., 13., 16., *inst. amicitiam:* videndum ergo, ne *amicitiam* subaudiendum potius reliquerit

pore magis fides ejus, quam fortuna, petenda erat. Quorum progeniem vos, Patres conscripti, nolite pati frustra auxilium petere. Si ad impetrandum nihil causae haberem praeter miserandam fortunam, quod, paulo ante rex, genere, fama, atque copiis potens, nunc deformatus aerumnis, inops, alienas opes exspecto; tamen erat majestatis populi Romani prohibere injuriam, neque cujusquam regnum per scelus crescerct. Verum ego his finibus ejectus sum, quos majoribus meis populus Romanus dedit, unde pater et avus una vobiscum expulere Syphacem et Carthaginienses. Vestra beneficia erepta sunt, Patres conscripti; vos in mea injuria despecti estis. Eheu me miserum! Huccine, Micipsa pater,

---

Sallustius. Mox primus *appetenda*.

13. *Frustra auxilium petere.*] Vulgo *a vobis auxilium :* interpolationem autem damnant cod. Wassiani duo, et unus Cortianus; neque ed. Ascensiana agnoscit: atque etiam ab hac nostra abesse jussi. Supra *vos* Harl. 1. et 15. delent.

14. *Paulo ante rex.*] Quum paulo ante fuerim—: infra c. 84., " Marius,...*antea jam infestus nobilitati*, tum vero– ." ubi vide.

15. *Deformatus aerumnis.*] *Liv.* VIII. 32., " Satis castigatam adolescentiam Fabii esse; satis *deformatam* victoriam." XXXVIII. 53., " Legatio...filii casu *deformata*."

16. *Inops, alienas opes exspecto.*] Harl. 4. *alienas exspecto opes.* Utinam istud *opes* omnino extruisset! quum nimirum adsit *inops*, tantumdem commodare paratum. Vide not. 11. ad c. 11. supra. Phrasin autem *alienas opes exspectare* jam vidimus *Catil.* c. 58.

17. *Tamen erat majestatis.*—] Eleganter *erat* pro *esset.* Liv. XXVIII. 44., " Si, Hercule, nihilo maturius hoc...modo perficeretur bellum, tamen ad dignitatem populi Romani...*pertinebat*—." — Cortius, ex unico, *Romani populi.*

18. *Neque...cresceret.*] Et *prohibere*, ne...cresceret. Similis syllepsis est apud Nostrum, I. *Hist.* orat. Lepidi, " Nam quid a Pyrrho, Hannibale, Philippoque, et Antiocho, *defensum est* aliud, quam *libertas et* suae cuique *sedes, neu* cui nisi legibus *pareremus?*" Atque ita pulchre emendavit Cortius; vulgo *neque pati... crescere.*

beneficia evasere, uti, quem tu parem cum liberis regnique participem fecisti, is potissumum stirpis tuae exstinctor sit? Numquamne ergo familia nostra quieta erit? in sanguine semperne, ferro, fuga, versabimur? Dum Carthaginienses incolumes fuere, jure omnia saeva patiebamur: hostes ab latere, vos amici procul, spes omnis in armis erat. Postquam illa pestis ejecta, laeti pacem agitabamus; quippe quis hostis nullus, nisi forte quem jussissetis. Ecce autem ex improviso Jugurtha, intoleranda audacia, scelere atque superbia sese ecferens, fratre meo, atque eodem propinquo suo, interfecto, primum regnum ejus sceleris sui praedam fecit; post, ubi me isdem dolis nequit capere, nihil minus, quam vim aut bellum, exspectantem, in imperio vestro, sicuti videtis, extorrem patria, domo, inopem, et coopertum miseriis, effecit, ut ubivis tutius, quam in meo regno, essem.

---

19. *Parem cum liberis.*] Praepositionem, jam olim Grutero suspectam, Harl. 4., 19., 23., omittunt.

20. *Numquamne ergo.*—] Particula *ergo* saepe indignationi inservit. *Horat. Od.* I. 24. 5., "*Ergo* Quinctilium perpetuus sopor Urguet!"—*Familia nostra:* Harl. 6. *nostra familia;* 3. *familia tua:* tu interfice pronomen: supra c. 10., "In Hispania nomen *familiae* renovatum."

21. *In sanguine semperne, ferro, fuga,*—?] Elegans διάζευγμα ostendunt Harl. 8., 17., 18.: vulgo *Semperne in s.*, —. Sic *Catil.* c. 20., "*Repulsas* nobis reliquere, *pericula, judicia, egestatem.*"—Ferro: armis.

22. *Atque eodem propinquo suo.*] Vide *Doctr. Copular. L. L.* c. I. n. 23.

23. *Nequit.*] Harl. 3., 16., 20., 21., 23., et Burn., *nequivit.*

24. *Extorrem ... effecit, ut* —.] Enallage casus: Effecit, ut, (nihil minus, quam vim aut bellum, *exspectans*, in imperio vestro) sicuti videtis, *extorris* patria, domo, *inops* et *coopertus* miseriis, ubivis tutius, quam in meo regno, essem. *Liv.* XXXI. 27., "Hic metus *Codrionem*, satis validum et munitum oppidum, sine certamine *ut dederetur* Romanis, *effecit.*" Plaut. Asin. I. 2. 14., "Ego aedepol *te faciam, ut*, quae sis nunc, et quae fueris, *scias.*" Vide *Perizon.* ad *Sanctii Minerv.* II. 5. 5. Frustra autem Cortium *fecit* ex cod. duobus revocandum censuisse, locus ille Livianus probat.

25. *Ut ubivis tutius* —.] Harl. 1. *ubivis gentium. Tutius* autem

Ego sic existumabam, Patres conscripti, ut praedicantem audiveram patrem meum; qui vestram amicitiam colerent, eos multum laborem suscipere, ceterum ex omnibus maxume tutos esse. Quod in familia nostra fuit, praestitit, uti in omnibus bellis vobis adessent: nos uti per otium tuti simus, in manu vestra est, Patres conscripti. Pater nos duo fratres reliquit; tertium Jugurtham, beneficiis suis ratus conjunctum fore: alter necatus, alter manus impias vix effugi.

---

pro *tutior;* et sic saepe adverbia pro adjectivis cum verbo substantivo coalescunt: infra c. 87., "Remoto metu, *laxius licentiusque futuros.*" et c. 94., "Uti prospectus, nisusque per saxa, *facilius foret.*" M. S. decem atque ed. Romana 1470., *regno meo.* Harl. 1. et Regius *forem.*

26. *Colerent.*] Sic Cort., omisso *diligenter;* eique assentiuntur Harl. 9. et 11.

27. *Ex omnibus maxume tutos.*] Harl. 8. et Regius, sicuti Cortiani item duo, delent *maxume;* recte: sic *ex omnibus* valet *eximie, egregie, praecipue.* Harl. 21. *tutos esse maxime.*

28. *Nos uti per otium tuti simus.*] Uti, quum nobis hostis externus sit nullus, si quidem vos nullum jubetis, item a domestica injuria tuti simus.

29. *Nos duo fratres.*] Pronomen Harl. 14. delet. *Duo* autem pro *duos* rescripsi ex Harl. 13., idemque restituit Cortius infra c. 23., 28., et 102. Denique Regio deest *fratres,* pro quo *filios* ostendit Harl. 17., item ed. Venetae et Mediol.

30. *Ratus conjunctum fore.*] Sic Harl. 17. et 21., Leidenses H. et K., ed. Venetae et Mediol., omisso *nobis.*

31. *Alter necatus.*] Ed. omnes *alter eorum:* at Harl. 3. optimus pronomen istud non agnoscit; estque *nostrum* potius intelligendum. Caste 14. *necatus* (est), quum Cortiani omnes adderent *est.*

32. *Alter manus impias vix effugi.*] Sic legendum, Sallustium legere si velis: nam, qui cum M.S. libris legunt *alterius ipse ego manus impias*—, scilicet Crispum miserum impiis manibus jugulant. Non quaerendum absolute, liceatne casus diversos, *alter* —, *alterius* —, opponere; id paulo humanior negaverit nemo: nec satis mirari queo, Cortium id tantummodo demonstrandum existimasse. Illud potius quaerendum, an geminationem istam *de duobus ex tribus* adhiberi Latinitas patiatur; quamquam si maxime pateretur, tamen credibile non foret, Adherbalem fuisse fratri Hiempsali interfectorem hujus Jugurtham,

Quid agam? quo potissumum infelix accedam? Generis praesidia omnia exstincta sunt: pater, uti necesse erat, naturae concessit: fratri, quem minume decuit, propinquus per scelus vitam eripuit; adfinis, propinquos, ceteros meos, alium alia clades oppressit: capti ab Jugurtha, pars in crucem acti, pars bestiis objecti, pauci, quibus relicta anima, clausi in tenebris, cum moerore et luctu, morte graviorem vitam exigunt. Si omnia, quae aut amisi, aut ex necessariis

---

tamquam geminum, ita appositurum. At quomodo depravatio tam foeda potuit oriri? Respondeo, quum initio interpolator intrusisset *ejus* (Jugurthae), postea ex *alter ejus*, quae quidem lectio Ascensiana est, *alterius* conflatum. Ad *ipse ego* autem quod attinet, id interpretis acumen est, cujus tamen auxilio non eget Sallustius; nec frustra Palmerius: "Etiamne est, qui ista, *ipse ego*, concoquere hic possit? scripserat Sallustius *alter manus impias vix effugi*; veriti sunt isti, ne flagitium esset, *alter effugi*; quippe personas discordare. Ita cauta est imperitia." Haec ille. Infra Noster c. 24., "Itaque quintum jam mensem *socius et amicus* populi Romani armis obsessus *teneor*." At τὸ *ipse* neque Harl. 1. neque ed. Romana 1470. agnoscit. Et patiar interpolationem manifestam diutius Sallustium foedare? Hercle non patiar. Sic igitur intelliges: At videte, quam longe aliter res evenerit: ab eodem illo, quem pater beneficiis suis ratus est nobis conjunctum fore, alter nostrum necatus est; alter ejusdem manus impias vix effugi.

33. *Naturae concessit.*] Tacit. Ann. II. 71., *fato concedere.*

34. *Adfinis, propinquos, ceteros meos.*] Vulgo *affinis, amicos, propinquos ceteros meos*: quasi *affines* omninoque *amici* in genera *propinquorum* referendi essent. Harl. 1. *affines, amicos, ceterosque meos*, omisso *propinquos*, pro quo librarium arbitror imprudenter recepisse, ut fit, superscriptam interpretationem *amicos*; 3., 9., 11., 15., *aff.*, *propinquos*, *amicos*; at 8. et 12. interpolatione *amicos* omnino carent. Sic *meos* quasi pro *amicos* eleganter, ut apud Ciceronem in epistolis passim. Cortius autem *meos* infeliciter abjecit. — Infra sincere Harl. 1. et 3. *objecti* (sunt), ubi Cort. sine libris delevit.

35. *Cum moerore et luctu.*] Coelius ep. 14., apud Cortium, "Ad Caesarem omnes, qui *cum* timore aut mala spe vivant, accessuros."

36. *Ex necessariis.*] Ex penitus conjunctis—quum paulo ante fue-

advorsa facta sunt, incolumia manerent, tamen, si quid ex improviso mali accidisset, vos implorarem, Patres conscripti, quibus, pro magnitudine imperii, jus et injurias omnis curae esse decet. Nunc vero, exsul patria, domo, solus atque omnium honestarum rerum egens, quo accedam, aut quos adpellem? nationesne, an reges, qui omnes familiae nostrae ob vestram amicitiam infesti sunt? An quoquam adire licet, ubi non majorum hostilia monumenta plurima? aut quisquam nostri misereri potest, qui aliquando vobis hostis fuit? Postremo, Masinissa nos ita instituit, Patres conscripti, ne quem coleremus, nisi populum Romanum,

---

rint. Praepositionis exempla passim obvia sunt, ut *Catil.* c. 5., *ex pulcherruma pessuma*, c. 10. *ex justissumo atque optumo crudele intolerandumque*, c. 52. *ex parva magnam;* supra c. 10. *ex amicis amicissumos.* Ad illam autem constructionem quod attinet, *quae aut amisi aut...adv. facta sunt,* similem vide (ne forte malis *amissa*) infra c. 101.

37. *Si quid ex improviso mali accidisset.*] Cortius, unicum codicem sequutus, delevit *mali;* quod tamen non ibi positum est, ubi interpolator erat positurus. Nec plane otiosum *mali*, si quidem licet *accidere* etiam in bonam partem adhibere. *Terent. Andr.* II. 3. 24., " Interea aliquid acciderit *boni.*"

38. *Pro magnitudine imperii.*] Harl. 14. abjecit *imperii.*—Idem et octavus *jus, injurias omnes*, sine copula, quomodo etiam ed. Romana 1470.

39. *Solus atque—.*] Sic cod. M. S. omnes: ed. Cortiana *et,* ut eadem supra n. 7.

40. *Honestarum rerum.*] Scholiast. Harl. 14., *Quae pertinent ad honestatem, sc. victus et vestitus.*

41. *Quos adpellem.*] *Cic. pro Flacc.* 2., " Quem enim alium *appellem?* quem obtester? quem implorem?"

42. *Ob vestram amicitiam infesti.*] Malim *infensi:* nimirum socio populi Romani regibus infestis esse non licebat, licebat infensis. *Virg. Aen.* IV. 320., " Te propter Libycae gentes Nomadumque tyranni Odere, *infensi* Tyrii." *Tacit. Ann.* XVI. 1., " Didonem...illas opes abdidissse, ne...reges Numidarum, et alias *infensi*, cupidine auri ad bellum accenderentur."

43. *Majorum.*] Delevi *eorum*, Harl. 8. auctore.

44. *Masinissa nos ita instituit.*] Masinissa avus potius, quam pater Micipsa: nimirum nusquam non nomen Masinissae jactandum. Fuere tamen, qui temere rescriberent *Micipsa;* quos reprehendit

ne societates, ne foedera nova acciperemus; abunde magna praesidia nobis in vestra amicitia fore: si huic imperio fortuna mutaretur, una occidendum. Virtute ac dis volentibus magni estis et opulenti; omnia secunda et obedientia; quo facilius sociorum injurias curare licet. Tantum illud vereor, ne quos privata amicitia Jugurthae, parum cognita,

---

Gruterus, monens, quod non ego facile crediderim, Micipsae liberos etiam sub Masinissa vixisse: at nihil ad rem, vixerintne sub isto, an non; si modo artem rhetoricam velis spectare.

45. *Abunde magna.*] *Liv.* VIII. 29., *abunde par.*

46. *Si huic imperio fortuna mutaretur.*] Leidensis A. *fortunam mutaret:* legendum ergo *fortuna mutaret*, absolute; quomodo mihi decretum est emendare infra c. 78., "Ita facies locorum cum ventis simul mutatur." ubi vide.

47. *Una occidendum.*] Vulgo *una occidendum nobis esse:* pronomen igitur jussu Harl. 3. delevi, quod, quum antecedat "abunde magna praesidia *nobis* in vestra amicitia fore," consuetudo Sallustiana non patitur ita geminari: infinitivum autem *esse* (Harl. 17. atque ed. Venetae *fore*), quod cum participio futuri temporis ita junctum, antecedente *fore*, plane putidum est, Harl. 15. sequutus abjeci: infra c. 33., "Non sociis saluti *fore;* sese suasque spes *corruptum.*"

48. *Virtute ac dis volentibus.*] *Liv.* XXIV. 38., "Eam vos fraudem, *deum* primo *benignitate*, dein *vestra* ipsi *virtute*,...vitastis."

49. *Obedientia.*] Sic ed. Romana 1470., abjecto *sunt*, item Guelf. 11. apud Cortium.

50. *Ne quos privata amicitia Jugurthae, parum cognita, transvorsos agat.*] Harl. 23. *ne vos;* undecimus autem nullum pronomen agnoscit. Sed mihi quidem locus non nimis expeditus videtur. Planius futurum, monuit Gruterus, *parum cogniti:* quod non probat Cortius, intelligens, ut videtur,— ea res, quod amicitiam Jugurthae parum cognitam habent. At utinam edocuisset quis, quomodo quae sequuntur illa, "*quos ego audio* etc.," ad indefinitum *quos* possint referri. Nec placet, quod scripsit Cortius citans locum ad *Catil.* c. 48. n. 7., *ne quosdam.* Equidem Gruteri conjecturam veram existimo: sed amplius quiddam viro docto monendum erat; atque ita expediendum locum censeo: *ne* (vos) *privata amicitia* (privati amici: vide Freinsh. ad Tacit. Ann. IV. 40.) *Jugurthae, parum cogniti, transvorsos agat: quos* (amicos)

transvorsos agat: quos ego audio maxuma ope niti, ambire, fatigare singulos, ne quid de absente, incognita causa, statuatis: fingere me verba, fugam simulare, cui licuerit in regno manere. Quod utinam illum, cujus impio facinore in has miserias projectus sum, eadem haec simulantem videam; et aliquando aut apud vos, aut apud deos immortalis, rerum humanarum cura oriatur: nae ille, qui nunc sceleribus ferox atque praeclarus est, omnibus malis excruciatus, impietatis in parente, fratris necis, mearumque miseriarum, gravis poenas reddet. Jam, jam, frater, animo meo carissume, quamquam immaturo, et unde minume

---

ego audio etc. Supra Adherbal: "Omnia secunda et obedientia." q. d., Nihil extra curiam est, quod prohibeat, quin injuriam meam vindicetis: tantum illud vereor, ne intra sit.—*Transvorsos agat*: v. n. 8. ad c. 6. supra.

51. *Fatigare singulos.*] Ita Harl. 3., omisso *vos*. Catil. c. 17., "Primo *singulos* adpellare." et c. 20., "Tametsi cum *singulis* multa saepe egerat."

52. *Incognita causa.*] Harl. 1. *inc. re*: fortasse interpretis additamentum hoc est; nam sensui per illud *de absente* satisfactum.

53. *In has miserias*—.] Harl. 9. *in has proj. s. miserias.*

54. *Et aliquando*—.] Vide not. 13. ad *Catil.* c. 52.

55. *Aut apud vos aut apud*—.] Prius *aut* omittunt Harl. decem: praepositionem autem 13. et 17. non habent geminatam, neque ed. Venetae. Harl. 12. *aliquando vos apud*, quod placet: et praepositionem in posteriore loco delendam censeo.

56. *Nae ille*,—.] Vide not. 54. ad *Catil.* c. 52.

57. *Sceleribus ferox.*] Vulgo *scel. suis*: Harl. 1. *suis scel.*; melius Regius pronomen otiosum ejecit. Infra c.94., "Secundis rebus *feroces.*" Liv. I. 7., "*Ferox* viribus." et III. 70., "Aetate viribusque *ferox.*"—Mox Harl. 11. delet *est.*

58. *Impietatis in parente, fratris necis, mearumque miseriarum.*] Vulgo *imp. in parentem nostrum, fratris mei necis, mearumque m.*: at neutrum, nec *nostrum* nec *mei*, Harl. 3. optimus agnoscit; *mei* autem delent etiam 6. et 21.: quartus *in parente*, vere et eleganter; vide not. 2. ad *Catil.* c. 9.

59. *Unde minume decuit.*] A quo minime decuit, sc. vitam tibi eripi. Supra: "Fratri, *quem minume de-*

decuit, vita erepta est, tamen laetandum magis, quam dolendum, puto casum tuum: non enim regnum, sed fugam, exsilium, egestatem, omnis has, quae premunt, aerumnas, cum anima simul amisisti. At ego infelix, in tanta mala praecipitatus ex patrio regno, rerum humanarum spectaculum praebeo; incertus, quid agam; tuasne injurias persequar, ipse auxilii egens, an regno consulam, cujus vitae necisque potestas ex opibus alienis pendet. Utinam emori

---

cuit, propinquus per scelus vitam eripuit."—Sincere Harl. 4., 9., 17., *immaturo*, omisso pronomine: copula autem ab 11. et 14. abest.

60. *Tamen laetandum magis,—.*] Harl. 14. delet *tamen*. *Magis* autem in cod. varie locum mutat; cujus de ellipsi dictum est ad *Catil.* c. 8. Ceterum eodem fere modo Tacitus Agricolam opportunitate mortis felicem praedicat: locum egregium apud ipsum legas. Item lege omnino *Cic. de Orat.* III. 2. et 3., de morte L. Crassi, unde multa ille adumbravit: adde ejusdem *Brut.* c. 96.

61. *Non..., sed —.*] Non tam..., quam —. *Terent. Adel.* III. 3. 57., " *Non* tu hoc argentum perdis, *sed* vitam tuam." *Cic. in Pison.* 24., " Manupretium...*non* eversae per te, *sed* perditae, civitatis." *Liv.* X. 6., " Qui...eam actionem susceperunt, qua *non* infimam plebem accenderent, *sed* ipsa capita plebis."

62. *Omnis has, quae premunt, aerumnas.*] Vulgo *et o. h., q. me p., ae.* —. Copulam igitur omittunt Harl. 14. et 16.: pronomen autem, in 11., 12., 21., suspiciose post *premunt* locatum, 8. et 13. omnino abesse jubent: istud autem ne quis desiderare sibi videatur, animadvertendum est, jam ab initio—*fugam, exsilium, egestatem* — facile intelligi, Adherbalem suismet ipsius aerumnis recensendis ostendere, quantas frater morte opportuna vitaverit.—Mox Harl. 13. delet *simul:* conf. *Catil.* c. 33.

63. *Spectaculum.*] Sc., quam fluxae fragilesque sint.

64. *Ipse auxilii egens.*] *Cic. ad Fam.* VI. 22., " Nec, quid tibi pollicerer, *ipse egens rebus omnibus*, nec, quid suaderem, *quum mihimet ipsi consilium deesset*, nec, quid consolationis afferrem, *in tantis malis*, reperiebam." ubi in postremo membro equidem pronomen elegantissimum vehementer desidero, et scribendum censeo, *in tantis ipse malis.*

65. *Cujus vitae necisque potestas —.*] Quum is sim, cujus —. Non admodum dissimile est illud supra, " Fingere me verba, fugam simulare, *cui* licuerit in regno manere."

fortunis meis honestus exitus esset, neu contemtus viderer, si, defessus malis, injuriae concessissem. Nunc neque vivere lubet, neque mori licet sine dedecore. Patres conscripti, per, vos, liberos atque parentes, per majestatem populi Ro-

---

66. *Neu contemtus viderer, si—.*] Vulgo *ne vivere contemtus viderer.* Cortius ex M. S. duobus *neu vivere* —: interpretatur autem, " Utinam honeste emori possem, *aut* tamen *non* contemtus viverem, si Jugurthae injurias inultas patiar." Hanc tamen interpretationem vis particulae *neu* ferre omnino recusat, quae scilicet exegetica potius est, quam disjunctiva. *Catil.* c. 34., " Uti respublica quieta foret, *neve* ex sua contentione seditio oriretur." et c. 51., " Ne plus valeat apud vos P. Lentuli et ceterorum scelus, quam vestra dignitas, *neu* magis irae, quam famae, consulatis." et c. 58., " Cavete, inulti animam amittatis, *neu* capti potius ... trucidemini, quam —." Infra c. 83., " Proinde sibi regnoque consuleret, *neu* florentis res suas cum Jugurthae perditis misceret." *Terent. Phorm.* I. 3. 5., " Quod utinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset, *Neu* me cupidum eo impulisset." Ac pernego, particulam *neu* vel *neve* vim istam disjunctivam umquam exercere. Nec placet lectio nuperi editoris Gallici, *Burnouf*, Paris. 1821., *vere contemtus*, quod recepit ejusdem gentis homo, F. G. Pottier. At in Harl. 1. *vivere* inter lineas jacet; in 22. et Regio locum mutat, *viderer vivere, vivere viderer:* et profecto istud *vivere* aut omnino ex ingenio librariorum procreatum est, aut certe ex vocula enclitica *ve* evolutum, quum homines, (quibus omnis antithesis semper amabilis) antecedens *emori* respicientes, hanc pro compendio scripturae accepissent. Ac vocem *νοθείας* convictam nolui in contextu Sallustiano retinere: interpretor autem: Utinam honeste emori liceret, neu (*ac non*) contemtus viderer, si, oppressus malis, atque injuriae cedens, vitam reliquissem. *Contemtus* pro *contemtibilis*, ut saepe: *Cic. Brut.* c. 25., " Q. Pompeius, non *contemtus* orator." Et castigationem simul interpretationemque unice firmant sequentia: " Nunc neque vivere lubet, neque mori licet sine dedecore." h. e., Nunc vero, quum taedeat vitae, mori ita ut contemtum evitem, non licet.

67. *Injuriae concessissem.*] *Tacit. Ann.* XIII. 40., " Metu, ne, si *concessisset* obsidioni, nihil opis in ipso videretur."

68. *Per, vos, liberos* —.] Interpositio pronominis, in obtestationibus usitata: *Liv.* XXIX. 18., "Quibus, per, *vos*, fidem vestram, Patres conscripti, priusquam eorum scelus

mani subvenite misero; ite obviam injuriae; nolite pati regnum Numidiae, quod vestrum est, per scelus et sanguinem familiae nostrae tabescere."

XV. Postquam rex finem loquendi fecit, legati Jugurthae, largitione magis, quam causa, freti, paucis respondent: Hiempsalem ob saevitiam ab Numidis interfectum; Adherbalem, ultro bellum inferentem, postquam superatus sit, queri, quod injuriam facere nequivisset: Jugurtham ab senatu petere, ne alium, ac Numantiae cognitum, putarent, neu verba inimici ante facta sua ponerent. Deinde utrique curia egrediuntur. Senatus statim consulitur: fautores le-

---

expietis, neque in Italia neque in Africa quidquam rei gesseritis." Quod autem Cortius *vos* pro primo casu accipiendum censuit, Graecorum consuetudo facit, ut quartum potius existimem intelligendum, sc. deficiente verbo, *oro*, *precor*, *obtestor*, aliquo tali. Vide *Bernhold.* ad *Lamb. Bos Ellips. Graec.* n. 272.-3 (Ἱκετεύειν). Atque integram formulam exhibet *Liv.* XXIII. 9., " Per, *ego te*, inquit, fili, quaecumque jura liberos jungunt parentibus, *precor quaesoque*, ne ante oculos patris facere et pati omnia infanda velis." Item *Terent. Andr.* III. 3. 6., " Per *ego te* deos *oro*." adde *ibid.* V. 1. 15.

69. *Subvenite misero.*] Vulgo *misero mihi;* cod. M.S. plures *mihi misero:* at pronomen istud numquam scripsit Sallustius, non magis quam *tibi* supra, " Quamquam *immaturo*...vita erepta est." Ac delevi.

XV. 1. *Ob saevitiam.*] Vulgo *ob s. suam;* Harl. 11. *ob suam s.;* at octavus non recepit pronomen.

2. *Jugurtham ab senatu petere,* —.] Harl. 4. *petere ab senatu.* Scribe, *Jugurtham petere, Senatus ne alium*—. Catil. c. 31., " Catilina...postulare, *Patres conscripti ne* quid de se temere crederent."

3. *Ne alium, ac Numantiae cognitum, putarent.*] Vulgo *ne se alium putarent, ac Numantiae cognitus esset:* quae ignavissima interpretatio est. At Harl. 1. caste, ut edidi, nisi quod retinet pronomen *se*, sicuti, quarto excepto, omnes: id autem jam Cortius delevit. Ceterum resolvendum est: Ne putarent, se *alium esse*, *alium* autem Numantiae *cognitum fuisse.* Sic *Terent. Andr.* III. 3. 13., " *Alium* esse censes nunc me, atque olim, quum dabam?" *Alium*, aliter animatum—moratum.

gatorum, praeterea magna pars gratia depravati, Adherbalis dicta contemnere, Jugurthae virtutem extollere laudibus; gratia, voce, denique omnibus modis, pro alieno scelere et flagitio, sua quasi pro gloria, nitebantur. At contra pauci, quibus bonum et aequum divitiis carius, subveniundum Adherbali, et Hiempsalis mortem severe vindicandam, censebant: sed ex omnibus maxume Aemilius Scaurus, homo nobilis, impiger, factiosus, avidus potentiae, honoris, divitiarum, ceterum vitia sua callide occultans. Is postquam videt regis largitionem famosam impudentemque, veritus, quod in tali re solet, ne polluta licentia invidiam accenderet, animum a consueta lubidine continuit.

XVI. Vicit tamen in senatu pars illa, qui vero pretium aut gratiam anteferebant. Decretum fit, UTI DECEM LEGATI REGNUM, QUOD MICIPSA OBTINUERAT, INTER JUGURTHAM ET ADHERBALEM DIVIDERENT: cujus legationis princeps fuit L. Opimius, homo clarus, et tum in senatu potens, quia, consul, C. Gracco et M. Fulvio Flacco interfectis, acerrume victoriam nobilitatis in plebem exercuerat. Eum Jugurtha, tametsi Romae in amicis habuerat, tamen adcuratissume recepit; dando et pollicitando perfecit,

---

4. *Quibus...carius.*] Verbum substantivum Cort. tacitus abjecit; mihi autem licet Harl. 11. auctorem praedicare: 16. *bonum, aequum*, sine copula.

5. *Regis largitionem.*] Abest *regis* ab Harl. 17. et 22., item ed. Romana. Harl. 13. et 21. *larg. regis.*

6. *A consueta lubidine.*] Harl. 12. *a consuetudine libidinis*, scilicet ex libidine librarii: 14. *consuetam libidinem*, cetera tamen lectione non mutata; quem librarium arbitror voluisse duplicem lectionem indicare, et vulgatam et alteram, *animi consuetam libidinem:* quo de more monui ad *Catil.* c. 51. n. 38.

XVI. 1. *Quia, consul,—.*] Scripti plures *qui consul*, perperam: v. n. 7. ad *Catil.* c. 21.

2. *Victoriam nobilitatis.*] Harl. 1. *nobilitatis* inter lineas tantummodo ostendit; 15. in margine.

3. *Tametsi Romae in amicis*

uti famae, fide, postremo omnibus suis rebus, commodum regis anteferret. Reliquos legatos eadem via adgressus, plerosque capit: paucis carior fides, quam pecunia, fuit. In divisione, quae pars Numidiae Mauretaniam adtingit, agro, viris, opulentior, Jugurthae traditur: illam alteram, specie, quam usu, potiorem, quae portuosior et aedificiis magis exornata erat, Adherbal possedit.

XVII. Res postulare videtur Africae situm paucis exponere, et eas gentis, quibuscum nobis bellum aut amicitia fuit, adtingere. Sed, quae loca et nationes ob calorem, aut asperitatem, item solitudines, minus frequentata sunt, de is haud facile compertum narraverim: cetera quam paucissumis absolvam.

---

habuerat.] Nimirum voluit hominem ex amico amicissimum facere. Ascensius tamen *in inimicis*.

4. *Uti famae, fide,...anteferret.*] Sic Harl. 3., 20., 22.; *fide* scilicet pro *fidei* antiquo more, ut apud *Horat. Serm.* I. 3. 95.: at Cortius *fama, fide* (quomodo Harl. 19. solus), pro more suo frustrationes librariorum in miracula exquisitae Latinitatis trahendi. Exemplum autem, *Cic. pro Balbo* c. 8., "Quum magna pars in iis civitatibus foederis sui libertatem *civitate anteferrent*," quod ex ed. Gruteriana attulit Cortius, constat vitio laborare: neque enim credibile est, tot codices in utraque re consensisse, et in *foederis*, quod pro *juris* rescripsit Gruterus, quodque solummodo innovatum videtur voluisse, et in sexto casu *civitate*.

5. *Eadem via adgressus, plerosque capit.*] Fortasse *vi*, quo melius metaphora sustentetur. Infra c. 28., "Omnis mortalis pecunia *adgrediantur*." adde c. 61.

6. *Adtingit.*] Harl. 16. *contingit*.

XVII. 1. *Res postulare videtur... exponere.*] Me exponere. *Catil.* c. 5., "Res ipsa *hortari* videtur,... supra *repetere*, etc."

2. *Adtingere.*] *Cic. de Orat.* II. 49., breviter perstringere aliquid atque *attingere*.

3. *Sed quae loca...narraverim.*] Haec omnia, si modo Sallustio ita visum fuisset, sine detrimento omnino omitti poterant: nam nihil erat, de talibus locis cur narrationem aut res postulare videretur, aut lector desideraturus.

4. *Absolvam.*] Unus Cortianus primitus non habuit; et poterat tantumdem vel antecedens *narraverim* vel sensus ipse offerre.

In divisione orbis terrae plerique in partem tertiam Africam posuere; pauci, tantummodo Asiam et Europam esse, sed Africam in Europa. Ea finis habet, ab occidente, fretum nostri maris et oceani; ab ortu solis, declivem latitudinem, quem locum Catabathmon incolae adpellant. Mare saevum, importuosum: ager frugum fertilis, bonus pecori, arboris infecundus: coelo, terra, penuria aquarum. Genus hominum salubri corpore, velox, patiens laborum: plerosque senectus dissolvit, nisi qui ferro, aut bestiis, interiere; nam morbus haud saepe quemquam superat. Ad hoc malefici generis plurima animalia. Sed, qui mortales initio Africam habuerint, quique postea accesserint, aut quomodo inter se permixti sint; quamquam ab ea fama, quae plerosque obtinet, divorsum est, tamen, uti ex libris Punicis, qui regis Hiempsalis dicebantur, interpretatum nobis est, utique rem sese habere cultores ejus terrae putant, quam paucissumis dicam. Ceterum fides ejus rei penes auctores erit.

---

5. *Pauci*—.] Intellige *scripsere*, *censuere*, *docuere*, aliquid tale. Harl. 3. autem delet *esse*. Infra idem cum 8., 11., 13., *in Europam*, quomodo etiam ed. Veneta 1470.

6. *Quem locum Catabathmon*—.] *Locum* suspectum habeo: vide not. 7. ad c. 19. infra.

7. *Bonus pecori.*] Plenius, monet Cortius, *Liv.* XXIX. 31., " Pecori bonus *alendo*."

8. *Arboris infecundus.*] Sic Harl. 13., 17., 20., eamdemque scriptionem respiciunt primus et Regius, interpretationem *arborum* praeferentes: vulgo *arbori*, ne comite careret antecedens *pecori*. Sed recte *arboris* etiam Cortiani tres, qui nec ipse ab eo recipiendo abhorrebat.

9. *Haud saepe.*] Harl. 11. *haud facile:* vide not. 10. ad *Catil.* c. 13.

10. *Qui mortales initio Africam habuerint.*] *Tacit. Agric.* 11. " Britanniam qui mortales initio *coluerint*, ... parum compertum." Vide not. 2. ad *Catil.* c. 6.—Mox pro *aut* scribendum *et*.

11. *Quae plerosque obtinet.*] Apud plerosque valet. Absolute autem plerumque verbum usurpatur.

12. *Fides ejus rei.*] Harl. 2. et 6. *ejus rei fides:* et supplementum *ejus rei* nondum suis temporibus

XVIII. Africam initio habuere Gaetuli et Libyes, asperi, inculti; quis cibus erat caro ferina, atque humi pabulum, uti pecoribus. Hi neque moribus, neque lege, aut imperio cujusquam, regebantur: vagi, palantes, qua nox coëgerat, sedes habebant. Sed, postquam in Hispania Hercules, sicuti Afri putant, interiit, exercitus ejus, compositus ex variis gentibus, amisso duce, ac passim multis, sibi quique, imperium petentibus, brevi dilabitur. Ex eo numero Medi, Persae, et Armeni, navibus in Africam transvecti, proxumos nostro mari locos occupavere. Sed Persae intra

---

invectum fuisse, satis plane significat *Seneca*, apud Cortium, *N. Q.* IV. 3., " Quod historici faciunt, et ipse faciam. Illi, quum multa mentiti sunt ad arbitrium suum, unam aliquam rem nolunt spondere, sed adjiciunt: *Penes auctores fides erit.* Ergo—."

XVIII. 1. *Humi pabulum.*] In Harl. 16. literator quidam adnotavit *Cibus hominum inauditus.* Fuere qui *stabulum* legerent; in altero autem consentiunt scripti: vide not. 11. infra.

2. *Neque lege, aut imperio cujusquam.*] Ed. Cortiana *neque imperio*, ex librarii, credo, emendatione; et ita ex scriptis vix unus et alter.

3. *Vagi, palantes.*] Vide not. 10. ad *Catil.* c. 7.—*Qua nox coëgerat:* qua parte, ubicumque, nox coëgerat (sedes habere), ea, ibi, sedes habebant.

4. *Passim multis.*] Quum ex singulis gentibus petitores orirentur.

5. *Sibi quique.*] Ita Cortius ex conjectura; at non aliter primitus Harl. 4., in quo *s* ab altera manu superscriptum: sc. *quique* pro *quoque:* vide not. 42. ad *Catil.* c. 51. Vulgo *sibi quisque;* quam lectionem qui tuentur, docent *quisque* positum pro *quibusque*, quum tamen numerum pluralem formulae proprietas minime agnoscat. Est autem vir doctissimus, *Johannes Walker* ad *Liv.* XXVI. 29., " Se ...suam *quisque* patriam ... relicturos," qui ellipticam existimet loquutionem: *multis imperium petentibus*, ita ut *sibi quisque* peteret. Quocum malim omnino ita locum Livianum expedire, quam, sicuti alii jubent, rescribere *quemque*, in quo librariis vix peccandi locus futurus fuisset. Sed, quod Patavino isti condonari potest, vereor quam dignum idem Crispo nostro videatur. Et de emendatione Cortiana eo minus dubitandum est, quod

oceanum magis: iique alveos navium invorsos pro tuguriis habuere, quia neque materia in agris, neque ab Hispanis emundi, aut mutandi, copia erat; mare magnum et ignara lingua commercia prohibebant. Hi paulatim per connubia Gaetulos miscuere: et, quia saepe, tentantes agros, alia deinde alia loca petiverant, semet ipsi Numidas adpellavere. Ceterum adhuc aedificia Numidarum agrestium, quae mapa-

---

nunc tandem codex M. S. egregius exstitit approbator.

6. *Intra oceanum.*] Introrsum ad oceanum, ut interpretatur Ascensius: intellige autem *locos occupavere.*

7. *Aut mutandi.*] Harl. 13. delet; idemque infra *commercia.*

8. *Ignara lingua.*] Ignota: sic infra c. 52., " Regio hostibus *ignara.*" adde c. 93. et 103.

9. *Gaetulos miscuere.*] Sc. *sibi:* facile satis subauditu pronomen, quum praesertim adsit index rei *per connubia.* Vulgo, *G. secum m.:* Cortius autem *secum* cod. duobus auctoribus delevit, adnuentibus pluribus, in quibus locum mutabat; et omittunt Harl. quoque duo, 20. et 23.: at quartus *se Gaetulis miscuere*, et scriberem equidem haud invitus *Hi...Gaetulis miscuere*, absolute. Nam in recepta lectione dubito quam commode dicatur, pauculos advenas gentem incolarum sibi miscuisse: multo magis consentaneum *sibi miscere* populo majori minorem sibi adjungenti. *Livius* XXXIX. 37., " Nec male (arbitror nos) consuluisse civitati, quum concilii nostri eam fecerimus, et *nobis miscuerimus*, ut corpus unum et concilium totius Peloponnesi esset." Quinetiam accedit Cortianus quidam, ostendens emendatam scriptionem *Gaetulis miscuere se*, sed hoc addititium pronomen decore magis in Sallustio subaudiatur; accedit *Sulpic. Sever., Hist.* I. 2., " Angeli matrimoniis *se mortalibus miscuerunt.*" Jamque eo fere adducta res videtur, ut plane rescribendum censeam: *Hi paulatim per connubia Gaetulis miscuere.*

10. *Alia deinde alia loca.*] Infra c. 36., " Jugurtha...*alias, deinde alias*, morae causas facere." *Auct. de Rep. Ord.* II. 11., " Patres...ex aliena libidine huc atque illuc fluctuantes agitantur: interdum *alia, deinde alia*, decernunt."

11. *Numidas.*] Festus: " *Numidas* dicimus, quos Graeci Νομάδας; sive quod id genus hominum pecoribus negotiatur, sive quod herbis, ut pecora, aluntur." *Isidorus* IX. 2., " A pabulationibus vagabundis semet ipsi propria lingua *Numidas* appellaverunt, id est, sine oppido vagos et errantes."

lia illi vocant, oblonga, incurvis lateribus tecta, quasi navium carinae, sunt. Medis autem et Armenis accessere Libyes (nam hi propius mare Africum agitabant; Gaetuli sub sole magis, haud procul ab ardoribus), hique mature oppida habuere; nam, freto divisi ab Hispania, mutare res inter se instituerant. Nomen eorum paulatim Libyes corrupere, barbara lingua Mauros pro Medis adpellantes. Sed res Persarum brevi adolevit; ac postea nomine Numidae, propter multitudinem a parentibus digressi, possedere ea loca, quae proxume Carthaginem Numidia adpellatur. Dein

---

12. *Quae mapalia illi vocant.*] Burn. *q. m. ipsi vocant:* Harl. 2. et 6. *quae illi;* 4. *vocant illi:* alienum ergo pronomen.

13. *Incurvis lateribus tecta.*] Latera, paulatim coeuntia, ipsa simul tecta erant. *Cortius.*

14. *Propius mare Africum.*] Sic infra h. c. *proxume Carthaginem*, ubi vide.—*Agitabant:* vivebant; vide not. 9. ad c. 19. infra.

15. *Freto divisi* —.] Nimirum, freto tantummodo. *Tacit. Hist.* III. 2., " Britanniam *freto* dirimi; juxta Gallias Hispaniasque."

16. *Mutare res inter se instituerant.*] Immo vero cum Hispanis: lege quae supra Noster de Persis. Hanc lectionem quomodo aequo animo concoquere potuerint editores, nescio: nam putidum sit cum scriba Regii codicis jungere *instituerant inter se.* Atque, in importuno silentio doctorum virorum, non aliter me expedio, nisi aut, deleto *inter se,* mutare res cum Hispanis intelligatur, aut, supra *ab Hispania* abjecto, *freto divisi* intelligantur utrique, et Hispani et Medi Armeniique. Sed, ne forte solus flagrante sole caecutiam, nihil muto. Harl. 1. absolute *mutare*, omisso *res.*

17. *Mauros pro Medis adpellantes.*] Credat Judaeus: Graeca vox est: et verisimile est, ita Medos advenas potius initio incolas appellasse.

18. *Possedere.*] Cod. plures *possidere*, idque Cort. pro obsoleta formula perfecti (quod tempus omnino exigendum) recepit.

19. *Proxume Carthaginem.*] Sic infra c. 19. *proxume Hispaniam:* supra *propius mare.* Cic. ad Att. I. 14., " *Proxime Pompeium* sedebam." adde not. 1. ad *Catil.* c. 11. Harl. 1. *proxima.*

20. *Ea loca, quae...Numidia adpellatur.*] Notabile exemplum verbi propiori nomini aptati: ejusdem generis est illud Terentianum,

utrique, alteris freti, finitumos armis aut metu sub imperium cogere, nomen gloriamque sibi addidere; magis hi, qui ad nostrum mare processerant, quia Libyes, quam Gaetuli, minus bellicosi: denique Africae pars inferior pleraque ab Numidis possessa est; victi omnes in gentem nomenque imperantium concessere.

XIX. Postea Phoenices, alii multitudinis domi minuendae gratia, pars imperii cupidine, sollicitata plebe et aliis novarum rerum avidis, Hipponem, Hadrumetum, Leptim, aliasque urbis, in ora marituma condidere, haeque, brevi multum auctae, pars originibus praesidio, aliae decori fuere: nam de Carthagine silere melius puto, quam parum dicere, quoniam alio properare tempus monet. Igitur ad Catabathmon, qui locus Aegyptum ab Africa dividit, secundo mari, prima Cyrene est, colonia Thereon, ac deinceps duae

---

" Amantium *irae* amoris integratio *est*." adde not. 4. ad *Catil.* c. 25. Quamquam nihil prohibet, ut mihi quidem videtur, quo minus *quae* cum *Numidia* jungatur: vide not. 5. ad *Catil.* c. 55.

21. *Utrique, alteris freti,* —.] Regius, *utrique, alteri alteris freti:* vide not. 15. ad *Catil.* c. 1. *Utrique* autem, Numidae utriusque civitatis.—Mox Harl. 11. delet *aut metu.*

22. *Nomen gloriamque.*] *Tacit. Hist.* II. 37., " Militia clarus, *gloriam nomenque* Britannicis expeditionibus meruerat."

23. *Cogere,...addidere.*] Modum nimirum rationemque rei per praesens infinitivi sive historicum tempus imperfectum effert, exitum per perfectum.

24. *Pars inferior.*] Scilicet inter mare Mediterraneum et Gaetuliam. Perperam ed. Basil. 1564. *interior.*

25. *Concessere.*] *Liv.* XXIX. 29., " Gens Massylorum omnis in ditionem imperiumque Mezetuli *concessit*." et c. 31., " Cetera Massylorum multitudo in ditionem Syphacis *concessit*."

XIX. 1. *Et aliis*—.] Sc. sollicitatis.

2. *Leptim.*] Minorem scilicet: Major autem infra memoranda est.

3. *Pars...,alii*—.] Harl. 12. delet *pars*, sicuti et unus Cortianus, recte: vide not. 5. ad *Catil.* c. 56.

4. *Ad Catabathmon.*] Junge cum *prima* infra: ad Catabathmon versum.

5. *Secundo mari.*] Quasi *sequen-*

Syrtes, interque eas Leptis: dein Philenon Arae, quem Aegyptum vorsus finem imperii habuere Carthaginienses: post aliae Punicae urbes. Cetera loca usque ad Mauretaniam Numidae tenent; proxume Hispaniam Mauri sunt: super Numidiam Gaetulos accepimus partim in tuguriis, alios incultius vagos agitare; post eos Aethiopas esse; dein loca exusta solis ardoribus. Igitur bello Jugurthino pleraque ex Punicis oppida et finis Carthaginiensium, quos novissume habuerant, populus Romanus per magistratus administrabat: Gaetulorum magna pars, et Numidae usque

---

do mari, passive: sic *Nigidius* apud *Gell.* II. 22., "Etesiae et Austri anniversarii *secundo sole* flant." h. e., secundum solis cursum. Ceterum Cyrene non ipsa quidem maritima erat, at maritima colonia, civitas, regio Cyrenaica. Frustra Cortius: *ut mare sit secundum, ut sequatur, proximum sit post Cyrenem.*

6. *Interque eas Leptis: dein—.*] Nimirum, postquam Syrtes memoravit, quasi revertitur a minore ad Leptim, porro a Lepti ad Philenon Aras. Ceterum de Syrtibus, Lepti, et Philenon Aris, plura infra c. 78—79.

7. *Quem...finem.*] Sic. Cort. ex suis Senat. 2. et Heuss., neque aliter istorum consanguinei Harl. 2. et 6.: vulgo *quem locum—.* Lege not. 5. ad *Catil.* c. 55., item n. 9. ad c. 7.

8. *Proxume Hispaniam.*] Vide not. 19. ad c. 18. supra.

9. *Alios incultius vagos agitare.*] *Tacit. Ann.* IV. 46., "Contusis Thracum gentibus, qui montium editis inculti, atque eo ferocius, *agitabant.*" Noster supra c. 18., "Hi propius mare Africum *agitabant.*"

10. *Exusta solis ardoribus.*] *Virg. Ge.* I. 107., "Quum *exustus* ager morientibus aestuat herbis." *Cic. de Senect.* 15., "Vestita pampinis ... nimias solis defendit *ardores.*"

11. *Pleraque ex Punicis oppida.*] Quasi *pleraque oppida ex Punicis oppidis:* sic infra c. 30., *unam ex tam multis orationem.*

12. *Quos novissume habuerant.*] Post bellum Punicum secundum scilicet confectum.

13. *Numidae usque ad—.*] H. e., incolae *Numidiae usque ad—.* Mire autem argutatur Cortius, non omnes *Numidas* sub Jugurtha fuisse, quum plures aut profugi post Adherbalis necem abissent (*unum* certe profugisse ex c. 35., quo lectorem relegat iste, constat; et ultro addo ipse, ex c. 108. ap-

ad flumen Mulucham, sub Jugurtha erant: Mauris omnibus rex Bocchus imperitabat, praeter nomen cetera ignarus populi Romani, itemque nobis neque bello, neque pace, antea cognitus. De Africa et ejus incolis ad necessitudinem rei satis dictum.

XX. Postquam, regno diviso, legati Africa discessere, et Jugurtha contra timorem animi praemia sceleris adeptum sese videt, certum ratus, quod ex amicis apud Numantiam acceperat, omnia Romae venalia, simul et illorum pollicitationibus accensus, quos paulo ante muneribus expleverat, in regnum Adherbalis animum intendit. Ipse acer, bellicosus; at is, quem petebat, quietus, imbellis, placido ingenio, opportunus injuriae, metuens magis, quam metuendus. Igitur ex improviso finis ejus cum magna manu

---

parere, etiam *alterum* profugum abisse), aut mox Romanis adventantibus sese adjunxissent; sed omnem *Numidiam:* quam ob causam gravissimam ex cod. unico rescripsit *Numidia*. At, ineptire si placeat, non minus argute respondere licet, *ne Numidiam quidem* omnem sub Jugurtha fuisse, quum et oppida pauca quaedam ad Romanos defecissent, et quantum Numidiae vallum castrorum Romanorum cingebat, tantum certe plane atque omnino et jure optimo sub Romanis fuisset!

14. *Cetera ignarus.*] Quod ad cetera. *Liv.* I. 35., *Tacit. Ann.* VI. 42. et *Agric.* 16., *Horat. Epist.* I. 10. 3. et 50., *Virg. Aen.* III. 594.

XX. 1. *Venalia.*] Sic Harl. 3. et 17., abjecto *esse*.

2. *Simul et—.*] Infra c. 25., "Hi, quod in invidia res erat, *simul et* ab Numidis obsecrati, triduo navim escendere."

3. *Animum intendit.*] Infra c. 43., "Ad bellum, quod gesturus erat, *animum intendit.*" Harl. 4. autem absolute *intendit*, quomodo *Justin.* XIII. 6., "Inde...ad nuptias Cleopatrae...*intendit.*"

4. *Quem petebat.*] *Liv.* I. 2., "Bello deinde Aborigines Trojanique simul *petiti.*" Virg. Aen. III. 603., "Et bello Iliacos fateor *petiisse* penates."

5. *Opportunus injuriae.*] *Liv.* XXVIII. 19., "Ne quis umquam Romanum civem militemve in ulla fortuna *opportunum injuriae* duceret." Adde II. 13. extr.

invasit, multos mortalis cum pecore atque alia praeda capit, aedificia incendit, pleraque hostiliter loca cum equitatu accedit; dein cum omni multitudine in regnum convortit, existumans dolore permotum Adherbalem injurias manu vindicaturum, eamque rem belli causam fore. At ille, quod neque se parem armis existumabat, et amicitia populi Romani magis, quam Numidis, fretus erat, legatos ad Jugurtham de injuriis questum misit: qui tametsi contumeliosa dicta retulerant, prius tamen omnia pati decrevit, quam bellum

---

6. *Invasit.*] Sic Cortius tacite; lectionem autem firmant Harl. 3. et 16.: vulgo *invadit.*

7. *Pleraque hostiliter loca.*] Hunc vulgatum ordinem verborum, quem in uno solummodo codice repertum Cortius noluit retinere, testor ego in Harl. 2., 3., 6., 13., 16., exstare; quot codices arbitror in tali re non temere consensisse: 11. *pleraque hostilia loca.*

8. *In regnum convortit.*] Sc. *se*: ellipsis usitata. Pronomen *suum* autem delevi, auctoribus Harl. 3., 12., 22.

9. *Injurias.*] Sic Harl. 3., 15., 18., omisso *suas;* quod, non quo cum Glareano ancipitem reciprocationem existimarem, sed utpote otiosum delevi.

10. *Eamque rem.*—] Harl. 9. *eamque veram belli causam.* Scribendum *eamque belli causam.* Catil. c. 7., " *Eas* divitias, *eam* bonam famam...putabant." ubi plura. *Liv.* I. 57., " Ardeam Rutuli habebant, gens...divitiis praepollens: *ea*que *ipsa causa belli* fuit."

11. *Fretus erat.*] Harl. 11. deest *erat*, idque Cortio " odiosum valde et otiosum" est, quum etiam participia cum particulis causalibus jungantur. Mihi contra nexus particularum *quod neque—, et—*, omnino postulare videtur, ut *existumabat* et *ratus erat* ad *quod* pariter referantur.

12. *De injuriis questum misit.*] Harl. 12. et 18. *q. m. de inj.*; 17. atque ed. Venetae *q. de inj. m.*: apage interpolationem *de injuriis!*

13. *Omnia pati.*] Infra c. 26., " Tametsi *omnia* potiora fide Jugurthae rebatur." 58., " *Omnia* magis, quam proelium, exspectantibus." 62., " Quum...*omnia* bello potiora duceret." 79., " *Omnia* malle, quam victi abire."

14. *Bellum sumere.*] Utitur phrasi *Livius* VIII. 4., item *Tacitus v. Agric.* c. 16.; Noster infra c. 62. et 83.

sumere, quia, tentatum antea, secus cesserat. Neque eo magis cupido Jugurthae minuebatur: quippe qui totum ejus regnum animo jam invaserat. Itaque non, ut antea, cum praedatoria manu, sed magno exercitu comparato, bellum gerere coepit, et aperte totius Numidiae imperium petere. Ceterum, qua pergebat, urbis, agros vastare; praedas agere: suis animum, terrorem hostibus augere.

XXI. Adherbal ubi intellegit eo processum, uti regnum aut relinquendum esset, aut armis retinendum, necessario copias parat, et Jugurthae obvius procedit. Interim haud longe a mari prope Cirtam oppidum utriusque consedit exercitus; et, quia die extremum erat, proelium non inceptum. Ubi plerumque noctis processit, obscuro etiam tum lumine, milites Jugurthini, signo dato, castra hostium invadunt;

---

15. *Secus cesserat.*] Puta *quam voluerat;* i. e., male, infeliciter: sic infra c. 25., " Quod ubi *secus* procedit." *Liv.* X. 19., " Rei bene aut *secus* gestae decus dedecusque." aut secus quam bene, h. e., male.

16. *Neque eo magis—.*] Ed. Cortiana *Neque tamen:* et haud dubie egregiam operam crediderat bonus librarius se navasse (nam Cortium ipsum nolim sane interpolationis reum facere); respiciens scilicet illud *Catil.* c. 24., " *Neque tamen* Catilinae furor minuebatur." Sed infeliciter evenit, ut ex omni multitudine codicum ne unus quidem istud *tamen* agnoscat.—Mox *quippe qui—*: Regius delet pronomen.

17. *Animo jam invaserat.*] Nepos Hannib. 1., " Numquam destitit *animo* bellare cum Romanis."

XXI. 1. *Ubi intellegit,—.*] Harl. 1. *ubi eo processum* (est),—.

2. *Aut armis retinendum.*] Harl. 12. non agnoscit *armis*, neque eo opus est, si *retinendum* cum emphasi intelligas, ut *agendo* pro *fortiter agendo*, Catil. c. 52. n. 59.

3. *Die.*] Pro *diei*, antiquo more: sic infra c. 52. et alibi.—*Extremum:* Liv. III. 24., " *Extremum* anni jam erat." et XXVIII. 37., " Jam *extremum* autumni erat."

4. *Obscuro etiam tum lumine.*] Fragm. IV. *Hist.* " Lumine etiam tum incerto."

semisomnos partim, alios arma sumentis, fugant funduntque: Adherbal cum paucis equitibus Cirtam profugit, et, ni multitudo togatorum fuisset, quae Numidas insequentes moenibus prohibuit, uno die inter duos reges coeptum atque patratum bellum foret. Igitur Jugurtha oppidum circumsedit; vineis turribusque et machinis omnium generum expugnare adgreditur; maxume festinans tempus legatorum antecapere, quos ante proelium factum Romam ab Adherbale missos audiverat. Sed, postquam senatus de bello eorum accepit, [tres adolescentes] in Africam legantur, qui ambo reges adeant, senatus populique Romani verbis nuntient, Velle et censere, eos ab armis discedere; de controversiis suis jure potius, quam bello, disceptare; ita seque illisque dignum fore.

---

5. *Cum paucis equitibus.*] Harl. 1. c. *p. militibus;* 12. et Regius *cum equitibus paucis:* dele *equitibus.*

6. *Multitudo togatorum.*] Harl. 3. *togarum:* an per metonymiam? lubuit tamen ex optimo codice adnotare. Mox 11. delet *moenibus;* et paulo post 15. *duos.*

7. *Coeptum atque patratum.*] *Tacit. Ann.* XII. 16., "Ac, ni proelium nox diremisset, *coepta patrataque* expugnatio eumdem intra diem foret." Pro *foret* mallem apud utrumque *erat:* v. n. 9. ad *C.* c. 18.

8. *Tempus legatorum antecapere.*] *Catil.* c. 55. *antecapere noctem.* Intellige autem tempus legatorum *redeuntium.*

9. *Romam ab Adherbale missos.*] Harl. 1., 8., 9., 14., *Romam missos;* 4. *missos audiverat Romam;* at 11., 12., 13., 15., plane omittunt *Romam.* Praepositionem autem *ab* Cort. frustra expunxit; sed non frustra fortasse cum Harl. 20. omnino *ab Adh.* expunxeris.

10. *Tres adolescentes.*] Alteri legati, *majores natu,* infra missi memorantur c. 25., unde hic *adolescentes* ab librariis effictum existimat Cortius.

11. *Ambo.*] Pro *ambos;* ἄμφω. Harl. 14. autem delet *reges.*

12. *Senatus populique Romani verbis.*] Infra c. 52., "*Senati verbis* minae nuntiabantur." et c. 102., *regis verbis.*

13. *Velle et censere.*] Harl. 4., 8., 12., 17., 23., ed. Ven., Mediol., et Junt., *velle, censere,* sine copula.

14. *De controversiis ... disceptare.*] Haec, quae cod. M. S.

XXII. Legati in Africam maturantes veniunt, eo magis, quod Romae, dum proficisci parant, de proelio facto et oppugnatione Cirtae audiebatur: sed is rumor clemens erat. Quorum Jugurtha accepta oratione respondit, Sibi neque majus quidquam, neque carius, auctoritate senati: ab adolescentia ita enisum, uti ab optumo quoque probaretur: virtute, non malitia, P. Scipioni, summo viro, placuisse; ob easdem artis ab Micipsa, non penuria liberorum, in regnum adoptatum: ceterum, quo plura bene atque strenue fecisset, eo animum suum injuriam minus tolerare: Adherbalem dolis vitae suae insidiatum; quod ubi comperisset, sceleri obviam isse: populum Romanum neque recte neque pro bono facturum, si ab jure gentium sese prohibuerint: postremo de omnibus rebus legatos Romam brevi missurum. Ita utrique digrediuntur. Adherbalis adpellandi copia non fuit.

XXIII. Jugurtha ubi eos Africa decessisse ratus, neque propter loci naturam Cirtam armis expugnare potest, vallo atque fossa moenia circumdat, turris exstruit, easque prae-

---

plerisque deesse solent, fideliter servata habent Harl. 2., 6., 18., temque Regius: Harl. 18. autem delet *suis*. Lacunam primus C. Popma explevit, idemque clausulam tantum non amissam bene restituit infra c. 44., *neque muniebantur ea*, ubi tamen ab editoribus contumeliose habitus est.

XXII. 1. *Sed is rumor*—.] Abest pronomen ab ed. Veneta 1740.: Harl. 12. autem et 23 delent *erat*.

2. *Sibi...majus...carius.*] Paulo aliter dicitur *sibi majus*, et *sibi carius*: vide castigationem nostram infra c. 86., "*Cui* neque sua *curae* ...et omnia cum pretio *honesta*."

3. *In regnum.*] Harl. 11. delet.

4. *Pro bono.*] Bene.

5. *Utrique.*] Vide not. 15. ad c. 13. supra.

XXIII. 1. *Ubi...ratus.*] Harl. 2. et 6. *eos ubi*—. Quarto autem monente, delevi *est*, quod ex *potest* infra exigendum: quasi *ubi... ratus, neque...potis, est.*—Venetae et Mediol. *loci propter naturam.*

2. *Moenia circumdat.*] Harl. 1. et 18. *circumdat moenia;* et Thysius jam tacite delevit *moenia.*

sidiis firmat: praeterea dies, noctes, aut per vim aut dolis, tentare; defensoribus praemia modo, modo formidimem, ostentare; suos hortando ad virtutem erigere; prorsus intentus cuncta parare. Adherbal ubi intellegit omnis suas fortunas in extremo sitas, hostem infestum, auxilii spem nullam, penuria rerum necessariarum bellum trahi non posse; ex his, qui una Cirtam profugerant, duo maxume impigros delegit; eos, multa pollicendo, ac miserando casum suum, confirmat, uti per hostium munitiones noctu ad proxumum mare, dein Romam, pergerent.

XXIV. Numidae paucis diebus jussa efficiunt: literae Adherbalis in senatu recitatae, quarum sententia haec fuit.

" Non mea culpa saepe ad vos oratum mitto, Patres conscripti, sed vis Jugurthae subigit: quem tanta lubido exstinguendi me invasit, uti neque vos neque deos immortalis in animo habeat; sanguinem meum, quam omnia, malit. Itaque quintum jam mensem socius et amicus populi Romani armis obsessus teneor; neque mihi Micipsae patris beneficia neque vestra decreta auxiliantur: ferro, an fame,

---

3. *Aut per vim aut dolis.*] Supra c. 7., *neque per vim neque insidiis.*

4. *Defensoribus.*] Abjeci *moenium*, auctore Harl. 9.

5. *In extremo.*] *Tacit. Ann.* XIV. 61., " Non eo loci res suas agi, ut ...; sed vitam ipsam *in extremum* adductam."

6. *Bellum trahi.*] Infra c. 36. *trahere omnia;* et ibid. *tractum bellum:* adde c. 64. et 83., et *Tacit. Hist.* II. 31., III. 1., 56.

7. *Miserando casum suum.*] Infra c. 62., " Jugurtham, anxium ac *miserantem* fortunas suas, accedit." *Plaut. Epid.* IV. 1., 6., " Quis illaec est mulier, quae ipsa se *miseratur?* "—Harl. 1. *suum casum;* 6. autem delet *suum.*

XXIV. 1. *Saepe ad vos—.*] Harl. 3. *saepe oratum vos mitto,* quod placet; 17. *s. o. ad v. m.*

2. *Lubido exstinguendi me.*] Juntina *mei.*

3. *In animo habeat.*] Vereatur.

4. *Socius et amicus.*] Harl. 3. *s. atque a.*; 14. et 16. *socius, ami-*

acrius urguear, incertus sum. Plura de Jugurtha dehortatur fortuna mea; etiam ante expertus sum, parum fidei miseris esse; nisi tamen intellego, illum supra, quam ego sum, petere, neque simul amicitiam vestram et regnum meum sperare: utrum gravius existumet, nemini occultum. Nam initio occidit Hiempsalem, fratrem meum, dein patrio

---

cus, sine copula. Supra 8. et 14. *quinto jam mense.*

5. *Plura de Jugurtha dehortatur fortuna mea.*] Vulgo *p. de J. scribere dehortatur:* Harl. 14. *scribere plura*—; at 13. *scribere* omnino non agnoscit, neque lector humanus desiderabit. *Cic. ad Fam.* XII. 24., "Sed hac de re alias ad te *pluribus.*"

6 *Etiam ante*—.] Sic Harl. 3., 14., 16.: Cort. *antea.*

7. *Nisi tamen intellego.*—.] Refer ad *dehortatur;* sunt enim illa, *etiam ante* etc., quasi parenthetica. Resolvendum autem, *si tamen non* —; *ita tamen, si non*—: Plura de Jugurtha scribere dehortatur fortuna mea, *si tamen non* intelligo, illum—. Dehortatur, *ita tamen* (dehortatur), *si non* intelligo, illum—. Dohortatur, quamquam non plane dehortatur, si quidem non dehortatur hoc, quod intelligo, amplius scribere, illum—. Nisi malis existimare, sensus et enthymematis, potius quam nimis morose verborum, rationem habendam esse. Easdem particulas iterum videbimus c. 100. extr. Cortium autem piget audire pueriliter ineptientem: *Nisi* fides mihi habetur, *Si* mihi *non* creditis, *tamen* intellego!

8. *Supra, quam ego sum.*] H. e. *majus quiddam:* quid autem, insequens epexegesis satis significat. Harl. 12. delet *illum*, idque in primo locum mutat. *Petere*, verbum hostile, jam vidimus supra c. 20. n. 4.

9. *Et regnum meum.*] Harl. 14. non agnoscit *meum*, quasi intelligendum *vestrum:* infra, "Nunc *vestrum* regnum armis tenet."

10. *Utrum gravius existumet.*] Utrum *non sperare*, h. e., utro carere, gravius (acerbius, ingratius, intolerabilius) existimet. Ita Cortius quidem interpretatur: alii autem, utrum majoris pretii, amicitiamne vestram an regnum meum. Ceterum, quod docet Cortius, *gravius sibi esse existimare* eo, quo vulgo velint, sensu, Latinum non esse; verum id quidem, sed nihil ad rem, si quidem huic loco pronomen *sibi* non adest.

11. *Nemini occultum.*] Sic Harl. 13. et 20., abjecto *est.*

regno me expulit; quae sane fuerint nostrae injuriae, nihil ad vos: verum nunc vestrum regnum armis tenet; me, quem imperatorem Numidis posuistis, clausum obsidet; legatorum verba quanti fecerit, pericula mea declarant. Quid reliquum, nisi vis vestra, quo moveri possit? Nam ego quidem vellem, et haec, quae scribo, et quae antea in senatu questus sum, vana forent potius, quam miseria mea fidem verbis faceret. Sed, quoniam eo natus sum, ut Jugurthae scelerum ostentui essem, non jam mortem neque aerumnas, tantummodo inimici imperium et cruciatus corporis deprecor. Regno Numidiae, quod vestrum est, uti

---

12. *Quae sane fuerint*—.] Ironice: sic infra c. 31., "Sed *sane fuerit* regni paratio plebi sua restituere." Harl. 1. *Quae sane fuerint injuriae nil ad vos;* 21. *meae inj.*

13. *Posuistis.*] Imposuistis: sic, adnotante Cortio, *Cic. pro Flacc.* c. 19., "Custos...frumento publico *positus.*"

14. *Pericula mea declarant.*] Harl. 4. *p. d. mea.*

15. *Fidem verbis faceret.*] Harl. 1. et 3. *faceret verbis;* 2. et 6. *verbis fidem;* 15. autem ejecit *verbis.* Cic. Topic. c. 2., "Licet definire... argumentum, rationem, quae *rei* dubiae *faciat fidem.*" Liv. II. 24., "*Concioni* deinde edicto *addidit fidem.*" et XXXV. 29., "Non tam *fidem dictis* perfuga *fecit,* quam —."

16. *Ostentui.*] *Tacit. Ann.* XII. 14., "Vivere jubet, *ostentui* clementiae suae."

17. *Non jam* —.] *Liv.* II. 23., "*Non jam* foro se tumultus continet, sed passim totam urbem pervadit." *Caes. de B. G.* VII. 59., "Tum Labienus...longe aliud sibi capiendum consilium... intelligebat; *neque jam,* ut aliquid acquireret, proelioque hostes lacesseret, sed ut incolumem exercitum Agendicum reduceret, cogitabat." Quid autem sibi velit Adherbal, quum negat jam se *mortem* deprecari, equidem non probe intelligo: nam, qui profiteretur se non jam mortem deprecari, eumdem mori arbitrarer paratum. An *sortem?* ut sit quasi ἓν διὰ δυοῖν: *non sortem neque aerumnas,* non sortem meam aerumnosam, scilicet ut Jugurthae scelerum ostentui *vivam.* Saltem non potuit doctorum virorum silentium prohibere, quin ἀπορίαν meam simul conjecturamque profiterer.

lubet, consulite: me ex manibus impiis eripite, per majestatem imperii, per amicitiae fidem; si ulla apud vos memoria Masinissae."

XXV. His literis recitatis, fuere, qui exercitum in Africam mittendum censerent, et quamprimum Adherbali subveniundum; de Jugurtha interim uti consuleretur, quoniam legatis non paruisset. Sed ab isdem regis fautoribus summa ope enisum, ne decretum fieret. Ita bonum publicum, ut in plerisque negotiis solet, privata gratia devictum. Legantur tamen in Africam majores natu, nobiles, amplis honoribus; in quis M. Scaurus, de quo supra memoravimus, consularis, et tum senati princeps. Hi, quod in invidia res erat, simul et ab Numidis obsecrati, triduo navim escendere: dein brevi Uticam adpulsi, literas ad Jugurtham mittunt, Quam ocissume ad provinciam accedat; seque ad eum ab senatu missos. Ille ubi accepit, homines claros, quorum

---

18. *Ex manibus impiis.*] Harl. 2. *impii.*

19. *Si ulla apud vos memoria Masinissae.*] Nunc tandem respirat Sallustius, tamdiu interpolationis onere oppressus. Vulgo, *si ulla apud vos memoria remanet avi mei Masinissae:* at recte atque ordine Cortius *remanet* ejecit; cui miror putidissima ista *avi mei* nullum movisse fastidium. Harl. 21. *Masinissae avi mei:* et hujus indicium sequutus facinus ausus sum, quod qui reprehenderit, eum credam invisum Musis auras vitales carpere.

XXV. 1. *Quoniam legatis —.*] Sic scripti; ed. Cortiana *q. n. p. legatis.* Mallem *legatis quoniam —*: vide not. 9. ad c. 10. supra.

2. *Ne decretum fieret.*] Sc., sicuti isti censuerant. Ante Cortium enim legebatur *tale decretum.*

3. *Amplis honoribus.*] Abjecit Cortius, cod. tres sequutus, quod addunt vulgo, *usi;* eique Harl. 8. assentitur. Scripsit Noster *Catil.* c. 49., *extrema aetate, maxumis honoribus usus:* hi autem non magis usi, quam utentes.

4. *Ad provinciam accedat.*] Harl. 2. et 6. *acc. ad prov.;* iidemque infra *ab senatu ad eum.* Scripserat Sallustius, "Quam ocissume accedat; seque ab senatu missos." nihil amplius.

auctoritatem Romae pollere audiverat, contra inceptum suum venisse, primo commotus, metu atque lubidine divorsus agitabatur. Timebat iram senati [ni paruisset legatis]; porro animus, cupidine caecus, ad inceptum scelus rapiebat. Vicit tamen in avido ingenio pravum consilium. Igitur, exercitu circumdato, summa vi Cirtam irrumpere nititur, maxume sperans, diducta manu hostium, aut vi aut dolis sese casum victoriae inventurum. Quod ubi secus procedit, neque, quod intenderat, efficere potest, uti prius, quam legatos conveniret, Adherbalis potiretur, ne, amplius morando, Scaurum, quem plurimum metuebat, incenderet, cum paucis equitibus in provinciam venit. Ac, tamen etsi senati verbis minae graves nuntiabantur, quod oppugnatione non desisteret, multa tamen oratione consumta, legati frustra discessere.

---

5. *Quorum auctoritatem Romae pollere audiverat.*] Interpretatio? *quorum auctoritas Romae polleret.*

6. *Divorsus agitabatur.*] *Liv.* XXVI. 5., " Hannibalem *diversum* Tarentinae arcis potiundae Capuaeque retinendae *trahebant* curae: vicit tamen respectus Capuae."

7. *Ni paruisset legatis.*] Cort. supplementum existimat librariorum, ex initio hujusce capitis derivatum.

8. *Rapiebat.*] Sc. eum. *Liv.* VII. 30., " Sed cupiditas explenda est: ea ad oppugnandam Capuam *rapit.*"

9. *Diducta manu hostium.*] Quum hostes coëgisset copias in varias partes distrahere. *Tacit. Ann.* II. 11., " Distantibus locis invecti, ut hostem *diducerent.*"— Supra Harl. 8. et 16., item Burn., *in Cirtam irrumpere;* et praepositio geminata est c. 12.

10. *Casum victoriae.*] Occasionem: *Tacit. Ann.* I. 13., IV. 50., XI. 9., XII. 28., 50., XIII. 36.; Noster infra c. 56.—Pronomen *sese* Harl. 15. delet.

11. *Secus.*] Vide not. 15. ad c. 20. supra.

12. *Quod intenderat.*] Id, in quod animum intenderat; vel licet etiam infinitivum adsciscere: vide c. 92. et 107. extr. infra. — Mox Harl. 4. et 12. *Adherbalem potiretur.*

13. *Senati verbis.*] Vide not. 12. ad c. 21. supra.

14. *Frustra discessere.*] Intellige *frustra ὄντες, frustrati:* infra c. 85., " Ut neque vos capiamini, et illi *frustra sint.*"

XXVI. Ea postquam Cirtae audita, Italici, quorum virtute moenia defensabantur, confisi, deditione facta, propter magnitudinem populi Romani inviolatos sese fore, Adherbali suadent, uti seque et oppidum Jugurthae tradat; tantum ab eo vitam paciscatur; de ceteris senatui curae fore. At ille, tametsi omnia potiora fide Jugurthae rebatur, quia penes eosdem, si advorsaretur, cogendi potestas erat, ita, uti censuerant, deditionem facit. Jugurtha in primis Adherbalem excruciatum necat: dein omnis puberes, Numidas atque negotiatores promiscue, uti quisque armatis obvius, interfecit.

XXVII. Quod postquam Romae cognitum, et res in senatu agitari coepta, idem illi ministri regis interpellando, ac saepe gratia, interdum jurgiis, trahendo tempus, atrocitatem facti leniebant. Ac, ni C. Memmius, tribunus plebis designatus, vir acer, et infestus potentiae nobilitatis, populum edocuisset, id agi, uti per paucos factiosos Jugurthae scelus condonaretur, profecto omnis invidia prolatandis

---

XXVI. 1. *Ea postquam Cirtae audita.*] Abjeci *sunt*, Harl. 1. auctore: sic cap. inseq., " Quod postquam Romae cognitum."

2. *De ceteris—.*] Ad cetera quod attineret, rem senatui curae fore. Nisi forte ex illo *paciscatur* adsumendum sit *pacisci*. Harl. 17. autem atque ed. Ascens. *curam fore;* quomodo etiam Leidens. E.: non probo.

3. *Omnia potiora.*] Vide not. 13. ad c. 20. supra.

4. *Uti censuerant.*] Sic Harl. 17. vetustissimus, item ed. Juntina, omisso *Italici*, quod glossatorum esse quovis pignore contendere volebat Cortius.

5. *In primis.*] Vide not. 7. ad *Catil.* c. 60.—*Excruciatum necat:* vide ibid. c. 52. n. 53. — Mox ed. Cort. *Numidas et—*, contra codices.

XXVII. 1. *Idem illi—.*] Abest *illi* ab Harl. 2. et 6., itemque ed. Romana 1470.

2. *Interpellando, ac saepe gratia.*] Interpellando *saepe*, *saepe* gratia: vide not. 3. ad *Catil.* c. 53.

3. *Populum edocuisset.*] *Romanum*, quod h. l. omnino putidum, codicem quemdam Cortianum sequutus delevi.

4. *Condonaretur.*] *Catil.* c. 52., " Qui mihi atque animo meo nul-

consultationibus dilapsa erat; tanta vis gratiae, atque pecuniae regis. Sed ubi senatus delicti conscientia populum timet, lege Sempronia provinciae futuris consulibus Numidia atque Italia decretae: consules declarantur P. Scipio Nasica, L. Calpurnius Bestia: Calpurnio Numidia, Scipioni Italia obvenit. Deinde exercitus scribitur, qui in Africam portaretur: stipendium, alia, quae bello usui forent, decernuntur.

XXVIII. At Jugurtha, contra spem nuntio accepto, quippe cui Romae omnia venum ire in animo haeserat, filium, et cum eo duo familiaris, ad senatum legatos mittit; hisque, uti illis, quos Hiempsale interfecto miserat, praecepit, omnis mortalis pecunia adgrediantur. Qui postquam Romam adventabant, senatus a Bestia consultus, Placeretne legatos Jugurthae recipi moenibus; iique decrevere, Nisi regnum ipsumque deditum venissent, uti in diebus

---

lius umquam delicti gratiam fecissem, haud facile alterius lubidini malefacta *condonabam*."

5. *Prolatandis consultationibus.*] *Liv.* VII. 21., " *Prolatandis* igitur *comitiis* quum dictator magistratu abisset, res ad interregnum rediit." Adde not. 4. ad *Catil.* c. 43.— *Dilapsa erat:* ita Cort.; vulgo *foret:* vide not. 9. ad *Catil.* c. 18.

6. *Declarantur.*] Sic Cortius tacite: lectionem autem agnoscunt Harl. 14. et 15.; item Leidenses E., F.: vulgo *declarati*, propter antecedens *decretae.*

7. *L. Calpurnius Bestia.*] Sic Harl. 16. atque ed. Ascensiana, item Senat. 1. apud Cortium, qui tamen vulgatam collocationem, *L. B. C.*, defendit: alteram et usus postulat, et flagitat concinnitas.

8. *Exercitus scribitur, qui—.*] Sic Harl.3., et 21.; vulgo *exercitus, qui...portaretur, scribitur*, duriuscule.

XXVIII. 1. *In animo haeserat.*] *Liv.* XLV. 43., " *Haerente* adhuc, non *in animis* modo, sed paene in oculis, memoria Macedonici triumphi."

2. *Ad senatum legatos mittit.*] Harl. 1., 2., 6., 11., *legatos ad—*; 3., 12., 21., *mittit legatos;* 13. autem et 23., item Regius, plane omittunt *legatos.* Supra Harl. 3. et 11. recte *duo* pro *duos.*

3. *Pecunia adgrediantur.*] Vide not. 5. ad c. 16. supra.

decem Italia decederent. Consul Numidis ex senati decreto nuntiari jubet: ita, infectis rebus, illi domum discedunt. Interim Calpurnius, parato exercitu, legat sibi homines nobilis, factiosos, quorum auctoritate, quae deliquisset, munita fore sperabat: in quis fuit Scaurus, cujus de natura et habitu supra memoravimus. Nam in consule nostro multae bonaeque artes animi et corporis erant, quas omnis avaritia praepediebat: patiens laborum, acri ingenio, satis providens, belli haud ignarus, firmissumus contra pericula et insidias. Sed legiones per Italiam Rhegium, atque inde Siciliam, porro ex Sicilia in Africam, transvectae. Igitur Calpurnius initio, paratis commeatibus, acriter Numidiam ingressus est: multos mortalis et urbis aliquot pugnando capit.

XXIX. Sed, ubi Jugurtha per legatos pecunia tentare, bellique, quod administrabat, asperitatem ostendere coepit, aeger animus facile convorsus est. Ceterum socius et admi-

---

4. *In diebus decem.*] Sic Harl. 9. et 20. omisso *proxumis*, quod Cortius damnatum reliquit.

5. *Nuntiari jubet.*] Harl. 2. et 6., item ed. Romana 1470., *nuntiare:* vide not. 6. ad c. 75. infra.

6. *Domum discedunt.*] Harl. 15. *disc. domum;* primus autem *domum* in marginem rejecit, in quo eodem pronomen *illi* inter lineas scriptum est.

7. *Legat.*] Legatos adsumit.

8. *Munita fore sperabat.*] An *munita forent?* vide c. 33. infra.

9. *Patiens laborum.*] Harl. 13. atque ed. Ven. et Mediol. *laboris.*

10. *Porro ex Sicilia in Africam.*] Harl. 16. *porro in Africam,* laudabili brevitate.

11. *Acriter Numidiam ingressus est.*] Harl. 6. *acrior,* quomodo *Capitolinus* in *Maximin.* c. 21., "*Acrior* denique Italiam *ingressus est.*" quem post Wassium attulit Cortius: illi tamen de lectione vulgata non dubitaverunt. Harl. 11. *ingressus,* sine *est.*

12. *Pugnando capit.*] Harl. 1. deest *pugnando:* nimirum librario duriuscula videri poterat syllepsis, ut nudum *capit* ad *multos mortalis* referretur; quamquam licet *pugnando* ad utrumque referre. *Plaut. Amph.* I. 1. 258., "Et *legiones* Teleboarum *vi pugnando cepimus.*"

XXIX. 1.] *Aeger animus facile*

nister omnium consiliorum adsumitur Scaurus: qui tametsi a principio, plerisque ex factione ejus corruptis, acerrume regem impugnaverat, tamen magnitudine pecuniae a bono honestoque in pravum abstractus est. Sed Jugurtha primum tantummodo belli moram redimebat, existumans, sese aliquid interim Romae, pretio aut gratia, effecturum: postea vero, quam participem negotii Scaurum acceperat, in maxumam spem adductus recuperandae pacis, statuit cum eis de omnibus pactionibus praesens agere. Ceterum interea fidei causa mittitur a consule Sextius quaestor in oppidum Jugurthae Vagam; cujus rei species erat acceptio frumenti, quod Calpurnius palam legatis imperaverat, quoniam deditionis mora induciae agitabantur. Igitur rex, uti constituerat, in castra venit; ac pauca, praesenti consilio, loquutus de invidia facti, atque in deditionem uti acciperetur, reliqua cum

---

convorsus est.] Impressi omnes *animus aeger avaritia:* at Harl. 8. a prima manu *aeger avarus,* recepta scilicet τοῦ *aeger* interpretatione. Collocationem autem *aeger animus,* quam interpolatores immutaverunt, servant Harl. 12. et Regius.

2. *Socius et administer.*] Harl. 3., 4., 11., 15., *et minister;* ed. Romana 1470. *atque minister.* Scripsit ergo Sallustius *adque minister?* quod potuisset grammatista pro *administratorque* per tmesin positum existimare. *Adque* autem, pro quo usitatum *atque,* in veteribus monumentis, ut viri docti testantur, saepe scriptum reperitur; eamdemque scripturam in codice Vaticano Virgilii saepe reperit Politianus (*Ep.* IV. 8.), qui quidem in scriptis passim ipse usurpat: ceterum rationem rei exposuit *Scalig. de Causis L.L.* I. 22., quem produxi *Doctr. Copular.* c. I. n. 1.—*Omnium consiliorum:* haec Harl. 8. habet in margine adscripta; 12. autem delet *omnium.*—Mox quartus *pecuniae magnitudine.*

3. *Participem negotii.*] Harl. 11. et 12. *principem negotii,* quomodo etiam ed. Colinaei.—Infra *cum eis,* Harl. 16. delet; 17. inter lineas habet: 1., 2., 6., *cum eo;* 11. *cum his.*

4. *Fidei causa.*] Sc. *faciendae:* infra c. 85., "Non possum *fidei causa* imagines...ostentare." Mittebatur autem quaestor re vera quasi obses.

5. *Praesenti consilio.*] Consilium bellicum vide infra c. 62.

Bestia et Scauro secreta transigit: deìn postero die, quasi per saturam sententiis exquisitis, in deditionem accipitur. Sed, uti pro consilio imperatum, elephanti triginta, pecus atque equi multi, cum parvo argenti pondere, quaestori traduntur. Calpurnius Romam ad magistratus rogandos proficiscitur. In Numidia pax agitabatur.

XXX. Postquam res in Africa gestas, quoque modo aetae forent, fama divolgavit, Romae per omnis locos et conventus de facto consulis agitari: apud plebem gravis invidia; Patres probarentne tantum flagitium, an decretum consulis subvorterent, parum constabat. Ac maxume eos potentia Scauri, quod is auctor et socius Bestiae ferebatur, a vero, bono impediebat. At C. Memmius, cujus de libertate ingenii et odio potentiae nobilitatis supra diximus, inter dubitationem et moras senati, concionibus populum ad vindicandum hortari: monere, ne rempublicam, ne libertatem desererent; multa superba, crudelia, facinora nobilitatis ostendere:

---

6. *Quasi per saturam.*] H. e., more non servato, ordine nullo adhibito, sententiarum ratione non habita, temere, confuse. Erat autem *satura* lanx, in qua primitiae frugum omnium simul permixtae Cereri offerebantur. — Continuo Cort. tacite, *exquisitis sententiis*, nomine postposito.

7. *In Numidia pax agitabatur.*] Vulgo *In Numidia et exercitu nostro.* At, quum exercitus Romanus in Numidia fuerit, quumque in eadem Numidia pax agitata fuisse dicatur, obscurum esse non potest, etiam exercitum Romanum pacem agitasse. Quin etiam Latinitas ipsa suspiciosa est: ecquisnam in *exercitu pacem agitari* dixit? Quapropter Harl. 11. auctorem lubentissime sequutus, interpolationem insulsam ejeci.

XXX. 1. *De facto consulis.*] Harl. 2. et 6. *factu.*

2. *Patres probarentne..., parum constabat.*] Ita castigavit Cortius: vulgo *Patres solliciti erant*; etc.

3. *Ad vindicandum.*] Sc. in eos, qui hosti prodidissent rempublicam; ut ipse censet infra in oratione.

4. *Libertatem.*] Expunxi pronomen *suam*, volentibus Harl. 14. et Regio. Abest autem id etiam ab ed. Veneta 1478.

prorsus intentus, omni modo plebis animum accendebat. Sed, quoniam ea tempestate Memmii facundia clara pollensque fuit, decere existumavi, unam ex tam multis orationem perscribere; ac potissumum, quae in concione post reditum Bestiae hujuscemodi verbis disseruit.

XXXI. " Multa dehortantur a vobis, Quirites, ni studium reipublicae omnia superet; opes factionis, vestra patientia, jus nullum, ac maxume, quod innocentiae plus periculi, quam honoris. Nam illa quidem piget dicere, his annis quindecim quam ludibrio fueritis superbiae paucorum; quam foede quamque inulti perierint vestri defensores; ut vobis animus ab ignavia atque secordia corruptus sit, qui ne nunc quidem, obnoxiis inimicis, exsurgitis, atque etiam nunc

---

5. *Unam ex tam multis orationem.*] Vide not. 11. ad c. 19. supra.

6. *Ac potissumum, quae —.*] Sic Cortius: vulgo *ea dicam, quae —.* Harl. 3. *eam, quam —*; 19. *ea d., quae —*; ceteri omnes *eam d., quam —*, nisi quod in 23. prima manus non scripsit *eam.* Equidem cogitavi aliquando: *Ac potissumum in concione post reditum Bestiae* (habitam orationem). *Hujuscemodi* (igitur) *verbis disseruit.* Ceterum ex antecedentibus intelligendum *perscribere decere existumavi.*

XXXI. 1. *Multa dehortantur a vobis.*] Junge *multa a vobis;* h. e., multa vestra, a parte vestrum, quae ad vos pertinent. *Cic. de N. D.* II. 49., " Illud vero ab Aristotele animadversum, (*a quo pleraque* quis potest non mirari?)—." i. e., cujus pleraque. Adde *eumd. ad Fam.* III. 13., IV. 6., et *Terent. Eun.* III. 5. 9.; quae praepositionis exempla inter alia attulit Cortius: plura videas apud *Ernest.* in *Clav. Cic.*, et *Perizon.* ad *Sanctii Minerv.* IV. 6. 15.—Infra *quam honoris:* Harl. 13. auctore delevi *est.*

2. *His annis quindecim.*] Est ἀπαρτιλογία, monet Cortius, ut numerus rotundetur, et medius esset inter caedem C. et Ti. Gracchorum. Tiberius enim anno ante XXII., Caius autem X., occisus est. Fateor tamen, aptius legi posse, *his annis XX.* Haec ille: sed, quum augere, quam minuere, in re tali sit rhetoricum magis, fortasse reponendum *XXV.*

3. *Ut...corruptus sit.*] Quam—. *Cic. de Orat.* II. 35., *de Fin.* V. 22., alibi saepe.

timetis, quibus decet terrori esse. Sed, quamquam haec talia sunt, tamen obviam ire factionis potentiae animus subigit: certe ego libertatem, quae mihi a parente tradita, experiar; verum, id frustra, an ob rem, faciam, in vestra manu situm, Quirites. Neque ego hortor, quod saepe majores vestri fecere, uti contra injurias armati eatis. Nihil vi, nihil secessione opus est; suomet ipsi more praecipites eant. Occiso Tiberio Gracco, quem regnum parare aiebant, in plebem Romanam quaestiones habitae sunt: post C. Gracci

---

4. *Verum, id frustra, an ob rem, faciam,* —.] Aut interpolatus locus est, aut brevitatem non ita magni fecit Sallustius. Quonam, quaeso, amplius opus erat, quam — *verum frustra an ob rem, in vestra manu situm?* sc. *eam experiar*. Infra c. 113., " Haec Maurus secum ipse diu volvens tandem *promisit;* ceterum *dolo an vere*, parum comperimus." sc. *promiserit.—Ob rem* autem, i. e., non frustra, feliciter. *Terent. Phorm.* III. 2. 40., " Non pudet vanitatis? *Do.* Minume, dum *ob rem.* — Supra *tradita:* Harl. 14. sequutus abjeci *est*.

5. *Nihil vi, nihil secessione opus est; suomet ipsi more praecipites eant.*] Vulgo *N. v., n. s. opus est; necesse est suomet*—, quam compositionem non ferendam sensit Cortius; ante quem tamen video jam Ciacconium interpolationem *necesse est* damnasse: Harl. 11. autem istam nullus agnoscit, atque ego ex contextu facessere jussi. Et adprobat castigationem haud obscure Sallustius ipse, III. *Hist.* orat. Macri, hunc locum respiciens: " Neque ego vos ultum injurias hortor :...non arma, neque secessionem, tantummodo ne amplius sanguinem vestrum praebeatis, censeo. *Gerant habeant*que suo modo imperia; quaerant triumphos: Mithridatem, Sertorium, et reliquias exsulum, persequantur cum imaginibus suis; etc." Sed verbum substantivum post *opus*, quum tacitus abjecerit Cortius, retinendum putavi. Ceterum, *suomet ipsi more:* morem intellige quaestiones habendi: nam pergit nunc Memmius ostendere isto more nobilitatem solitam fuisse in plebem saevire; et postea censet vindicandum in noxios, non manu neque vi, verum quaestionibus, et indicio ipsius Jugurthae. Infra c. 48., " Jugurtha...se *suis artibus* tentari animadvortit." i. e., iisdem, quas ipse exercere solitus esset.

6. *In plebem Romanam.*] Harl. 2. et 6. *in plebe Romana*, non male: vide not. 2. ad *Catil.* c. 9.

et M. Fulvii caedem item multi vestri ordinis in carcere necati: utriusque cladis non lex, verum lubido, finem fecit. Sed sane fuerit regni paratio plebi sua restituere: quidquid sine sanguine civium ulcisci nequitur, jure factum sit. Superioribus annis taciti indignabamini, aerarium expilari; reges et populos liberos paucis nobilibus vectigal pendere; penes eosdem et gloriam summam et maxumas divitias esse: tamen haec talia facinora impune suscepisse parum habuere: itaque postremo leges, majestas vestra, divina et humana omnia, hostibus tradita sunt. Neque eos, qui fecere, pudet aut poenitet; sed incedunt per ora vestra magnifici, sacerdotia et consulatus, pars triumphos, osten-

---

7. *Necati.*] Sic Harl. 1., omisso *sunt.*—Mox post *lubido*, delevi *eorum*, quod in contextu Cortiano praeter voluntatem ipsius inhaesit.

8. *Sed sane fuerit regni paratio —.*] Similem ironiam respice c. 24. n. 12. Ceterum abest *regni* ab Harl. 12., neque in primo nisi inter lineas exstat; et, antecedente *regnum parare*, poterat eleganter reticeri.

9. *Sine sanguine civium.*] Puta effundendo.

10. *Populos liberos.*] Qui scilicet sub regibus non vivunt. Harl. 1. autem omisit *liberos*, id quod Sallustius ipse omittere solet: vide infra c. 84. et *Catil.* c. 20.—Mox *gloriam summam* ex Regio rescripsi, postposito adjectivo; quam collocationem Cortius quoque in scripto quodam reperit probavitque.

11. *Parum habuere.*] *Liv.* XLII. 3., "Templum augustissimum... violare *parum habuisse*, nisi detexisset foede, ac prope diripuisset." *Vellei.* II. 76., "Qui natus obscurissimis initiis, *parum habebat* summa accepisse,...nisi—." Similiter *satis habere* infra n. 35.

12. *Divina et humana omnia.*] Harl. 13. delet *omnia:* item infra h. c. octavus, "Postremo divina et humana *omnia* penes paucos erant."

13. *Aut poenitet.*] Regius delet.

14. *Sed incedunt per ora vestra magnifici.*] *Horat. Serm.* II. 1. 64., "Detrahere et pellem, nitidus qua quisque *per ora in-Cederet*, introrsum turpis."—Particulam *sed* Harl. 8. inter lineas tantummodo ostendit. *Magnifici* autem tuentur 2., 3., 4., 6., et Burn.; cujus interpretationem *magnifice* potuit Cortius praeferre.

15. *Pars triumphos.*] Intellige,

tantes, perinde, quasi honori, non praedae, habeant. Servi aere parati imperia injusta dominorum non perferunt; vos, Quirites, imperio nati, aequo animo servitutem toleratis! At qui sunt, qui rempublicam occupavere? Homines sceleratissumi, cruentis manibus, immani avaritia; nocentissumi, idemque superbissumi; quis fides, decus, pietas, postremo honesta omnia atque inhonesta, quaestui sunt. Pars eorum occidisse tribunos plebis, alii quaestiones injustas, plerique caedem in vos fecisse, pro munimento habent. Ita, quam quisque pessume fecit, tam tutus est;

---

sacerdotia et consulatus *pars, pars* triumphos, ostentantes. *Liv.* III. 61., "Concitant equos,...et perruptis ordinibus, elati ad novissimam aciem, *pars* libero spatio circumvecti, jam fugam undique capessentes plerosque a castris avertunt." *Idem* XXXVI. 17., "Quum Hypatam tuendam Heracleamque depoposcissent, neutram tutati, refugerunt in juga montium, *pars* Heracleae incluserunt sese." Vide not. 1. ad *Catil.* c. 50. Ceterum post *triumphos* expunxi pronomen *suos*, auctoribus Harl. 8. et 11.

16. *Imperio nati.*] Ad imperandum. *Cic. pro Coel.* 24., "Vir *huic imperio natus.*"

17. *At qui sunt, qui* —?] Sic scribendum conjecit Cortius, sic in Harl. 15. scriptum est; vulgo— *hi, qui*—: Harl. 18. *qui hi sunt.*

18. *Idemque superbissumi.*] Iidemque. Vim formulae discretivam sive adversativam illustravi *Doctr. Copularum* c. III. n. 38.

19. *Honesta omnia*—.] Sic Harl. 1. et Cortiani duo: vulgo *h. atque inh. omnia.* Harl. 8. et 14. *omnia h. atque inh.*; 11. autem omisit *atque inhonesta.* Supra c. 11., "Consulta *omnia* et decreta."— Mox 14. delet *sunt.*

20. *Tribunos plebis.*] Harl. 1. *tr. populi*; 11. *tr. p. R.*: et *plebis* delendum censeo; nimirum tribunus plebis apud plebem.

21. *Tam tutus est.*] Impressi libri *tam maxume tutus est*: Harl. 20. *tam tutus est maxime.* At amplam emendandi occasionem Cortio scripti sui obtulerant, quam tamen caecus neglexit: Nihil in hac dictione corrumpendum esse, etsi varie tentent libri: nam *tam maxume* primitus non fuisse in Franciano, *maxume* solum autem delere Vratisl. 3., idemque in Struviano alio loco positum. At quid erat, cur planissimum sensum tentarent librarii omnino, si *tam*

metum a scelere suo ad ignaviam vestram transtulere: quos omnis eadem cupere, eadem odisse, eadem metuere, in unum coëgit; sed haec inter bonos amicitia est, inter malos factio. Quod si tam libertatis curam haberetis, quam illi ad dominationem accensi sunt; profecto neque respublica, sicuti nunc, vastaretur, et beneficia vestra penes optumos, non audacissumos, forent. Majores vestri, parandi juris et majestatis constituendae, bis, per secessionem, armati

---

maxume tutus est ab Sallustio accepissent? qui scilicet numquam istud *maxume* scripsit, sed ex τῷ *pessume* intelligendum reliquit. Lege not. 11. ad *Catil.* c. 5: sed, quo munitiorem castigationem dimittam, lubet et alia pauca exempla afferre, quae ad hunc locum faciant magis, quam quae pleraque illuc allata. *Liv.* V. 10., "*Quantum* autem augebatur militum numerus, *tanto majore* pecunia in stipendium opus erat." VI. 34., "*Quanto magis*, prosperis eo anno bellis, tranquilla omnia foris erant, *tanto* in urbe vis Patrum in dies miseriaeque plebis crescebant." et c. 38., "Quum...*quanto* jure *potentior* intercessio erat, *tantum* vinceretur favore—." *Tacit. Ann.* I. 57., "Nam barbaris, *quanto* quis audacia promtus, *tanto magis* fidus rebusque motis potior habetur." III. 5., "Sed *tanto plura* decora mox tribui par fuisse, *quanto* prima fors negavisset." adde IV. 48. extr. *Plaut. Asin.* 1. 3. 6., "*Quam magis* te in altum capessis, *tam* aestus te in portum refert."

22. *A scelere suo ad ignaviam vestram.*] A semet scelestis ad vos ignavos.

23. *Sed haec inter bonos amicitia est,—.*] Vide not. 9. ad *Catil.* c. 7.: et conf. c. 20. ibidem. Verbum substantivum autem, quod vulgo post *factio* ponitur, et Cortius post *amicitia* melius posuit, Harl. 11. neutro loco agnoscit.

24. *Accensi.*] Vide not. 9. ad *Catil.* c. 13.

25. *Parandi juris et majestatis constituendae.*] Addunt vulgati *gratia;* at satius multo cum Harl. 11. istud subaudiendum relinquere. Burneianus *parandi gratia juris; gratia* nimirum ex spatio interlineari recepto. *Tacit. Ann.* III. 27., "Pulso Tarquinio, adversum Patrum factiones multa populus paravit, *tuendae libertatis et firmandae concordiae.*" quem aemulum Nostri mireris nullam editoribus injecisse suspicionem. Adde quae ejusdem congessit *Rupert.* ad *Ann.* II. 59.,"Germanicus Aegyptum proficiscitur, *cognoscendae antiquitatis.*" et *Caes. de B. G.* IV. 17. extr.

26. *Bis, per secessionem.*] *Liv.* II. 32., III. 50.

Aventinum occupavere: vos pro libertate, quam ab illis accepistis, non summa ope nitemini? atque eo vehementius, quod majus dedecus est, parta amittere, quam omnino non paravisse. Quid igitur censes? Vindicandum in eos, qui hosti prodidere rempublicam, non manu, neque vi; quod magis fecisse, quam illis accidisse, indignum; verum quaestionibus, et indicio ipsius Jugurthae: qui si deditiitius est, profecto jussis vestris obediens erit; sin ea contemnit, scilicet existumabitis, qualis illa pax, aut deditio, ex qua ad Jugurtham scelerum impunitas, ad paucos potentis maxumae divitiae, ad rempublicam damna, dedecora, pervenerint. Nisi forte nondum etiam dominationis eorum satietas tenet, et

---

27. *Parta...paravisse.*] Supra c. 10. *parare...pariuntur.*

28. *Quid igitur censes?*] Non frustra Cortium, quod vulgo praeponunt, *Dicet aliquis*, pro additamento interpretis habuisse, probat Harl. 8., probat Leidensis C., neque abnuit Harl. 15., qui istud postpositum habet: quare delevi. Sic se ipse interrogat Caesar, *Catil.* c. 51., " Placet *igitur* dimitti?" sic Rhodiorum legati apud *Liv.* XLV. 23., " *Quid igitur?* nihilne factum neque dictum est in civitate vestra, *Rhodii*, quod nolletis, quo merito offenderetur populus Romanus?"

29. *Non manu, neque vi.*] Harl. 3. *non manu atque vi;* qualia supra adnotavi c. 6. n. 1., c. 4. n. 15., *Catil.* c. 52. n. 58.

30. *Si deditiitius est.*] Harl. 11. delet *si;* nec mihi displiceat ellipsis: vide not. 7. ad c. 33. infra.

31. *Ad rempublicam damna.*] Perperam et infacete omnino Gruterus, Cortius, et asseclae eorum, *in remp.:* est nimirum figura, quam appellant, παρὰ προσδοκίαν. " Existumabitis, qualis illa pax aut deditio, ex qua *ad* Jugurtham scelerum impunitas, *ad* paucos potentis maxumae divitiae, *ad* rempublicam—*damna! dedecora!* pervenerint." Infra c. 85., " Hominem veteris prosapiae ac multarum imaginum, *et—nullius stipendii!*" ubi plura.

32. *Nisi forte.*] Vide not. 25. ad *Catil.* c. 20.—*Nondum etiam dominationis eorum satietas tenet;* vulgo *nondum etiam vos—;* pronomen autem, Harl. 3. imperante, delevi. At *etiam* expungi jubent 11. et 13., quibus accedit Regius; sed istis minime auscultandum censeo: nimirum nesciverant librarii *etiam* cum *nondum* jungendum esse, et cum pronomine

illa, quam haec tempora, placent, quum regna, provinciae, leges, jura, judicia, bella, paces, postremo divina et humana omnia, penes paucos erant; vos autem, populus Romanus, invicti ab hostibus, imperatores omnium gentium, satis habebatis animam retinere: nam servitutem quidem quis vestrum recusare audebat? Atque ego tamen etsi virum injuriam, flagitiosissumum existumo, impune

---

jungere incommodum videbatur. *Terent. Hec.* V. 1. 18., "Mane; *nondum etiam* dixi id, quod volui." Denique *eorum* Harl. 23. non agnoscit, et primus inter lineas ostendit.—De verbo *tenere* vide not. 4. ad c. 3. supra. *Cic. ad Fam.* II. 11., "Mirum me desiderium *tenet* urbis,...*satietas* autem provinciae."

33. *Et illa, quam haec tempora, placent.*] Vulgo *magis placent:* Harl. 2., 6., 19., 20., *placent magis;* 18. *quam magis haec tempora*, ex spatio interlineari nimirum in alienum locum recepto *magis:* at 23. non habet *magis*, et primus, initio sincerus, ab interpolatore accepit; idque equidem in exsilium misi: vide not. 1. ad *Catil.* c. 8.

34. *Vos autem, populus Romanus,—.*] Sic Harl. 11., item Cortianus quidam, omissa interpretatiuncula *hoc est:* sed non minus me movit *Demosthenes* auctor, *Olynth.* III. 9., Ὑμεῖς δὲ ὁ δῆμος,... ἐν ὑπηρέτου καὶ προσθήκης μέρει γεγένησθε, ἀγαπῶντες ἐὰν κ. τ. λ.

35. *Satis habebatis.*] *Cic. pro S. Rosc.* c. 52., "Si non *satis habet* avaritiam suam pecunia explere, nisi etiam—." *Auct. ad Herenn.* IV. 1., "Non *satis habere*, praecipere de artificio, sed—." *Caes. de B. G.* I. 15., "Caesar suos a proelio continebat, ac *satis habebat* in praesentia hostem rapinis, pabulationibus, populationibusque, prohibere." *Tacit. Ann.* XV. 25.. "Regressum Paetum, quum graviora metueret, facetiis insectari *satis habuit* Caesar." Adde *Liv.* IX. 8. et 16., XXIII. 28., XXV. 16., XXIX. 17., XXXIII. 47., XXXVII. 54., XLI. 22., XLII. 54.—Contra supra n. 11. *parum habere.*

36. *Nam servitutem quidem—?*] Sic infra paulo, "*Nam* fidei *quidem*, aut concordiae, quae spes?" Harl. tamen 8. et 11. delent *quidem.*

37. *Virum injuriam, flagitiosissumum existumo, impune accepisse.*] Flagitiosissime locum corruperunt editores,—*viro flagitiosissumum existumo, impune injuriam accepisse*—conjecturam infaustam Rivii, quaeque vix contemtissimo librario digna foret, sequuti: quo-

accepisse; tamen, vos hominibus sceleratissumis ignoscere, quoniam cives sunt, aequo animo paterer, nisi misericordia in perniciem casura esset. Nam et illis, quantum importunitatis habent, parum est, impune male fecisse, nisi deinde faciundi licentia eripitur; et vobis aeterna sollicitudo remanebit, quum intellegetis, aut serviundum esse, aut per manus libertatem retinendam. Nam fidei quidem, aut concordiae, quae spes? Dominari illi volunt, vos liberi esse; facere illi injurias, vos prohibere; postremo sociis vestris veluti hostibus, hostibus pro sociis, utuntur. Potestne in tam divorsis mentibus pax aut amicitia esse? Quare moneo hortorque, ne tantum scelus impunitum omittatis. Non peculatus factus est, neque per vim sociis

---

rum turbae, quod equidem doleo, ipse Cortius se immiscuit. At infra c. 110., "Nam, ut ego aestumo, *regem* armis, quam munificentia, *vinci*, minus *flagitiosum*." cur non boni viri exsculpserunt nobis *regi...flagitiosum?* Impressi vetustiores atque M.S. plerique, *virum fl. exist. imp. inj. acc.:* in scriptis autem nonnullis verba mire fluctuant: Harl. 3. *virum acc. inj. fl. imp. exist.*, 12. *virum inj. fl. imp. exist. acc.*, 13. *virum fl. imp. exist. inj. acc.:* ex qua inconstantia intelligendum est, Sallustium ordinem quemdam paulo involutiorem intercisumque edidisse; eumque ipsissimum me supra expressisse, animus hortatur sperare.

38. *Aequo animo.*] Facile: conf. *Catil.* c. 52. n. 69.

39. *Quantum importunitatis habent.*] Quae eorum importunitas est, qua sunt importunitate; sc. *pro tanto importunitatis*, quantum importunitatis habent. Vide *Perizon.* ad *Sanctium* II. 9. 5., item *Schwarzium* ad *Tursell.* CCXVII. 3.—Infra *serviundum esse:* Harl. 13. delet *esse.*

40. *Quare moneo hortorque.*] Sic Harl. 9. atque ed. Romana 1470., omisso *vos*, quod tacitus delevit Cortius.

41. *Non peculatus factus est.*] Ita lego cum Harl. 3. optimo, omisso *aerarii*, quod etiam a Bongarsii codice et Palatinis nonnullis abfuisse monet Gruterus. Intrusum istud ab librariis superiora illa respicientibus: "Indignabamini, *aerarium* expilari, etc.;" qui quidem poterant et illud quoque respicere, *Catil.* c. 52., "Sint

ereptae pecuniae; quae, quamquam gravia, tamen consuetudine jam pro nihilo habentur. Hosti acerrumo prodita senati auctoritas; proditum imperium vestrum: domi militiaeque respublica venalis fuit. Quae nisi quaesita erunt, nisi vindicatum in noxios, quid reliquum, nisi ut illis, qui ea fecere, obedientes vivamus? nam impune quae libet facere, id est regem esse. Neque ego, Quirites, hortor jam, ut malitis civis vestros perperam, quam recte, fecisse; sed ne, ignoscendo malis, bonos perditum eatis. Ad hoc in republica multo praestat, beneficii, quam maleficii, immemorem esse: bonus tantummodo segnior fit, ubi neglegas; at malus improbior. Ad hoc si injuriae non sint, haud saepe auxilii egeas."

XXXII. Haec atque alia hujuscemodi saepe dicundo, Memmius populo persuadet, uti L. Cassius, qui tum praetor erat, ad Jugurtham mitteretur; interposita fide pub-

---

misericordes in furibus *aerarii*." Absolute *Cic. pro Rab.* 3., "An de *peculatu* facto...longa oratio est expromenda?" *Id. pro Flacc.* 18., *peculatus damnatus.* alibi saepe. Harl. 4. delet *est*. Ceterum conf. orat. Catonis, "Non agitur de vectigalibus, etc."

42. *Nisi...,nisi—.*] In posteriore loco Cortius *ni*.

43. *Neque ego, Quirites, hortor jam, ut—.*] Harl. 1., 2., 6., 14., 22., *Neque...hortor, ut jam malitis—*; quomodo impressi quidam vetusti: sed jam diu editores particulam *jam* extruserunt, quum, quae ratio illius habenda esset, nescirent. Ego autem transposui, ducente Sallustio, I. *Hist.* orat. Lepidi, "*Neque jam*, quid existumetis de illo, sed quantum vos audeatis, vereor." i. e., *Jamque, non—*. Particula scilicet transitiva est.

44. *Ignoscendo malis.*] Conf. *Catil.* c. 52 n. 29.

45. *Ubi neglegas.*] Harl. 3. *negligis;* sic et Leid. E.

46. *Ad hoc si injuriae—.*] Harl. 14. omisit *Ad hoc;* et ingrata admodum ista geminatio: at haec omnino non equidem credo ab Sallustio profecta esse, sed ex proverbiali interpretatione irrepsisse.

XXXII. 1. *Qui tum praetor erat.*] Harl. 8. et Regius *qui tum*

lica, Romam duceret, quo facilius indicio regis, Scauri et reliquorum, quos pecuniae captae arcessebant, delicta patefierent. Dum haec Romae geruntur, qui in Numidia relicti a Bestia exercitui praeerant, sequuti morem imperatoris, plurima et flagitiosissuma facinora fecere. Fuere qui, auro corrupti, elephantos Jugurthae traderent; alii perfugas vendere; pars ex pacatis praedas agebant: tanta vis avaritiae in animos, veluti tabes, invaserat. At Cassius, perlata rogatione a C. Memmio, ac perculsa omni nobilitate, ad Jugurtham proficiscitur; ei, timido, et ex conscientia diffidenti rebus suis, persuadet, quo se populo Romano

---

erat praetor; ed. Romana 1470. *praetor qui tum erat:* fortasse scribendum *L. Cassius, praetor,* nude.

2. *Quos pecuniae captae arcessebant.*] *Liv.* XXXVIII. 51., "Tribuni plebis... suspicionibus magis, quam argumentis, *pecuniae captae* reum accusarunt." et c. 56., "Damnatus *pecuniae captae* ab rege." Noster infra c. 37., "In spem adductus Aulus... ab rege *pecuniae capiundae.*" Adde *Cic. in Verr.* I. 4. et *Tacit. Ann.* III. 67., IV. 31., XIII. 52.—Mox Harl. 11. *patescerent.*

3. *Sequuti.*] Servat scripturam per *qu* more suo Harl. 23.

4. *Plurima et flagitiosissuma.*] Harl. 11., et Cortiani duo, *flagitiosa,* fortasse recte; vide not. 11., ad *Catil.* c. 5.—Mox Harl. 1. 8., 11., *facere.*

5. *Vendere.*] Sic Cort. ex conjectura, quam verissimam probat Harl. 11.: vulgo *venderent.* Quod autem sequitur *agebant,* de variatione modi monitum est ad *Catil.* c. 16. n. 2.

6. *In animos.*] Delevi *eorum,* quod in Regio locum mutat, ab Harl. 16. autem abest.—*Invaserat:* Liv. XXVIII. 29., "Insanistis profecto, milites; nec major *in* corpus meum vis morbi, quam *in* vestras mentes, *invasit.*"

7. *Quo se...dedidisset.*] Cod. M. S. omnes *quo,* idque Cort. pro *quia* vel *quoniam* bene positum existimat; quomodo in negationibus certe et formulis comparativis in negationes resolvendis (ut *magis* —, *quam quo*—, Tacit. Hist. III. 72.) poni solet: exemplum autem huic Sallustiano simile nusquam vidi. Alii *quoniam;* et *quō τοῦ quoniam* usitatum compendium est.

dedidisset, ne vim, quam misericordiam, experiri mallet. Privatim praeterea fidem suam interponit, quam ille non minoris, quam publicam, ducebat: talis ea tempestate fama de Cassio.

XXXIII. Igitur Jugurtha, contra decus regium, cultu quam maxume miserabili, Romam venit: ac, tamen etsi in ipso magna vis animi erat, confirmatus ab omnibus, quorum potentia aut scelere cuncta gesserat, C. Baebium, tribunum plebis, magna mercede parat, cujus impudentia contra jus et injurias omnis munitus foret. At C. Memmius, advocata concione, quamquam regi infesta plebes, et pars in vincula duci jubebat, pars, ni socios sceleris aperiret, more majorum de hoste supplicium sumi; dignitati, quam irae, magis consulens, sedare motus, et animos mollire; postremo confirmare, fidem publicam per sese inviolatam fore. Post, ubi silentium coepit, producto Jugurtha, verba

---

8. *Ne vim, q. m., experiri mallet.*] *Liv.* XLIV. 9., " Fidem clementiamque Romanorum, quam vim, experiri mallent." Infra c. 70., " Reputaret cum animo suo, praemia, an cruciatum, *mallet.*" (ubi vide) et c. 102. " Uti aliquando pacem, quam bellum, *malles.*"

9. *Privatim.*—] Harl. 11. *privatam;* 12. autem delet *suam.*— Infra recte undecimus *de Cassio* (erat.)

XXXIII. 1. *Romam venit.*] Additamentum librariorum *cum Cassio,* jam diu merito ejectum, revocavit Cortius, cod. suis uno ore flagitantibus. Scias igitur in Harl. 1. istud mutare locum, ab 19. autem abesse.

2. *Confirmatus..., ...parat.*] Nodum in scirpo quaerit Cortius, et eumdem sensum intelligit, ac si scriptum fuisset, " tamen etsi in ipso magna vis animi erat, et *confirmatus erat* ab omnibus:" fatetur tamen, participium *confirmatus* aliquo modo a verbo *parat* sustentari. Sed vix semet ipse satis expedit.

3. *Contra jus et injurias omnis.*] Harl. 11. et Regius delent *omnis;* idque repetitum videri potest ex c. 14. supra.

4. *Regi infesta plebes.*] Sic Harl. 11., omisso *erat.*—Mox 13. delet *sceleris.* — Infra *et animos mollire:* Harl. 1. et 11. copulam negligunt.

facit; Romae Numidiaeque facinora memorat, scelera in patrem fratresque ostendit: quibus juvantibus, quibusque ministris, egerit, quamquam intellegat populus Romanus, tamen velle manifesta magis ex illo habere: aperiat, in

---

5. *Facinora.*] Sic Harl. 14., omisso *ejus*, quod in aliis locum mutat.

6. *Quibusque ministris.*] Harl. 6., 8., 14., 20., 23., *quibus juvantibus, quibus ministris*, sine copula; et *quibus juvantibus* mihi quidem videtur *τοῦ quibus ministris* interpretatio, in contextum imprudenter recepta.

7. *Aperiat, in fide et c. p. R. magnam spem illi sitam; reticeat,—.*] Vulgo *si verum aperiat, ...; sin reticeat,—.* Cortius *si vera aperiret.* At Harl. 1. sinceritatis insigne exemplum edidit, supplemento *si verum* seu *vera* non recepto: 12. (si) *summum aperiat*; ceteri varie *si verum, vera, vero.* Itemque in secundo membro librarii alius aliter ellipsin expleverunt, *si, sin, sin autem.* Irreptitiis igitur ejectis, nunc tandem Sallustius elegantiam suam recuperavit. *Cic. Phil.* XI. 8., "*Assensero*, ambitionem induxero in curiam; *negaro*, videbor...honorem homini amicissimo denegasse." *Ibid.* XIII. 11., "*Recesseris*, undique omnes insequentur; *manseris*, haerebis." *Idem in Verr.* V. 65., "*Cognosceret* hominem, aliquid de summo supplicio remitteres; *ignoraret*, tum...hoc juris in omnes constituereres, ut,—." et *ad Att.* IX. 2., "*Accipiam*, quid foedius? *negem*, repudiari se totum...putabit." et *Parad.* V. 2., "An ille mihi liber, cui mulier imperat?...*Poscit*, dandum est; *vocat*, veniendum; *ejicit*, abeundum; *minatur*, extimescendum." *Terent. Eun.* II. 2. 20., "Quidquid dicunt, laudo: id rursum si negant, laudo id quoque. *Negat* quis, nego; *ait*, aio." *Idem H. T.* I. 1., 26., "Vel me monere hoc, vel percontari, puta: *Rectum est*, ego ut faciam; *non est*, te ut deterream." *Livius* VIII. 13., "*Vultis* crudeliter consulere in deditos victosque, licet delere omne Latium;...*vultis* exemplo majorum augere rem Romanam, [victos in civitatem accipiendo;] materia crescendi per summam gloriam suppeditat." (ubi odiosam interpolationem uncis inclusi.) Adde notam ad c. 64. extr. infra. Et in illo *Ciceronis*, quid faciunt conjunctiones, nisi elegantiae officiunt? *ad Att.* VIII. 14., "Simul et elicere cupio sententiam tuam; *si* manet, ut firmior sim; *si* mutata est, ut tibi assentiar." Compositionem autem, *aperiret—reticeat*, quae Cortio placuit, agnoscunt quidem Harl. 2., 6., 14., 16., 19., 23.; sed causa erroris in aperto

fide et clementia populi Romani magnam spem illi sitam; reticeat, non sociis saluti fore; sese suasque spes corrupturum.

XXXIV. Dein, ubi Memmius dicundi finem fecit, et Jugurtha respondere jussus est, C. Baebius, tribunus plebis, quem pecunia corruptum supra diximus, regem tacere jubet; ac, tamen etsi multitudo, quae in concione aderat, vehementer accensa, terrebat eum clamore, voltu, saepe impetu, atque aliis omnibus, quae ira fieri amat, vicit tamen impudentia. Ita populus ludibrio habitus ex concione discessit; Jugurthae Bestiaeque, et ceteris, quos illa quaestio exagitabat, animi augescunt.

XXXV. Ea erat tempestate Romae Numida quidam,

---

est, sc. antecedens illud, "ni socios sceleris *aperiret*."

8. *Non sociis saluti fore.*] Non modo sociis saluti non fore. *Cic. de Harusp. Resp.* 22., "*Non* sedabantur discordiae; sed etiam crescebat in eos odium, a quibus nos defendi putabamur." et *pro Balb.*4., "Cui senatus populusque Romanus amplissimae dignitatis praemia dedit, *non* postulanti imperia, verum etiam recusanti." adde *ad Att.* VI. 2.

9. *Sese suasque spes corrupturum.*] Sic Cort. et Harl. 14.; vulgo *sed se* —. Particulam autem adversativam et Noster alibi reticere solet, et in hac ipsa formula, antecedente scilicet *non* pro *non modo non*, aliquoties omisit *Cicero: Phil.* I. 7., "Sed ea *non* muto, *non* moveo; summo etiam studio praeclara illius acta defendo." et II. 13., "*Non* recuso; ago etiam gratias, quoquo animo facis." adde *Orat.* c. 71.

XXXIV. 1. *Tribunus plebis.*] Harl. 11. omisit *plebis*, recte. Infra Regius *jubet tacere regem;* et *regem* delendum censeo.

2. *Quae ira fieri amat.*] Scribendum fortasse *quae ira fieri amant*, h. e., fieri solent, φιλεῖ γίγνεσθαι. Infra c. 41., "Quae secundae res *amant.*" Tacit. Ann. IV. 9., "Ut ferme *amat* posterior adulatio." Adde *Horat. Od.* III. 16. 10.

3. *Et ceteris.*] Copulam Harl. 3. delet.

XXXV. 1. *Ea erat tempestate*—.] Ita Harl. 2. et 6., ed. Ven. et Mediol., et Cortius tacite: vulgo *Erat ea t.*—.

nomine Massiva, Gulussae filius, Masinissae nepos; qui, quia, in dissensione regum, Jugurthae advorsus fuerat, dedita Cirta et Adherbale interfecto, profugus ex Africa abierat. Huic Sp. Albinus, qui proxumo anno post Bestiam cum Q. Minucio Rufo consulatum gerebat, persuadet, quoniam ex stirpe Masinissae sit, Jugurtham ob scelera invidia cum metu urgueat, regnum Numidiae ab senatu petat. Avidus consul belli gerundi moveri omnia, quam senescere, malebat: ipsi provincia Numidia, Minucio Macedonia evenerat. Quae postquam Massiva agitare coepit, neque Jugurthae in amicis satis praesidii est, quod eorum alium conscientia, alium fama mala et timor impediebat; Bomilcari, proxumo ac fido maxume, imperat, pretio, sicuti multa confecerat, insidiatores Massivae paret, ac maxume occulte; sin id parum procedat, quovis modo Numidam interficiat. Bomilcar mature regis mandata exsequitur: et, per homines

---

2. *Jugurtham.*] Et quoniam —.

3. *Moveri omnia, quam senescere, malebat.*] Scripti plerique, *movere*, quod Cortio placuit, mihi autem perincommodum videtur: et suspiciosa est ipsa adsimilatio, *movere, senescere.* Nisi forte absolute positum sit *movere*, quomodo hoc verbum passim usurpat Livius. Sed alterum haud obscure tuetur idem *Liv.* XXXV. 12., "Ubi nihil usquam *moveri* viderunt,...ne cunctando *senescerent* consilia —." et agnoscunt Harl. 12., 14., 16., 20.: ordinem autem, *m. omnia, q. s., m.*, pro vulgato, *m., q. s., omnia m.*, recepi ex Harl. 21. et Regio. Ceterum *senescere* non tam rei ipsi, quam judicio hominis militaris, tribuendum est. *Liv.* I. 22., "*Senescere* igitur civitatem otio ratus, undique materiam excitandi belli quaerebat."

4. *Fama mala.*] Sic Harl. 1. et 3., postposito adjectivo. *Catil. c.* 4. *ambitio mala.*

5. *Proxumo ac fido maxume.*] Vulgo *maxume fido sibi.* Venetae *proximo sibi:* Harl. 1. et 16. *sibi fido;* et undecimus egregie, ut edidi, nec recepto pronomine, et collocatione Sallustiana servata: vide not. 5. ad c. 5. supra: 22. *p. ac fido sibi*, omisso *maxume.*

6. *Ac maxume occulte; sin —.*] Infra c.46., "Persuadet, uti Jugurtham, *maxume* vivum, *sin id parum procedat*, necatum, sibi traderent.

talis negotii artifices, itinera egressusque ejus, postremo loca, tempora cuncta explorat; deinde, ubi res postulabat, insidias tendit. Igitur unus ex eo numero, qui ad caedem parati, paulo inconsultius Massivam adgreditur: illum obtruncat; sed ipse deprehensus, multis hortantibus, et in primis Albino consule, indicium profitetur. Fit reus magis ex aequo bonoque, quam ex jure gentium, Bomilcar, comes ejus, qui Romam fide publica venerat. At Jugurtha, manifestus tanti sceleris, non prius omisit contra verum niti, quam animum advortit, supra gratiam atque pecuniam suam invidiam facti esse. Igitur, quamquam in priore actione ex amicis quinquaginta vades dederat, regno magis, quam vadibus, consulens, clam in Numidiam Bomilcarem dimittit, veritus, ne reliquos popularis metus invaderet parendi sibi, si de illo supplicium sumtum foret. Et ipse paucis diebus profectus est, jussus ab senatu Italia decedere. Sed, post-

---

7. *Talis negotii artifices.*] *Tacit. Ann.* XII. 66., "Exquisitum aliquid placebat, quod turbaret mentem, et mortem differret. Delegitur *artifex talium*, vocabulo Locusta, nuper veneficii damnata."

8. *Postremo loca, tempora cuncta.*] Delevi *atque*, auctoribus Harl. 11. et 14.: tertio autem deest *cuncta*. Supra 13. sine copula, *itinera, egressus ejus*.

9. *Ex eo numero.*] Ex iis. *Liv.* XXIV. 31., "Militem nancti *ex eo numero, qui* in Leontinis circumsessi erant." adde infra c. 38.

10. *Indicium profitetur.*] Harl 8. et 12. *prof. ind.*; 11. autem non agnoscit *indicium*. Agnoscit *Tacitus Ann.* VI. 3. extr.

11. *Animum advortit.*] Sic divisim infra c. 69. et 93.

12. *Supra gratiam atque pecuniam suam.*] Majorem, quam quae gratia aut pecunia sua redimi posset.

13. *In priore actione.*] In principio actionis, quum primum actio intenderetur Bomilcari; vide c. 61. infra.

14. *Parendi sibi.*] Harl. 15. delet *sibi*.

quam Roma egressus, fertur, saepe eo tacitus respiciens, postremo dixisse, Urbem venalem, et mature perituram, si emtorem invenerit.

XXXVI. Interim Albinus, renovato bello, commeatum, stipendium, alia, quae militibus usui forent, maturat in Africam portare; ac statim ipse profectus, uti ante comitia, quod tempus haud longe aberat, armis, aut deditione, aut quovis modo bellum conficeret. At contra Jugurtha trahere omnia, et alias, deinde alias, morae causas facere: polliceri deditionem, ac deinde metum simulare: instanti cedere, et paulo post, ne sui diffiderent, instare: ita belli modo, modo pacis mora consulem ludificare. Ac fuere, qui tum Albinum haud ignarum consilii regis existumarent, neque ex tanta properantia tam facile tractum bellum secordia magis, quam dolo, crederent. Sed postquam, dilapso tempore, comitiorum dies adventabat, Albinus, Aulo fratre in castris pro praetore relicto, Romam decessit.

XXXVII. Ea tempestate Romae seditionibus tribunitiis atrociter respublica agitabatur. P. Lucullus et L. Annius, tribuni plebis, resistentibus collegis, continuare magistratum

---

15. *Postquam Roma egressus.*] Abjecto *est*, Harl. 9. sum sequutus; vide not. 1. ad c. 26. supra: 14. autem deest *Roma*.

16. *Saepe...respiciens.*] Adverbium *saepe* in M. S. libris varie locum mutat, ab Harl. autem 4. et 15. omnino abest; idque arbitror subsequens *postremo* genuisse, et Sallustium *diu* potius intelligendum voluisse.

17. *Venalem, et* —.] Copula abest ab Harl. 12. atque ed. Romana 1470.

XXXVI. 1. *Quae militibus* —.] Harl. 1. et 23. *quae bello* —: videndum ergo, ne gratuitum sit *militibus*.

2. *Trahere omnia.*] Infra paulo, *tractum bellum:* adde supra c. 23. n. 6.

3. *Alias deinde alias.*] Vide not. 10. ad c. 18. supra.

4. *Haud ignarum consilii regis.*] Vide not. 6. ad *Catil.* c. 17. Harl. 12. *consulii:* 15. autem delet *regis*, pro quo 11. ostendit *ejus*.

5. *Ex tanta properantia.*] Quum initio Albinus tantopere properasset.

nitebantur: quae dissensio totius anni comitia impediebat. Ea mora in spem adductus Aulus, quem pro praetore in castris relictum supra diximus, aut conficiundi belli, aut terrore exercitus ab rege pecuniae capiundae, milites mense Januario ex hibernis in expeditionem evocat; magnis itineribus, hieme aspera, pervenit ad oppidum Suthul, ubi regis thesauri erant. Quod quamquam, et saevitia temporis et opportunitate loci, neque capi, neque obsideri poterat, nam circum murum, situm in praerupti montis extremo, planities limosa hiemalibus aquis paludem fecerat; tamen, aut simulandi gratia, quo regi formidinem adderet, aut cupidine caecus, vineas agere, aggerem jacere, alia, quae incepto usui forent, properare.

XXXVIII. At Jugurtha, cognita vanitate atque imperitia legati, subdolus augere amentiam: missitare supplicantis legatos; ipse, quasi vitabundus, per saltuosa loca et tramites [exercitum] ductare. Denique Aulum spe pactionis perpulit, uti, relicto Suthule, in abditas regiones sese, veluti cedentem, insequeretur. Interea per homines callidos die,

---

XXXVII. 1. *Totius anni comitia.*] Omnia anni comitia.

2. *Pecuniae capiundae.*] Vide not. 2. ad c. 32. supra.

3. *Regis thesauri.*] Harl. 1. et 12. *regi;* fortasse pro *regii.*

4. *Montis extremo.*] *Tacit. Ann.* IV. 74. *imperii extrema.* Supra c. 21. *die extremum:* infra c. 90. *aestatis.*

5. *Aut cupidine caecus.*] Recte Cortius sordes abstersit, *ob thesauros oppidi potiundi:* sed *ob thesauros* jam olim non toleravit Ascensius.

XXXVIII. 1. *Subdolus augere.*] Infra c. 81., " Nam *callidus* id modo festinabat, Bocchi pacem imminuere."

2. *Exercitum ductare.*] Harl. 1. *per saltuosa loca exercitum et tramites ductare:* dele *exercitum.* Absolute infra c. 97., " Jugurtha... ad Bocchum nuntios mittit: Quam primum in Numidiam *adduceret;* proelii faciundi tempus adesse." ubi plura.

3. *Perpulit.*] Vide not. 5. ad *Catil.* c. 26.

noctu, exercitum tentabat: centuriones, ducesque turmarum, partim uti transfugerent, corrumpere: alii, signo dato, locum uti desererent; ita delicta occultiora fore. Quae postquam ex sententia instruit, intempesta nocte de improviso multitudine Numidarum Auli castra circumvenit. Milites Romani, tumultu perculsi insolito, arma capere alii, alii sese abdere, pars territos confirmare: trepidare omnibus locis: vis magna hostium; coelum nocte atque nubibus obscuratum; periculum anceps: postremo fugere, an manere, tutius foret, in incerto erat. Sed ex eo numero, quos paulo ante corruptos diximus, cohors una Ligurum cum duabus turmis Thracum, et paucis gregariis militibus, transiere ad regem: et centurio primi pili tertiae legionis per munitionem, quam, uti defenderet, acceperat, locum hostibus introëundi dedit; ea Numidae cuncti irrupere. Nostri foeda fuga, plerique abjectis armis, proxumum collem occupavere. Nox atque praeda castrorum hostis, quominus

---

4. *Die, noctu.*] Copulam abjeci, Harl. 11. auctore; supra c. 23. *dies, noctes.*

5. *Corrumpere.*] Hoc verbum, in codice quodam non repertum, Cort. uncis inclusit; et sane licebat tantumdem ex superiore *tentabat* intelligendum relinquere: at verisimile, interpolatorem potius *corrumpebat* scripturum fuisse; quare retinendum censeo: vide not. 2. ad *Catil.* c. 16.

6. *Ita delicta occultiora fore.*] Huc recte Cortius haec verba revocavit, quum librarii transposita post *insequereter* supra locassent.

7. *Postquam ... instruit.*] *Postquam* cum praesenti apud Nostrum est *Catil.* c. 40. et 57., infra c. 66. et 69.

8. *Sese abdere.*] Pronomen geminatum recepi ex Harl. 8., 12., 15., 16, 18., 20.: sic etiam ed. Ven., Rom., Aldinae, etc.

9. *Periculum anceps.*] Duplex, sc. et ab hostibus, si mansissent; et fugientibus, ex tenebris: vide not. 1. ad *Catil.* c. 29.

10. *Ex eo numero.*] Ex iis: ut supra c. 35. n. 9.

11. *Transiere.*] Vide not. 1. ad *Catil.* c. 43.—Harl. 3. *cohors L. una cum* —; 16. et Regius *turmis duabus.*

12. *Ea ... irrupere.*] Sic, abjecta

victoria uterentur, remorata sunt. Dein Jugurtha postero die cum Aulo in colloquio verba facit: tametsi ipsum cum exercitu fame, ferro clausum tenet, tamen se, humanarum rerum memorem, si secum foedus faceret, incolumis omnis sub jugum missurum; praeterea, uti diebus decem Numidia decederet. Quae quamquam gravia et flagitii plena erant, tamen, quia mortis metu mutabant, sicuti regi libuerat, pax convenit.

---

copula, Harl. 18., Guelf. 11. apud Cort., Leid. C., atque ed. Aldina II.

13. *Remorata sunt.*] Vide not. 4. ad *Catil.* c. 20. Harl. 8. *sunt rem.*

14. *Dein Jugurtha postero die.*] Dele *postero die*, utpote otiosam particulae *Dein* interpretationem. Dixit Sallustius, *noctem* hostes remoratam esse: *dein* igitur vi sua, secundum orationis nexum, *post noctem*, h. e., postero die, significat.

15. *Fame, ferro, clausum tenet.*] Harl. 15. et 22. *ferro et fame* (sic etiam ed. Romana); 13. autem omisit *fame:* et supervacaneum videri potest, homines inermos, quos inter et armatos hostes ne vallum quidem interpositum esset, *fame* minari; quum praesertim non is esset Jugurtha, qui a sanguine effundendo refugeret. Porro suspicioni locus est, istud *fame* esse ex epistola Adherbalis adscitum, supra c. 24., "Obsessus teneor: ... *ferro*, an *fame*, acrius urguear, incertus sum." Verisimilius tamen, librarium propter syllepsin ejecisse, quum animadvertisset, *clausum tenet* proprie τῷ *ferro* solummodo aptatum esse. *Tacit. Hist.* IV. 32., "Vana illa castrorum spatia exscidimus, vel septa *ferro fameque* premimus." De modo autem indicativo, *tenet*, vide not. 3. ad *Catil.* c. 27.

16. *Praeterea, uti...decederet.*] Intellige *legem imponit*, aliquid tale.

17. *Quia mortis metu mutabant.*] H. e., quia cum mortis metu commutanda erant; quia aut graves et flagitiosae hae leges accipiendae erant, aut moriendum. Emendatio autem Palmerii est, ex duplici lectione *nutabant* et *mutabantur* conjectura facta. Sic *Lucret.* I. 788., a Cortio allatus, "Nec cessare haec inter se *mutare*, meare De coelo ad terram, de terra ad sidera mundi." Quae autem exempla attulit idem verbi *mutare* absolute positi pro *immutari*, ea huc non magnopere pertinent: pluribus istiusmodi emendationem nostram videas instructam infra c.

XXXIX. Sed, ubi ea Romae comperta sunt, metus atque moeror civitatem invasere: pars dolere pro gloria imperii: pars, insolita rerum bellicarum, timere libertati: Aulo omnes infesti, ac maxume, qui bello saepe praeclari fuerant, quod, armatus, dedecore potius, quam manu, salutem quaesiverit. Ob ea consul Albinus, ex delicto fratris invidiam, ac deinde periculum, timens, senatum de foedere consulebat: et tamen interim exercitui supplementum scribere; ab sociis et nomine Latino auxilia arcessere: denique modis omnibus festinare. Senatus ita, uti par fuerat, decernit, SUO ATQUE POPULI INJUSSU NULLUM POTUISSE FOEDUS FIERI. Consul, impeditus a tribunis plebis, ne, quas paraverat copias, secum portaret, paucis diebus in Africam proficiscitur: nam omnis exercitus, uti convenerat, Numidia deductus, in provincia hiemabat. Postquam eo venit, quamquam persequi Jugurtham, et fraternae mederi invidiae, animus ardebat; cognitis militibus, quos, praeter fugam, soluto imperio, licentia atque lascivia corruperat, ex copia rerum statuit, nihil sibi agitandum.

78., "Ita facies locorum cum ventis *mutat*."

XXXIX. 1. *Quaesiverit.*] Cortius *quaesiverat;* idem autem in gemino loco, *Catil.* c. 18., "Quod intra legitimos dies profiteri *nequiverit*," modum subjunctivum defendit.

2. *Uti par fuerat.*] Sc. eos decernere. Formulam illustrabit Nizolius.

3. *A tribunis plebis.*] Ed. Romana 1470. *a tribunis* absolute.

4. *Africam.*] Sc. provinciam Romanam.

5. *Fraternae mederi invidiae.*] Verbum interposui, Harl. 1. monente.

6. *Animus ardebat.*] Auct. de Rep. Ord. I. 8., "Ad reprehendenda aliena facta, aut dicta, *ardet* omnibus *animus*." Infinitivum autem cum verbo *ardere* saepe jungunt poëtae: *Virg. Aen.* I. 514., IV. 281.

7. *Praeter fugam.*] Lege quae Regulum loquentem inducit *Horatius, Od.* III. 5. 18.—40.

8. *Ex copia rerum.*] Rerum omnium habita ratione: sic infra

XL. Interea Romae C. Mamilius Limetanus, tribunus plebis, rogationem ad populum promulgat, uti quaereretur in eos, quorum consilio Jugurtha senati decreta neglegisset, quique ab eo in legationibus aut imperiis pecunias accepissent; qui elephantos, quique perfugas tradidissent; item qui de pace aut bello cum hostibus pactiones fecissent. Huic rogationi partim conscii sibi, alii ex partium invidia pericula metuentes, quoniam aperte resistere non poterant, quin illa placere faterentur; occulte per amicos, ex maxume per homines nominis Latini et socios Italicos, impedimenta parabant. Sed plebes, incredibile memoratu est, quam intenta fuerit, quantaque vi rogationem jusserit, decreverit, voluerit, magis odio nobilitatis, cui mala illa parabantur, quam cura reipublicae: tanta lubido in partibus. Igitur, ceteris metu perculsis, M. Scaurus, quem legatum Bestiae

---

c. 98., " Marius *ex copia rerum* consilium trahit."

XL. 1. *Ad populum promulgat.*] Harl. 1. *prom. ad. p.*: resecandum ergo *ad populum.* Nimirum haud difficile conjectare, ad quosnam tribunus plebis promulgaret.

2. *Quorum consilio Jugurtha.*] Harl. 11. *quorum Jugurtha consortio*—; quae egregia lectio videtur. Corrumpere poterant librarii, illud respicientes, *Catil.* c. 48., " Nisi de eo indicaret, cujus *consilio* tantam rem mentitus esset." Mox *neglegisset* vetusto more pro *neglexisset.*

3. *Quin illa placere faterentur.*] Vulgo *quin illa, et alia talia, placere sibi faterentur:* quasi vero obnoxiis et timidis istis parum fuisset, quae tribuni rogatio complectebatur, placere sibi fateri, nisi ultro longius procederent, atque *etiam alia talia* profiterentur! At Harl. 13. nude *illa alia placere;* nimirum librarius, quum utrum verius esset, *illa*ne an *alia*, (haec autem saepissime commutantur: *Drakenb.* ad *Liv.* XXIII. 7. 3.) dubitaret, more usitato (*Catil.* c. 51. n. 38.) utrumque scripserat, eo consilio ut corrector postea alterutrum deleret: *talia* autem omittunt etiam 4., 12., 15.; et pronomen *sibi* undecimus reticet, eleganter: quas codicum admonitiones sequutus locum purgavi.

4. *Jusserit, decreverit, voluerit.*]

supra docuimus, inter laetitiam plebis et suorum fugam trepida etiam tum civitate, quum ex Mamilia rogatione tres quaesitores rogarentur, effecerat, uti ipse in eo numero crearetur. Sed quaestio exercita aspere violenterque, ex rumore, et lubidine plebis: ut saepe nobilitatem, sic ea tempestate plebem ex secundis rebus insolentia ceperat.

XLI. Ceterum mos partium popularium et senati factionum, ac deinde omnium malarum artium, paucis ante annis Romae ortus, otio atque abundantia earum rerum, quae prima mortales ducunt. Nam, ante Carthaginem deletam, populus et senatus Romanus placide modesteque inter se rempublicam tractabant: neque gloriae neque dominationis certamen inter civis erat: metus hostilis in bonis artibus civitatem retinebat. Sed, ubi illa formido mentibus discessit, scilicet ea, quae secundae res amant,

---

Haec Cortius arbitratur tam ardoris causa, quam ut rogationis perlatio eo melius notaretur, conjuncta. Harl. 3., 16., 21., 23., *quanta vi*, sine copula.

5. *Suorum fugam.*] Infra c. 65., "Nobilitate *fusa* per legem Mamiliam."

6. *Sed quaestio exercita* etc.] Vide *Cic. Brut.* c. 34.

7. *Ex rumore.*] *Tacit. Ann.* III. 69., "Non quidem sibi ignara, quae de Silano vulgabantur; sed non *ex rumore* statuendum.

8. *Ex secundis rebus.*] Vide not. 3. ad *Catil.* c. 12.

XLI. 1. *Romae ortus.*] Ed. Venetae *ortus est Romae;* Harl. 9. autem et 23. delent *Romae.*— Continuo ed. Cortiana *otio, et*—, quam mendam in eadem jam saepe animadvertimus.

2. *Earum rerum, quae prima*—.] Harl. 8. et 14. *prima quae*—. De constructione autem monuit Ascensius: "Sane elegans est sermo *earum rerum, quae prima*—: quia enim *prima* substantive accepit, maluit *quae* sequenti, quam praecedenti, conformare." *Catil.* c. 55., "Est locus in *carcere, quod Tullianum* adpellatur,—." ubi plura.

3. *Gloriae.*] Falsae nimirum; vide infra, sub finem capitis; item not. 7. ad *Catil.* c. 7.

4. *Quae secundae res amant.*] Supra c. 34., "Quae ira fieri

lascivia atquè superbia, incessere. Ita, quod in advorsis rebus optaverant, otium, postquam adepti sunt, asperius acerbiusque fuit. Namque coepere, nobilitas dignitatem, populus libertatem, in lubidinem vortere: sibi quisque ducere, trahere, rapere. Ita omnia in duas partis abstracta sunt; respublica, quae media fuerat, dilacerata. Ceterum nobilitas factione magis pollebat; plebis vis, soluta atquè disspersa, in multitudine, minus poterat: paucorum arbitrio belli domique agitabatur; penes eosdem aerarium, provinciae, magistratus, gloriae, triumphi, erant: populus militia atque inopia urguebatur; praedas bellicas imperatores cum paucis diripiebant. Interea parentes aut parvi liberi militum, uti quisque potentiori confinis erat, sedibus pellebantur. Ita, cum potentia, avaritia sine modo modestiaque invadere, polluere et vastare omnia; nihil pensi, neque sancti, habere,

---

amat." Harl. 11. et 18. *simul ea, quae—*.

5. *Trahere, rapere.*] *Catil.* c. 11. "*Rapere* omnes, *trahere.*" *Ducere* autem potius dolo grassantium est.

6. *Respublica...dilacerata.*] *Liv.* II. 57., "Dum tribuni consulesque ad se quisque omnia trahant, nihil relictum esse virium in medio; distractam laceratamque rempublicam."

7. *In multitudine.*] Quum partes populares numero facile praevalerent, tamen—. *Catil.* c. 51., "Plerique..., *in* hominibus impiis, sceleris obliti, de poena disserunt." Infra c. 55., "Cognitis Metelli rebus; ut...*in* advorso loco, victor *tamen* virtute fuisset." ubi vide.

8. *Gloriae, triumphi.*] Harl. 11. *gloria;* at pluraliter etiam *Cic. pro Planc.* 24. et *Tacit. Ann.* III. 45. Copulam auctoribus eodem 11., 3., 17., et Regio, abjeci: vide not. 2. ad c. 51. infra.

9. *Parvi liberi militum.*] Abest *militum* ab Harl. 2. et 6.; idque primus inter lineas tantummodo ostendit.

10. *Sine modo modestiaque.*] Harl. 13. *sine modo, sine modestia.* Idem, 16., et 22., *polluere, vastare,* sine copula.

11. *Nihil pensi neque—.*] Regius *nihil...atque—*; ut *Catil.* c. 12., "Nihil pensi *atque* moderati habere." Adde not. 29. ad c. 31. supra.

quoad semet ipsa praecipitavit. Nam, ubi primum ex nobilitate reperti sunt, qui veram gloriam injustae potentiae anteponerent, moveri civitas, et permixtio civilis, quasi discessio terrae, oriri coepit.

XLII. Nam, postquam Tiberius et C. Graccus, quorum majores Punico atque aliis bellis multum reipublicae addiderant, vindicare plebem in libertatem, et paucorum scelera patefacere, coepere; nobilitas noxia, atque eo perculsa, modo per socios ac nomen Latinum, interdum per equites Romanos, quos spes societatis a plebe dimoverat, Graccorum actionibus obviam ierat; et primo Tiberium, dein paucos post annos eadem ingredientem Caium, tribunum alterum, alterum triumvirum coloniis deducendis, cum M. Fulvio Flacco, ferro necaverant. Et sane Graccis cupidine

---

12. *Ex nobilitate.*] Has duas voces damnat Cortius: mihi vix liquet.

13. *Permixtio civilis, quasi discessio terrae.*] Ita Cortius refinxit vulgatum, *dissentio civilis, quasi permixtio terrae;* rationes autem rei apud ipsum videas: illud magis in rem, huc illustrationem illius transferre. *Aur. Victor Caes.* 41., "Cujus gratia reipublicae *permixtionem* fore, ostentorum mira prodidere." *Augustin. Civ. D.* XV. 22., "Facta est *permixtio*, et, iniquitate participata, quaedam utriusque confusio *civitatis*."—Cic. de Off. III. 9. "Quum *terra discessiset* magnis quibusdam imbribus."

XLII. 1. *Punico.*] Κατ' 'εξοχήν sc. illo secundo.

2. *Eadem ingredientem.*] Recte Cortius *eadem* casum quartum intelligendum decernit, quum res potius ipsa, quam modus, exprimenda sit: easdem actiones suscipientem, idem tentantem.

3. *Triumvirum coloniis deducendis.*] H. e., ad colonias deducendas. Utroque modo *Livius:* IV. 11., "Triumviri *ad coloniam* Ardeam *deducendam* creati—." VI. 21., "Quinqueviros Pomptino agro dividendo, et triumviros Nepete *coloniae deducendae* creaverunt." Dativum autem termini illustrat *Perizon.* ad *Sanctii Minerv.* IV. 4. 9.—Supra *per equites R.*, Harl. 15. reticet *Romanos.*— Mox *necaverant:* numerum pluralem (ex unico rescripsit Cortius) agnoscunt Harl. 1., 17., 19.: vide not. 6. ad *Catil.* c. 7.

victoriae haud satis moderatus animus fuit. Sed bono vinci satius est, quam malo more injuriam vincere. Igitur ea victoria nobilitas ex lubidine sua usa multos mortalis ferro aut fuga exstinxit; plusque in reliquum sibi timoris, quam potentiae, addidit. Quae res plerumque magnas civitatis pessum dedit; dum alteri alteros vincere quovis modo, et victos acerbius ulcisci, volunt. Sed, de studiis partium et omnibus civitatis moribus si singulatim, aut pro magnitudine, parem disserere, tempus, quam res, maturius deserat. Quamobrem ad inceptum.

XLIII. Post Auli foedus, exercitusque nostri fugam, Q. Metellus et M. Silanus, consules designati, [provincias] inter se paraverant; Metelloque Numidia evenerat, acri

---

4. *Haud satis moderatus.*] Haec per euphemismum; et re vera concedit, Gracchos nonnullam injuriam nobilitati fecisse.

5. *Sed bono vinci satius est,—.*] Sed est viri boni ferre potius, quam malo more persequi, injuriam. Nimirum *bono* pro casu tertio accipiendum. Atque his verbis nobilitatem perstringit, quod injuriam sibi a Gracchis illatam fuerint tam atrociter persequuti.

6. *Ferro aut fuga exstinxit.*] Syllepsis est; et minus commode *fuga exstinguere* dicatur: vide not. 15. ad c. 38. supra.

7. *Et de omnibus civitatis moribus.*] In malam partem *moribus:* quid si *morbis?*

8. *Maturius deserat.*] Sic fideliter Harl. 16., (quomodo jam Cort.) et modo subjunctivo servato, nec recepto pronomine. *Cic. pro Coel.* 12., "Dies jam me *deficiat*, si—." ubi alia Ernesti. *Liv.* XXVIII. 41., "Dies me *deficiat*, *si*...numerare velim."

9. *Quamobrem ad inceptum.*] Sic Harl. 18., omisso *redeo;* et librarium sua sponte abjecisse, crediderit nemo, qui quidem genus istud hominum cognitum habeat.

XLIII. 1. *Exercitusque nostri fugam.*] Delevi *foedam*, quod jam Cortius monuit, esse ex c. 31. repetitum; Harl. 4. autem in margine tantummodo, 13. vero nusquam, agnoscit.

2. *Provincias inter se paraverant.*] H. e., sine sorte inter se constituerant de provinciis. Sic Cort., quomodo in antiquis quibusdam libris legi testatur Victorius ad illud *Ciceronis, ad Fam.* I. 9. sub fin., "Sese, si licitum esset

viro, et, quamquam advorso populo partium, fama tamen aequabili et inviolata. Is ubi primum magistratum ingressus est, alia omnia sibi cum collega ratus, ad bellum, quod gesturus erat, animum intendit. Igitur, diffidens veteri exercitu, milites scribere, praesidia undique arcessere; arma, tela, equos, cetera instrumenta militiae, parare: ad hoc commeatum affatim: denique omnia, quae bello vario, et multarum rerum egenti, usui esse solent. Ceterum ad ea

---

legem curiatam ferre, sortiturum esse cum collega provinciam; si curiata lex non esset, se *paraturum*, tibique successurum." vulgo *partiverant*. *Provincias* autem Cort. exscindendum censet, codice, a quo id primitus abfuisset, memorato; uncisque inclusit.

3. *Quamquam advorso populo partium.*] Cortius *quamquam advorso populi partium*; vulgo *quamquam advorso populi partibus*: at de sanitate vocis *partium* codices vetant omnino dubitare; contra *advorso partium* aegre patitur Latinitas. Facilis conjectura *advorsario*, immo nimis facilis, et parum placet. Verum enim vero *quamquam*, *advorso populo*, *partium*, quae scriptio est Senatorii 1. apud Cortium, ea demum manus Sallustii est: nimirum, ut *advorso populo* sit absolute et quasi pro periphrasi adjectivi accipiendum: quamquam earum partium erat, *quibus populus adversus erat*, sive quae populum habebant adversum. Sic infra c. 49., "In eo colle, quem, *transvorso itinere*, porrectum docuimus,—." i. e., ita porrectum, ut iter Metelli ei transversum esset. et c. 52., "Romani, ... *advorso colle*, ...evadunt." i. e., ita evadunt, ut evadentibus collis sit adversus. Similiter *Livius* XXI. 10., "Hanno unus, *adverso senatu*, causam foederis...egit." XXXIX. 40., "His accensi homines, *adversa nobilitate*, non M. Porcium modo censorem fecerunt, sed—." alibi saepe.

4. *Fama tamen aequabili.*] Aeque bona apud plebem et nobilitatem.

5. *Alia omnia sibi cum collega ratus.*] Sensus est: *alia omnia*, quam bellum cum Jugurtha, *se simul cum collega agere*, nec adeo intentissima cura opus esse; at bellum in Numidia sibi soli curandum esse. *Cort.*

6. *Exercitu.*] Sic Harl. 3., pro *exercitui*; v. n. 4. ad c. 9. supra: et hanc scripturam iterum servavit idem ille codex infra c. 75.: sic *Liv.* quoque IX. 5.—*Milites scribere*: Harl. 11. *m. eligere*; ceteri autem omnes utrumque verbum scriptum habent, sicuti olim legebatur. Ed. Venetae tamen, ut vulgo.

patranda senati auctoritate socii nomenque Latinum, reges ultro, auxilia mittere; postremo omnis civitas summo studio adnitebatur. Itaque, ex sententia omnibus rebus paratis compositisque, in Numidiam proficiscitur, magna spe civium, quum propter artis bonas, tum maxume, quod advorsum divitias animum invictum gerebat; et avaritia magistratuum ante id tempus nostrae opes contusae, hostiumque auctae erant.

XLIV. Sed, ubi in Africam venit, exercitus ei traditur Sp. Albini, pro consule, iners, imbellis, neque periculi neque laboris patiens, lingua, quam manu, promtior, praedator ex sociis, et ipse praeda hostium, sine imperio et modestia habitus. Ita imperatori novo plus ex malis

---

7. *Senati auctoritate socii—.*] Ex senatus decreto; reges autem sua sponte.

8. *Advorsum divitias animum invictum gerebat.*] Adscripsit Cortius *Thucyd.* II.60., Φιλόπολίς τε καὶ χρημάτων κρείσσων. Mihi autem videtur Sallustius *Pindarum* potius respexisse, *Nem.* IX. 76., Κτεάνων Ψυχὰς ἔχοντες κρέσσονας Ἄνδρες. Porro Sallustium sequitur *Tacitus*, *Ann.* XV. 21., " Invictus adversum gratiam animus." *Invictus* autem pro *invincibilis:* sic infra c. 91., " Genus hominum...neque beneficio neque metu *coërcitum.*" ubi vide. *Liv.* IX. 16., "Quia ipse *invicti* ad laborem corporis esset."

9. *Ante id tempus nostrae opes contusae.*] Ita sincere Harl. 11. et 22., item ed. Venetae et Mediol.: vulgo *ante id tempus in Numidia—;* at satis superque est, quod semel jam in hac comprehensione verborum memorata est Numidia. —*Contusae:* fractae, debilitatae: *Tacit. Ann.* IV. 46., XII. 31.

XLIV. 1. *Sp. Albini, pro consule.*] Ita recte Cortius: alii *Sp. Albini proconsulis, a Sp. Albino proconsule.*

2. *Lingua...promtior.*] *Liv.* II. 45., *lingua promtus hostis;* XXIII. 45., *fortes lingua.*

3. *Exercitus. .praedator.*] Infra c. 54., *exercitus...cultor*, et c. 58., *victor:* vide not. 5. ad *Catil.* c. 5.

4. *Sine imperio et modestia habitus.*] Sine imperio habitus *ab Albino*, ut *Catil.* c. 11., " L. Sulla exercitum...luxuriose nimisque liberaliter *habuerat:* sine modestia autem *ipse ab se*, ut ibid. c. 37., " Egestas facile *habetur* sine

moribus sollicitudinis, quam ex copia militum auxilii aut spei bonae, accedebat. Statuit tamen Metellus, quamquam et aestivorum tempus comitiorum mora imminuerat, et exspectatione eventi civium animos intentos putabat, non prius bellum adtingere, quam majorum disciplina milites laborare coëgisset. Nam Albinus, Auli fratris exercitusque clade perculsus, postquam decreverat non egredi provincia, quantum temporis aestivorum in imperio fuit, plerumque milites stativis castris habebat: nisi quum odos, aut pabuli egestas, locum mutare subegerat. Sed neque muniebantur

---

damno." Gemina syllepsis infra est c. 89., " Ejus cives apud Jugurtham *immunes, levi imperio*, et ob ea *fidelissumi habebantur*."

5. *Comitiorum mora.*] Vide c. 37.

6. *Postquam decreverat*—.] Harl. 3., 13., 18., *decrevit;* 2., 3., 6., 18., 20., 21., *non egredi provinciam.*

7. *In imperio fuit.*] *Cic. de Fin.* II. 20., "Qui tum *erat* summo *in imperio*."

8. *Stativis castris habebat.*] *Liv.* XXIII. 18., " Ibi partem majorem hiemis exercitum in tectis *habuit*." Idem XXXVII. 39., et *Tacit. Ann.* XIV. 38., *sub pellibus habere.*

9. *Sed neque muniebantur ea, neque more militari vigiliae deducebantur.*] Ita locum vulgo mancum, *Sed neque more militari vigiliae deducebantur*, jam olim explevit Cypr. a Popma ex codice, qui nunc est Bibliothecae Harleianae (*nonum* ego constitui); optime, etsi adhuc surdis narravit. Nec tamen dissimulandum est, restitutas voces in margine tantummodo exstare: sunt autem a prima manu adscriptae, et propter geminatam particulam *neque* facilis lapsus erat; in hoc quidem codice facillimus, quum prius *neque* postrema vox esset paginae; et supplevit librarius in margine, non *neque muniebantur ea* ex ingenio, sed frustrationem suam agnoscens, *muniebantur ea neque.* Ac tales lacunas, quum ex binis clausulis ab una eademque voce incipientibus, atque etiam ab hac ipsa particula, altera excidisset, saepe ipse in scriptis deprehendi. Sed eamdem clausulam in Leidensi G. exstare testatur Havercampus, et nuper restituit etiam editor Parisiensis F. G. Pottier, ex codice *Ang. Maii*, omisso tamen pronomine. Nunc igitur triplici testimonio standum est. Et bene restitutum locum esse, etiam inde colligere

ea, neque more militari vigiliae deducebantur; uti cuique lubebat, ab signis aberat. Lixae permixti cum militibus die noctuque vagabantur, et palantes agros vastare, villas expugnare, pecoris et mancipiorum praedas certantes agere; eaque mutare cum mercatoribus vino advectitio, et aliis talibus: praeterea frumentum publice datum vendere, panem in dies mercari: postremo, quaecumque dici aut fingi queunt ignaviae luxuriaeque probra, in illo exercitu cuncta fuere, et alia amplius.

---

licet, quod capite insequenti alia omnia agens ostenditur Metellus: "Quotidie castra movere; *juxta, ac si hostes adessent, vallo atque fossa munire; vigilias crebras ponere.*" Cortius tamen Popmae emendationem ne memoratu quidem dignam existimavit; Gruterus insolenter irridet, quia videlicet nihil tale in Palatinis libris inveniretur. At diis habenda est gratia, si quidem non solis Palatinis nititur Sallustius: et agnovit idem Gruterus, eumdem Popmam bene clausulam restituisse, quae propter similitudinem duorum verborum oculos librariorum illudentem excidisset, supra c. 21. extr., quum tamen nec ipsa illa in Palatino ullo exstaret. Quod autem verisimile dicit Gruterus, galeatos istos lepores probe sibi cavisse vallo ac fossa a *superventibus hostium* (ipsius hominis Latinitas est; obsecro, lector, ne putes meam); quid de isto judicio sit existimandum, et ex eo quod in hostili terra non erant, et quod laboris impatientes docuit Sallustius, et ex comparatione, quam monui, imperatorum, intelligendum est. Et debebat bonus vir, manifestam emendationem adeo intolerabili fastu quum sperneret, saltem vulgatam lectionem satis quadratam atque inexpugnabilem ostendere, et particulam *neque* post *Sed* semel positam illustrare. At quid de Cortio dicendum est? nolim equidem in talem virum inclementer; et Gruteri auctoritate, sicuti vulgus editorum, arbitror abreptum.

10. *Ab signis aberat.*] Ed. Romana 1470. *aberant.*

11. *Eaque mutare.*] Harl. 3. et 15. *easque.*

12. *Et alia amplius.*] Desunt haec Harl. 1.; nec magnopere tutari videtur, quem attulit Cortius, *Thucyd.* III. 81., Καὶ οἷον φιλεῖ ἐν τῷ τοιούτῳ γίγνεσθαι, οὐδὲν ὅ, τι οὐ ξυνέβη, καὶ ἔτι περαιτέρω, si quidem longe aliud est οἷον φιλεῖ γίγνεσθαι, et *quaecum-*

XLV. Sed in ea difficultate Metellum non minus, quam in rebus hostilibus, magnum et sapientem virum fuisse comperior, tanta temperantia inter ambitionem saevitiamque moderatum. Namque edicto primum adjumenta ignaviae sustulisse, ne quisquam in castris panem, aut quem alium coctum cibum, venderet; ne lixae exercitum sequerentur; ne miles gregarius in castris, neve in agmine, servum aut jumentum haberet: ceteris arte modum statuisse. Praeterea transvorsis itineribus quotidie castra movere; juxta, ac si hostes adessent, vallo atque fossa munire, vigilias crebras ponere, et ipse cum legatis circumire: item in agmine in primis modo, modo in postremis, saepe in medio adesse, ne quispiam ordine egrederetur, uti cum signis frequentes incederent, miles cibum et arma portaret. Ita prohibendo a delictis magis, quam vindicando, exercitum brevi confirmavit.

XLVI. Interea Jugurtha, ubi, quae Metellus agebat, ex nuntiis accepit, simul de innocentia ejus certior Romae factus, diffidere suis rebus, ac tum demum veram deditionem

---

que, dici aut fingi queunt: satis magna haec per se ipsa hyperbole.

XLV. 1. *In rebus hostilibus.*] Quae cum hostibus agendae erant. *Cic. de Off.* III. 29., *pactiones hostiles*, i. e., factae cum hoste.

2. *Ambitionem.*] Eam scilicet, quae efficit, ut imperatores luxuriose milites nimisque liberaliter habeant: quam in Sulla memorat Noster *Catil.* c. 11.; item in Mario infra c. 64.

3. *Ceteris arte modum statuisse.*] Centurionibus, praefectis cohortium, tribunis, etc.: *arte* autem pro *arcte;* eamque scripturam codices servant omnes: ceterum *modum*, sc. servos et jumenta habendi.

4. *Exercitum brevi confirmavit.*] *Caes. de B. G.* V. 49., "Caesar... suos...ad dimicandum animo *confirmat.*" et c. 52., "Milites consolatur et *confirmat.*"

XLVI. 1. *Innocentia.*] Vide not. 2. ad *Catil.* c. 12. Intelligendum autem, Jugurtham, quum Romae erat, ibi mores Metelli cognitos habuisse.

2. *Ac tum demum* —.] Harl. 11.

facere conatus est. Igitur legatos ad consulem cum suppliciis mittit, qui tantummodo ipsi liberisque vitam peterent, alia omnia dederent populo Romano. Sed Metello jam antea experimentis cognitum erat, genus Numidarum infidum, ingenio mobili, novarum rerum avidum. Itaque legatos alium ab alio divorsos adgreditur; ac, paulatim tentando, postquam opportunos cognovit, multa pollicendo, persuadet, uti Jugurtham, maxume vivum, sin id parum procedat, necatum, sibi traderent: ceterum palam, quae ex voluntate forent, regi nuntiare jubet. Deinde ipse paucis diebus, intento atque infesto exercitu, in Numidiam procedit; ubi, contra belli faciem, tuguria plena hominum, pecora cultoresque in agris; ex oppidis et mapalibus praefecti regis obvii procedebant, parati frumentum dare, commeatum portare, postremo omnia, quae imperarentur, facere. Neque Metel-

---

diffidere suis rebus, veram demum deditionem —.

3. *Cum suppliciis.*] Ἱκετηρίας ἔχοντας. *Liv.* XXV. 25., "Legati eo ab Tycha et Neapoli *cum* infulis et velamentis venerunt, precantes —." et XXXVII. 28., "Teii, quum in oculis populatio esset, oratores *cum* infulis et velamentis ad Romanum miserunt." Adde XXXVI. 20.

4. *Experimentis cognitum.*] *Tacit. Ann.* XII. 14., "*Experimentis cognitum* est, barbaros malle Roma petere reges, quam habere."

5. *Adgreditur.*] Exempla verbi supra sunt c. 16. et 28.

6. *Maxume..., sin id parum* —.] Conf. c. 35. n. 6.

7. *Quae ex voluntate forent.*] Quasi quae—, dissimulandi causa.

8. *Regi nuntiare jubet.*] Sic Harl. 4., 9., 15., 22., Regius, ed. Venetae, Mediol., Aldinae, Colinaei, et Basileensis 1564.: vulgo *nuntiari*, neque aliter Cortius, quem miror de lectionis diversitate tacuisse. Respexerant autem corruptores illud c. 28., "Consul Numidis ex senati decreto *nuntiari* jubet."

9. *Deinde ipse* —.] Pronomen delent Harl. 15. et 16.—*Infesto exercitu:* Liv. II. 9., "Porsena...Romam *infesto exercitu* venit."

10. *Omnia, quae imperarentur, facere.*] Quae scilicet formula est seque et sua omnia dedentium: eademque etiam apud Graecos

lus idcirco minus, sed pariter, ac si hostes adessent, munito agmine incedere, late explorare omnia, illa deditionis signa ostentui credere, et insidiis locum tentare. Itaque ipse cum expeditis cohortibus, item funditorum et sagittariorum delecta manu, apud primos erat; in postremo C. Marius legatus cum equitibus curabat; in utrumque latus auxiliarios equites tribunis legionum et praefectis cohortium dispertiverat, uti cum his permixti velites, quacumque accederent, equitatus hostium propulsarent. Nam in Jugurtha tantus dolus, tantaque peritia locorum et militiae erat, uti, absens an praesens, pacem an bellum gerens, perniciosior esset, in incerto haberetur.

XLVII. Erat haud longe ab eo itinere, quo Metellus pergebat, oppidum Numidarum, nomine Vaga, forum rerum venalium totius regni maxume celebratum, ubi et incolere

---

obtinet, τὸ κελευόμενον ποιεῖν, *Demosth. de Cor.* 59. Infra c. 62., "Jugurtham *imperata facturum*, ac sine ulla pactione sese regnumque suum in illius fidem tradere." *Caes. de B. G.* II. 3., V. 20.; *Liv.* XXXV. 17., XXXVII. 48., XXXVIII. 14., 18., 47.

11. *Ostentui.*] *Tacit. Hist.* I. 78., "Nova jura Cappadociae, nova Africae (dedit), *ostentui* magis, quam mansura."

12. *Et insidiis locum tentare.*] Et credere, ea ostentantes re vera insidiis locum tentare—quaerere. Infra c. 114., "Alia omnia virtuti suae *prona esse;* cum Gallis pro salute...*certare.*"

13. *Curabat.*] Vide not. 9. ad *Catil.* c. 59.

14. *Dispertiverat.*] Harl. 6. *dissortiverat;* et *sortire* active *Varro* et *Ennius* apud *Nonium* c. VII. n. 22. et 24.

15. *Quacumque.*] Sc. *parte:* ita rescripsit Cortius pro vulg. *quocumque.*

16. *Pacem an bellum gerens.*] Per syllepsin, ut docet Cortius, pro *pacem agitans, an bellum gerens.* Mox *in incerto haberetur:* vide not. 1. ad *Catil.* c. 41.

XLVII. 1. *Nomine Vaga.*] Harl. 11. delet *nomine.*

2. *Celebratum.*] Frequentatum. *Cic. pro Sext.* 63., "Viae multitudine legatorum undique missorum *celebrabantur.*"

et mercari consueverant Italici generis multi mortales. Huc consul, simul si paterentur tentandi, et opportunitatis loci, gratia, praesidium imposuit: praeterea imperavit frumentum, et alia, quae bello usui forent, comportare; ratus,

---

3. *Simul si paterentur tentandi, et opportunitatis loci, gratia.*] Ita locum, qui me diu multumque exercuit, tandem constitui, verbis in suam quoque sedem revocatis, et unica literula immutata: vulgo *simul tentandi gratia, et si paterentur opportunitates loci*, quae turbatio orta est ex consuetudine librariorum involutiora quaeque in ordinem constructionis redigendi. Nimirum quum isto modo primum exstitisset *simul tentandi gratia si paterentur, et opportunitatis loci*, postea fiebat ut repetendum *gratia* acumen hominum describentium eluderet. Cortius autem vehementer laborat, refingens, *simul tentandi gratia, si paterent opportunitates loci*; ut τῷ *simul* respondeat aut nihil aut *praeterea* infra: cujus rationes ab ipso requiras; mihi quidem parum istae probatae sunt. Aliorum vero supervacaneum est tentationes memorare, nisi unius Palmerii, quippe quae nescio an ad meam duxerit emendationem. Lego, inquit vir doctus, *Huc consul, simul tentandi gratia, si paterentur; et opportunitate loci, praesidium imposuit.* Invadenti in Numidiam consuli, signa omnia deditionis occurrebant: ea ipsa deditio an simulata esset, quum experimentum capere vellet, simul invitatus opportunitate loci, Vagae oppido praesidium imposuit. Haec ille. Ceterum *si* pro *an* vix exemplis eget: *Liv.* I. 57., "Tentata res est, *si* primo impetu capi Ardea posset." II. 25., " Volsci, discordia Romana freti, *si* qua nocturna transitio proditiove fieri possit, tentant castra." et c. 35., " Primo tentata res est, *si*...disjicere rem possent." *Paterentur* autem, sc. oppidani, Vagenses: *Liv.* X. 2., " Haec ubi *Patavium* sunt nuntiata, (semper autem *eos* in armis accolae Galli habebant) in duas partes juventutem *dividunt*." XXIII. 17., " Poenus, *Acerras* primum ad voluntariam deditionem conatus pellicere, postquam *obstinatos* vidit, obsidere inde atque oppugnare parat." XXIV. 35., " Marcellus...*Helorum* atque *Herbessam*, dedentibus *ipsis*, recipit." et c. 36., " *Murgantiam* primum, prodito ab *ipsis* praesidio Romano, recepit."

4. *Imperavit...comportare.*] Verbum *comportare*, a Glareano et Grutero damnatum, properantius paulo, ut mihi quidem videtur, delevit Cortius. *Imperare frumentum* aliaque formulam esse passim usitatam, nemo docendus erat, nisi illud edocere potuisset, tum quoque istam adhiberi, quum, non in

id, quod res monebat, frequentiam negotiatorum et commeatum etiam paratis rebus munimento fore. Inter haec negotia Jugurtha impensius modo legatos supplices mittere, pacem orare, praeter suam liberorumque vitam omnia Metello dedere. Quos item, uti priores, consul illectos ad proditionem domum dimittebat: regi pacem, quam postulabat, neque abnuere, neque polliceri, et inter eas moras promissa legatorum exspectare.

XLVIII. Jugurtha ubi Metelli dicta cum factis composuit, ac se suis artibus tentari animadvortit, quippe cui verbis pax nuntiabatur, ceterum re bellum asperrumum erat, urbs maxuma alienata, ager hostibus cognitus, animi popularium tentati; coactus rerum necessitudine, statuit armis certare. Igitur, explorato hostium itinere, in spem

---

usum praesentis temporis praebenda, sed in incerta futuri convehenda sunt. Qua de re donec certior factus fuero, non equidem invitis libris *comportare* abjecerim.

5. *Commeatum.*] Mercandi causa commeantes. Interpolationem autem, quae hic vulgo locum habet, *juvaturum exercitum*, a Rivio, Palmerio, Grutero, Cortio, damnatam, non placuit etiam uncis inclusam retinere.

6. *Etiam.*] Insuper, praeter praesidium, (ut interpretatur Cortius) quod intelligere licet permodicum fuisse. Ceterum exitus rei infra c. 66—67. narrabitur.

7. *Paratis rebus munimento fore.*] Rescripsere nonnulli *pacatis:* mihi autem magis placeret contrarium, *ratus* (iis comportatis) *frequentiam negotiatorum et commeatum, etiam impacatis rebus, munimento fore;* etiamsi hostiliter se gerere Numidae vellent.

8. *Impensius modo.*] H. e., impense extra modum, ut interpretatur Castilioneus, vel, ut Cortius, impensius quam modus esset: sic et infra c. 75.— Mox Harl. 12. delet *Metello.*

9. *Domum dimittebat.*] Abest *domum* ab ed. Ascensiana; M. S. autem codices agnoscunt omnes.

XLVIII. 1. *Suis artibus.*] *Liv.* XXII. 16., " Nec Hannibalem fefellit, *suis* se *artibus* peti."

2. *Verbis...re —.*] *Liv.* XXXV. 46., " Liberandae Graeciae causa in Europam trajecisse, et liberandae *re*, non *verbis* et simulatione."

victoriae adductus ex opportunitate loci, quam maxumas potest copias omnium generum parat, ac per tramites occultos exercitum Metelli antevenit. Erat in ea parte Numidiae, quam Adherbal in divisione possederat, flumen oriens a meridie, nomine Muthul; a quo aberat mons ferme millia passuum viginti, tractu pari, vastus ab natura et humano cultu: sed ex eo medio quasi collis oriebatur, in immensum pertinens, vestitus oleastro ac myrtetis, aliisque generibus arborum, quae humi arido atque arenoso gignuntur. Media autem planities deserta, penuria aquae, praeter flumini propinqua loca: ea, consita arbustis, pecore atque cultoribus frequentabantur.

---

3. *Quam maxumas potest* —.] Ed. Cortiana *quas maxumas copias potest;* sed ratio rei desideratur. Harl. 4. *quas potest copias omnium generum parat*, omisso *maxumas:* quod mihi non sane displicet.

4. *In divisione possederat.*] Voces *in divisione* Harl. 8. et 18. postpositas habent, et suspicor esse ex c. 16. repetitas.

5. *Viginti.*] Ita omnibus literis perscriptum ostendunt Harl. 1., 2., 17., 18.: ceterum numerus major quam pro rationibus subsequentis narrationis Ciacconio visus est; quem redarguit Cortius, Vegetio allato docens, militari gradu viginti millia passuum horis quinque dumtaxat aestivis conficienda fuisse. Sed miror equidem, non tam Rutilium cum equitibus et expeditis cohortibus omnia, quae infra memorantur, facere potuisse, quam Metellum, quum, vix monte degressus, proelium committere coactus fuisset, et ad vesperum usque pugnasset, postea tamen potuisse, multitudine sauciorum impeditum, et omnibus fessis, tantum itineris conficere: unum autem difficultatis exitum arbitror esse, dominantem necessitatem coëgisse.

6. *Tractu pari.*] Sc. cum flumine. *Lucan.* II. 630., "Immensis *tractibus* Alpes."

7. *Vastus ab natura et humano cultu.*] Vastus, sive naturam spectes, sive humanum cultum; h. e., et natura asper, neque mitigatus humano cultu. De praepositione autem vide not. 1. ad c. 31. supra.

8. *Sed ex eo medio*, etc.] Ex ejus latere autem collis oriebatur, leniter acclivis, ceterum in immensam latitudinem pertinens. *Pertinens* correxit *Gronov.* ad *Liv.* XXV. 24.; scripti omnes *pertingens.*

9. *Humi arido atque arenoso.*]

XLIX. Igitur in eo colle, quem, transvorso itinere, porrectum docuimus, Jugurtha, extenuata suorum acie, consedit: elephantis et parti copiarum pedestrium Bomilcarem praefecit, eumque edocet, quae ageret; ipse propior montem cum omni equitatu pedites dilectos collocat: dein, singulas turmas et manipulos circumiens, monet atque obtestatur, uti, memores pristinae virtutis et victoriae, sese regnumque suum ab Romanorum avaritia defendant: cum his certamen fore, quos antea, victos, sub jugum miserint; ducem illis, non animum, mutatum: quae ab imperatore decuerit,

---

Sc. *solo*: vide *Sanctii Minerv.* IV. 4., voce *Solum.*

XLIX. 1. *Quem, transvorso itinere, porrectum docuimus.*] H. e., ita porrectum, ut iter Metelli ei transversum esset; quod tamen non ita dilucide docuit Sallustius: vide not. 3. ad c. 43. supra.

2. *Propior montem.*] *Liv.* XXXIII. 9., "Media acies, quae *propior* dextrum *cornu* erat,—." et XXXV. 10., "Major gloria in Scipione; et, quo major, eo *propior invidiam.*" Sic infra h. c., *proxumum hostis.* Liv. XXXV. 27., *proximus finem.* Adde *C.* XI. 1.

3. *Pedites dilectos collocat.*] Ita emendavit Cortius; vulgo *cum o. e. et peditibus delectis suos collocat.*

4. *Turmas et—.*] Ita scripti: ed. Cort. *atque.* Mox eadem *seque regnumque*, contra codices.

5. *Quos antea, victos, sub jugum miserint.*] *Victos* Harl. 1. et 3. non agnoscunt: et, arbitror, omisso isto, nemo temere credidisset victores sub jugum missos. Sed fuerant Romani re vera non tam victi quam sine proelio sub jugum missi; ut istud *victos* rem augentis sit: atque hanc ob causam tolerandum puto.

6. *Quae ab imperatore decuerit.*] Ita optime Burneianus; vulgo *quae ...decuerint:* sed, illum codicem antequam inspexeram, jam mihi confirmatus animus erat, ut in manifesta imitatione *Tacitum* sequerer auctorem, *Hist.* V. 17., "*Quae provideri* astu ducis *oportuerit*, provisa." Similem mendam sustuli *Catil.* c. 51. n. 18. *Livius* XXXIV. 58., "Quandoquidem honesta pensamus; sic ut aut *sola*, aut *prima* certe, *pensari decet.*" Noster infra c. 85., "Majores eorum omnia, *quae licebat*, illis *reliquere.*" Quin etiam nunc ed. Basil. anni 1564. inspecta in commentario Ascensiano lego, "*quae decuerit*, sc. *provideri:*" in ed. autem Lugd. a. 1511. *decuerint* legitur; sed serius fortasse correxit Ascensius.

omnia suis provisa; locum superiorem, uti prudentes cum imperitis, ne pauciores cum pluribus, aut rudes cum bello melioribus, manum consererent: proinde parati intentique essent, signo dato, Romanos invadere: illum diem aut omnis labores et victorias confirmaturum, aut maxumarum aerumnarum initium fore. Ad hoc viritim, uti quemque ob militare facinus pecunia aut honore extulerat, commonefacere beneficii sui, et eum ipsum aliis ostentare: postremo, pro cujusque ingenio, pollicendo, minitando, obtestando, alium alio modo excitare, quum interim Metellus, ignarus hostium, monte degrediens cum exercitu conspicitur: primo dubius, quidnam insolita facies ostenderet (nam inter virgulta equi Numidaeque consederant, neque plane occultati

---

7. *Omnia suis provisa.*] Abest *suis* ab ed. Romana 1470.; et supra *illis* item delet Harl. 12.

8. *Prudentes cum imperitis.*] Aegre manum contineo, quin suam Sallustio scriptionem, etiam invitis librariis, restituam—*prudentes cum imparatis:* nam quid opus verbis? res clamat. *Nepos in Ages.* 2., " Quo factum est, ut omnes *imparatos imprudentesque* offenderet."

9. *Bello melioribus.*] Vide not. 3. ad c. 13. supra.

10. *Parati intentique essent... invadere.*] Harl. 3. et 18. *parati intentique...invaderent;* et *invaderent* praefert etiam nonus, sed habet simul verbum substantivum; nimirum voluit librarius utramque servare lectionem; quo de more dictum est ad *Catil.* c. 51. n. 38.

11. *Illum diem,* etc.] *Tacit. Ann.* XII. 34., " Illum diem, illam aciem, aut reciperandae libertatis aut servitutis aeternae initium fore."

12. *Pecunia aut honore extulerat.*] Minus proprie *pecunia efferre*: similes syllepses vide supra c. 46. n. 16., c. 42. n. 5., c. 38. n. 15.

13. *Commonefacere beneficii sui, et eum ipsum aliis ostentare.*] Scribendum *commonefacere beneficii, et eum aliis ostentare.* Regius *sui benef.;* at Harl. 1. initio non habuit *sui: ipsum* autem ex margine in locum alienum irrepsit, quum interpres voluisset *commonefacere ipsum.*

14. *Equi Numidaeque.*] Numidae, equites peditesque. Sic *equi virique,* equites peditesque, apud *Liv.* V. 37., XXI. 27.; *Ger-*

humilitate arborum, et tamen incerti, quidnam esset, quum natura loci, tum dolo, ipsi, atque signa militaria, obscurati), dein, brevi cognitis insidiis, paulisper agmen constitit: ibi, commutatis ordinibus, in dextero latere, quod proxumum hostis erat, triplicibus subsidiis aciem instruxit; inter manipulos funditores et sagittarios dispertit, equitatum omnem in cornibus locat; ac, pauca pro tempore milites hortatus, aciem, sicuti instruxerat, transvorsis principiis, in planum deducit.

L. Sed, ubi Numidas quietos, neque colle degredi, animadvortit, veritus ex anni tempore et inopia aquae, ne siti

---

mani equitesque, apud Auct. l. VIII. *de B. G.* c. 36.

15. *Neque..., et tamen*—.] Formulam illustravi *Doctr. Copularum* c. II. n. 211.

16. *Incerti.*] Qui nisi obscure *cerni* nequibant: et sic proprie; est enim *certus* (pro *cretus* per metathesin) participium passivum verbi *cernere.*—Continuo *quidnam esset*, natum suspicor ex interpretatione illorum supra, *quidnam insolita facies ostenderet.*

17. *Ipsi, atque signa militaria, obscurati.*] Hoc est, *obscurati ipsi, atque* (κατὰ) *signa militaria;* quo de Graecismo vide sis *Sanctii Minerv.* IV. 13.: mire autem caecutiunt et Cortius et Perizonius, *signa* pro prima positione accipientes, mirantesque adjectivum remotiori nomini aptatum.

18. *Agmen constitit.*] Sic transitive *Caes. de B. C.* I. 41., " Afranius *copias*...in medio colle ...*constitit.*" Ceterum unico Riviano codice nititur lectio; vulgo *constituit:* quod autem Cortius pro certissimo habet, Rivium Gruterumque *constitit* pro *constituit* accepisse, palam praedicat Rivius quidem, ita *agmen* casus nominativi esse, qui idem etiam absolute positi verbi exempla adjecit: nec credibile est, Gruterus si ab illo dissensisset, hunc adeo importuna taciturnitate usurum fuisse. Verum tamen et orationis nexus activum verbum videtur postulare, et *paulisper constituit* proprietatis studioso omnino indignum existimo, si quidem *statuere* proprie est efficere ut qui quodve jacuit quovis modo, stet; *sistere* autem, ut qui quodve aliquo modo se movit, stans quiescat.

19. *Transvorsis principiis.*] Ut, qui principes instructi fuerant, nunc conversi latus Jugurthinis ostenderent.

L. 1. *Ex anni tempore.*] Harl. 11. *ex anni intemperie.*

conficeretur exercitus, Rutilium legatum cum expeditis cohortibus et parte equitum praemisit ad flumen, uti locum castris antecaperet; existumans, hostis crebro impetu et transvorsis proeliis iter suum remoraturos, et, quoniam armis diffiderent, lassitudinem et sitim militum tentaturos. Dein ipse, pro re atque loco, sicuti monte descenderat, paulatim procedere: Marium post principia habere; ipse cum sinistrae alae equitibus esse, qui in agmine principes facti erant. At Jugurtha, ubi extremum agmen Metelli primos suos praetergressum videt, praesidio quasi duum millium peditum montem occupat, qua Metellus descenderat, ne forte cedentibus advorsariis receptui, ac post munimento, foret: dein repente, signo dato, hostis invadit. Numidae, alii postremos caedere, pars a sinistra ac dextera tentare: infensi adesse atque instare: omnibus locis Romanorum ordines conturbare; quorum etiam qui firmioribus animis obvii hostibus fuerant, ludificati incerto proelio, ipsi modo eminus sauciabantur, neque contra feriundi, aut manum conserendi, copia erat. Ante jam docti ab Jugurtha, equites, ubicumque Romanorum

---

2. *Transvorsis proeliis.*] Ab latere incursando.

3. *Lassitudinem et sitim militum tentaturos.*] H. e., tentaturos, ut lassitudinem et sitim militibus augerent, adderent, efficerent; sive, quod eodem fere redit, lassitudine et siti milites tentaturos: quoniam armis diffiderent, lassitudine et siti militum pro armis usuros. Infra c. 90., "Frumenti *inopia tentabatur.*" ubi decernit Cortius *inopia* primam positionem esse.

4. *Post principia habere.*] Infra c. 70. *habere inter—.*

5. *Quasi.*] Circiter: *Cic. in. Verr.* act. I. c. 8., et *Orat.* c. 13.

6. *Qua.*] Qua parte, ut supra c. 18.: sic infra h. c. *ea.*

7. *A sinistra ac dextera.*] Sinistros ac dexteros: vide not. 5. ad *Catil.* c. 59.

8. *Infensi adesse.*] Harl. 8., 11., 13., 15., Regius, atque ed. Romana 1479., *infesti;* quomodo a Cortio allatus *Livius* XXV. 34., "Dies noctesque *infestus aderat.*"

9. *Modo..., neque—.*] Vide not. 4. ad *Catil.* c. 24.

10. *Ante jam docti—.*] Ed.

turba insequi coeperat, non confertim neque in unum sese recipiebant, sed alius alio, quam maxume divorsi. Ita numero priores, si a persequendo hostis deterrere nequiverant, disjectos ab tergo aut lateribus circumveniebant: sin opportunior fugae collis, quam campi fuerant, ea vero consueti Numidarum equi facile inter virgulta evadere; nostros asperitas et insolentia loci retinebat.

LI. Ceterum facies totius negotii varia, incerta, foeda, atque miserabilis: disspersi a suis, pars cedere, alii insequi: neque signa neque ordines observare: ubi quemque periculum ceperat, ibi resistere ac propulsare: arma, tela, equi, viri, hostes, cives, permixti: nihil consilio neque imperio agi; fors omnia regere. Itaque multum die processerat, quum etiam eventus in incerto erat. Denique, omnibus

---

Cortiana *antea*, librarii, credo, benignitate. At interpolationem prodit Harl. 15., *docti equites a Jugurtha* ostendens.

11. *Turba.*] Ita Cortius; cujus tamen ex adnotatione vix intelligeres utrum mallet, illud an vulgatum *turma*. Tuentur autem *turba* Harl. 3., 8., 9., 12., 13., 19., 22.; et fortasse verius hoc, in tanto nimirum tumultu.

12. *Numero priores.*] Vide not. 19. ad c. 10. supra.

13. *Quam campi fuerant.*] Vide not. 4. ad *Catil.* c. 25.

14. *Insolentia loci.*] Infra c. 94. *insolentia itineris.*

LI. 1. *Observare.*] Utitur verbo iterum Noster infra c. 80.

2. *Arma, tela, equi, viri, hostes, cives.*] Insigne exemplum τῶν ἀσυνδέτων: conf. c. 101. sub. fin. infra. Adamat autem hanc figuram Sallustius: supra c. 31., "Quum regna, provinciae, leges, jura, judicia, bella, paces; postremo divina et humana omnia, penes paucos erant." et c. 41., "Penes eosdem aerarium, provinciae, magistratus, gloriae, triumphi, erant." Lege *Longin.* s. 19., 20., 21.

3. *Die.*] Pro *diei*, ut supra c. 21.

4. *Quum etiam eventus in incerto erat.*] Sic, omissa particula *tum*, Harl. 13. et 19., Cortiani duo, atque ed. principes Veneta et Romana: nimirum *etiam* pro *adhuc*. Cic. Tusc. Qu. I. 6., "Non dico fortasse *etiam*, quod sentio." *Terent. Andr.* I. 1. 89., "Egomet quoque ejus causa in funus prodeo, Nihil sus-

labore et aestu languidis, Metellus ubi videt Numidas minus instare, paulatim milites in unum conducit, ordines restituit, et cohortis legionarias quatuor advorsum pedites hostium collocat; eorum magna pars superioribus locis fessa consederat. Simul orare, hortari milites, ne deficerent, neu paterentur hostis fugientis vincere: neque illis castra esse, neque munimentum ullum, quo cedentes tenderent; in armis omnia sita. Sed nec Jugurtha interea quietus; circumire, hortari, renovare proelium, et ipse cum dilectis tentare omnia: subvenire suis; hostibus dubiis instare, quos firmos cognoverat, eminus pugnando retinere.

LII. Eo modo inter se duo imperatores, summi viri, certabant; ipsi pares, ceterum opibus disparibus. Nam Metello virtus militum erat, locus advorsus; Jugurthae alia omnia praeter milites opportuna. Denique Romani, ubi intelle-

---

picans *etiam* mali." et III. 2. 23., "Non satis me pernosti *etiam*, qualis sim, Simo." Noster supra c. 31. n. 32. "Nisi forte nondum *etiam* dominationis eorum satietas tenet." Adde *Catil.* c. 61. n. 6.

5. *Hostis fugientis.*] Fugaces. *Liv.* V. 28., "Fusos esse ab ignavissimo et *fugacissimo* hoste."

6. *Sed nec Jugurtha interea quietus.*] Cortius *ne J. quidem;* vulgo *nec J. quidem:* at in Harl. 4. *quidem* suspiciose post *interea* locatum, ab 11. vero omnino abest: scripserat ergo Sallustius *nec* pro *ne...quidem*, ut infra c. 57., "Sed *nec* illos, qui procul manserant, timor animi satis muniverat." Sic ipse *Cicero*, *Tusc.* I. 26., "Quo *nec* in deo quidquam majus intelligi potest." recentiores saepe. —Mox Harl. 1. et. 9. *omnia tentare.*

LII. 1. *Metello virtus militum erat.*] A parte Metelli. Notabile quiddam in loquutione videtur. Sed fortasse scribendum: *Nam Metello virtus militum* (sc. opportuna erat), *Jugurthae alia omnia praeter milites opportuna;* omisso *locus advorsus*, quod poterant librarii ex c. 55. infra adsciscere, "ut... in *advorso loco*, victor tamen virtute fuisset." Nisi tamen liceat, ista interpositione non obstante, intelligere *M. v. m. opportuna;* vide not. 8. ad. *Catil.* c. 46.: sed vel sic delendum *erat.*

gunt, neque sibi perfugium esse, neque ab hoste copiam pugnandi fieri, (et jam die vesper erat) advorso colle, sicuti praeceptum fuerat, evadunt. Amisso loco, Numidae fusi fugatique: pauci interiere; plerosque velocitas et regio hostibus ignara tuta sunt. Interea Bomilcar, quem elephantis et parti copiarum pedestrium praefectum ab Jugurtha supra diximus, ubi eum Rutilius praetergressus est, paulatim suos in aequum locum deducit, ac, dum legatus ad flumen, quo praemissus erat, festinans pergit, quietus, uti res postulabat, aciem exornat; neque remittit, quid ubique hostis ageret, explorare. Postquam Rutilium consedisse jam, et animo vacuum, accepit, simulque ex Jugurthae proelio clamorem augeri; veritus, ne legatus, cognita re, laborantibus suis auxilio foret, aciem, quam, diffidens virtuti militum, arte statuerat, quo hostium itineri obficeret, latius porrigit; eoque modo ad Rutilii castra procedit.

LIII. Romani ex improviso pulveris vim magnam animadvortunt; nam prospectum ager arbustis consitus prohi-

---

2. *Die vesper.*] Sic. iterum c. 106. infra: *die* autem pro *diei*.

3. *Advorso colle,...evadunt.*] H. e., ita evadunt, ut evadentibus collis sit adversus—adversum collem adscendunt: vide not. 3. ad c. 43. supra. *Liv.* II. 51. "Postero die... ferox...temere, *adverso Janiculo*, ad castra hostium aciem erexit." et XXI. 31., "Profectus *adversa ripa* Rhodani."

4. *Ignara.*] Ignota, ut supra c. 18.

5. *Tuta sunt.*] Ita Harl., 2., 6., 11., 12., 14., 17. (primitus), 19., 22., Regius, Cortiani sex, tres Leidenses; vulgo *tutata:* vide not. ad c. 74. extr.: quod autem neutrum plurale duobus femininis nominibus subjicitur, ea de re monitum est ad *Catil.* c. 20. n. 4.

6. *Neque remittit,—.*] Harl. 3. *neque interim remittit*, quomodo etiam ed. Romana 1470. et Gryph.; sed *interim* ab interprete est.

7. *Quid ubique—.*] Quid, et ubi id,—: vide not. 3. ad *Catil.* c. 21.

8. *Jugurthae proelio.*] Infra c. 60. *regis proelium.*

9. *Arte.*] Pro *arcte*, ut supra c. 45.—Mox Harl. 1. *eo modo*, sine copula.

LIII. 1. *Pulveris vim magnam.*] Infra c. 75. *tanta vis aquae.*

bebat. Et primo rati humum aridam vento agitari: post, ubi aequabilem manere, et, sicuti acies movebatur, magis magisque adpropinquare, vident, cognita re, properantes arma capiunt, ac pro castris, sicuti imperabatur, consistunt. Deinde, ubi propius ventum, utrimque magno clamore concurrunt. Numidae, tantummodo remorati, dum in elephantis auxilium putant; postquam impeditos ramis arborum, atque ita disjectos circumveniri vident, fugam faciunt; ac plerique, abjectis armis, collis, aut noctis, quae jam aderat, auxilio integri abeunt. Elephanti quatuor capti; reliqui omnes, numero quadraginta, interfecti. At Romani, quamquam itinere atque opere castrorum et proelio fessi erant, laeti

---

2. *Humum aridam vento agitari.*] Perbelle, inquit Cortius, Guelf. 3. omittit nomen *humum:* perbelle contra, ut mihi videtur, Harl. 1. et Burneianus delent *aridam.*

3. *Aequabilem manere, et —.*] Harl. 11. *aequabilem, sicuti a. m., m. m.que appropinquare:* et *manere* delendum censeo, copulam non item; vide not. 9. ad c. 5. supra.

4. *Impeditos ramis arborum, atque ita —.*] Abest *impeditos* ab Harl. 1. et 3.: fortasse scribendum, *ramis arborum disjectos, atque ita circumveniri, vident.* Particularum autem *atque ita,* mirum est, Cortio collectanea sua ne unum quidem exemplum suppeditasse, et doctissimum virum propemodum dubitasse, an elegans particula *ita* retinenda esset: illustratas illas videas cap. I. sect. 28. commentarii nostri de usu Copularum, ibique congestis exemplis addas *Liv.* IX. 30., XXXVI. 21., et *Tacit. Ann.* XIV. 5.

5. *Fugam faciunt.*] *Liv.* VIII. 9., " Inde jam haud dubie consternata ecohortes Latinorum *fugam ...fecerunt.*" Noster infra c. 58. *fugam fieri.* Adde *Terent. Eun.* IV. 7. 17. Male Harl. 13. et Regius *fugam capiunt;* etsi hoc ipsum Latinum est, *Caes. de B. G.* VII. 26.

6. *Abjectis armis.*] Haec translata suspicor ex c. 38. supra.

7. *Quamquam itinere atque opere castrorum et proelio fessi erant, laeti tamen...obviam procedunt.*] Hoc est, lassitudo morari nequibat, quo minus *libenti animo* obviam procederent. Infra c. 84., " Neque illi senatus, *quamquam* advorsus erat, de ullo negotio abnuere audebat; ceterum supplementum etiam *laetus* decreverat, quia —." *Liv.* XXII. 58., " *Quamquam* aliquantum adjiciebatur equitibus ad id pretium, quod pepigerant dedentes se; *laeti tamen* quamcum-

tamen, quod Metellus amplius opinione morabatur, instructi

que conditionem paciscendi acceperunt." *Virg. Aen.* IX. 88., "Has ego Dardanio juveni, quum classis egeret, *laeta* dedi." *Hor. Epist.* I. 7. 39., "Inspice, si possim donata reponere *laetus*." Atque ita locum, qui adhuc sese miserrime habuit, mihi videor restituisse: vulgo *quamquam...fessi lassique erant, tamen* —; quod nihili est, et ita Harl. 9. solus. At Gruterus, Cortius, quique illos sequuntur, *fessi laetique;* qualis putida ineptiola vix in Tacito ipso ferenda foret; quamquam, qui scribere potuit, Germaniam a Sarmatis Dacisque *mutuo metu aut montibus* separari, eodem non indignum foret *fessi laetique:* at numquam ita ineptit Sallustius. Figura παρὰ προσδοκίαν novit consuevitque Crispus uti, non abuti; eamque etiam vindicavi Nostro supra c. 31. n. 31., et quidem contra eosdem summos Criticos, quibuscum hoc loco agendum est: nunc vero de illa vana cogitatio sit. Sed, ut asperitatem conjunctionis omittam, crediderit quisquam, fieri potuisse, ut milites Romani, tantulo proeliolo prospere facto, more barbarorum laetitia se ita efferrent, propemodum ut essent bonae disciplinae minus obtemperaturi? An istud significat Historicus Romanus? Audi, quaeso, Gruterum:— "Hoc vult, nihil obstitisse Rutilianis lassitudinem ac gaudium, quo minus Metellianis obviam irent: quod insolens; nam huic effectus talis, ut nolit obtemperare praefectis; illi, ut nequeat!" Audi Cortium:—"*Fessi* erant itinere, opere, et proelio; *laeti* perfecto opere, et proelio bene pugnato; quod utrumque scilicet ab obviam eundo remorari poterat." Hercle ingeniose: et id tantummodo miror, munitio castrorum quum quotidiana fere res esset, de tanta ista vixque cohibenda militum laetitia *perfectum opus* excipiente, nusquam alibi memoratum esse. At hic primam causam laetitiae, *iter feliciter emensum*, dissimulavit. Esto igitur; vehementer laetati sunt: quidni? iter haud exiguum confecerant, castra muniverant, belluas immobiles quadraginta confoderant (nam homines vix proelium tentaverant); ingentes hae causae laetitiae: at quomodo laetitia obstare poterat, quin ducem et commilitones ex insidiis hostium eripere vellent? Profecto laetitia, si quisquam motus animi ad obviam procedendum alacres facere poterat, ea vero fecisset: nec tantopere laetantes se continuissent, quin alteros quaererent, gaudii sui participes facturi: ita militum, ita hominum mos est. Harl. 2., 6., 14., 20., *quamquam...fessi, laeti erant tamen:* secundus autem pro *laeti* habuit initio adverbium *laete*, quod procul dubio ab interprete profectum est, *laeti* recte atque ordine cum *procedunt* construente.

8. *Amplius opinione.*] Infra c.

intentique obviam procedunt; nam dolus Numidarum nihil languidi, neque remissi, patiebatur. Ac primo, obscura nocte, postquam haud procul inter se erant, strepitu, velut hostes, adventare; alteri apud alteros formidinem simul et tumultum facere: et paene imprudentia admissum facinus miserabile, ni utrimque praemissi equites rem exploravissent. Igitur pro metu repente gaudium exortum; milites alius alium laeti adpellant, acta edocent atque audiunt; sua quisque fortia facta ad coelum ferre. Quippe res humanae ita sese habent: in victoria vel ignavis gloriari licet; advorsae res etiam bonos detractant.

85, "Ea agere inter invidos, occursantis, factiosos, *opinione*, Quirites, asperius est." Sic *Cic. de Orat.* I. 35. extr., *Brut.* init., *ad Fam.* XIV. 23.; *Liv.* X. 11., XXV. 11.; alii.

9. *Haud procul inter se erant.*] Alteri ab alteris haud procul aberant. Sic infra c. 55., "Duobus locis, haud longe *inter se*, castra faciebant." sc. *distantes.*

10 *Strepitu, velut hostes, adventare.*] Cum strepitu adventabant, velut hostes. Sic, praepositione *cum* omissa, *Caes. de B. G.* VI. 7., "Quo facilius hostibus timoris det suspicionem, majore *strepitu* et tumultu, quam populi Romani fert consuetudo, castra moveri jubet." Cortius autem damnat verbum *adventare:* interim intellige, adventabant alteri ad alteros.

11. *Admissum facinus*—.] Sic Cicero passim, iterum Noster infra c. 91. sub finem.—*Miserabile:* Virg. Aen. II. 411., *miserrima caedes.*

12 *Quippe res humanae ita sese habent.*] Talis est Sallustius; quum alius quivis satis habuisset scribere *Quippe res ita sese habet*, res bellica videlicet. Sic *Catil.* c. 6., "Sed, postquam res eorum...satis prospera satisque pollens videbatur, *sicuti pleraque mortalium habentur*, invidia ex opulentia orta est." pro eo, quod quilibet mortalium alius scripsisset, *ut fit* vel *ut plerumque evenit.* Et supra c. 38., "Se, *humanarum rerum* memorem, si secum foedus faceret, incolumis omnis sub jugum missurum." i. e., vicissitudinum belli, sive, quod Livius scribere poterat, communis incertique Martis; et geminum exemplum vide infra c. 104. Nec Sallustiana memoratio rerum omnino humanarum, quum unica res bellica intelligenda esset, *Tacito* ipsi placuit, *Agric.* c. 27., "*Iniquissima haec bellorum conditio est;* prospera omnes sibi vindicant, adversa uni imputantur."

13. *Detractant.*] Haec scriptura

LIV. Metellus, in isdem castris quatriduo moratus, saucios cum cura reficit, meritos in proeliis more militiae donat, universos in concione laudat, atque agit gratias: hortatur, ad cetera, quae levia sunt, parem animum gerant; pro victoria satis jam pugnatum, reliquos labores pro praeda fore. Tamen interim transfugas et alios opportunos, Jugurtha ubi gentium, aut quid agitaret, cum paucisne esset, an exercitum haberet, ut sese victus gereret, exploratum misit. At ille sese in saltuosa loca et natura munita receperat, ibique cogebat exercitum, numero hominum ampliorem, sed hebetem infirmumque, agri ac pecoris magis, quam belli, cultorem. Id ea gratia eveniebat, quod praeter regios equites nemo omnium Numidarum ex fuga regem sequitur; quo

---

est Harl. fere omnium. *Liv.* XXXVIII. 49., *detrectare virtutes.* Auctor Dial. de Orat. c. 11., *detractare poëtas.*

LIV. 1. *Cum cura.*] Sic *Livius* saepe: XXII. 42., XXIII. 11., 31., 33., XXV. 22., XXVII. 24., 51. Infra c. 66. *cum magna cura;* 68. *maxuma.*

2. *Quae levia sunt.*] Sic M. S. omnes; ed. quaedam *sint;* vide not. 3. ad *Catil.* c. 27.

3. *Pro praeda fore.*] Harl. 4., 8., 11., 12., 16., 18., 20., 21., 23., Regius, ed. Ven. et Rom., *praedae fore;* et vereor ne lectio immutata fuerit propter antecedens *pro victoria:* vide *Catil.* c. 21. sub fin. et 48.

4. *Cum paucisne esset, an—.*] Particulam encliticam Harl. 3. et 12. abjecerunt (vide not. 5. ad *Catil.* c. 25.): at eleganter illa, ne voculae monosyllabae innitatur, in secundum locum transit: sic infra c. 67., "*Id* misericordia*ne* hospitis, an—." adde c. 79. et 88.

5. *In saltuosa loca et natura munita.*] Μεσόζευγμα elegans et Sallustianum recepi ex Harl. 2., 6., 15.; vulgo *in loca s. et n. m.:* supra c. 9., "Quum virtute *viri*, tum gratia, permotus." et c. 11., "Oportere quinquennii consulta *omnia*, et decreta, rescindi." Sic restituo infra h. c. "Castella *multa* et oppida." et c. 73., "Bona *sua* aut mala." et c. 81., "Data *fide* et accepta." Adde not. 7. ad *Catil.* c. 59., item n. 19. ad c. 4. supra.

6. *Exercitum...cultorem.*] Vide not. 3. ad c. 44. supra.

7. *Ea gratia..., quod—.*] Infra c. 80., "Id *ea gratia* facilius proniusque fuit, *quod*—." Adde *Terent. Andr.* III. 4. 8. et *Heaut.* IV. 5. 20.

8. *Eveniebat...sequitur.*] Vide not. 4. ad c. 59. infra.

cujusque animus fert, eo discedunt: neque id flagitium militiae ducitur; ita se mores habent. Igitur, Metellus ubi videt regis etiam tum animum ferocem; bellum renovari, quod nisi ex illius lubidine geri posset; praeterea iniquum certamen sibi cum hostibus, minore detrimento illos vinci, quam suos vincere, statuit, non proeliis, neque acie, sed alio more, bellum gerundum. Itaque in loca Numidiae opulentissuma pergit; agros vastat; castella multa et op-

---

9. *Quo cujusque animus fert.*] Sc. ut discedat. *Liv.* XXX. 12., " Ipse, quodcumque *fert* animus, de captiva statuas." Adde not. 7. ad *Catil.* c. 58.

10. *Quod nisi ex illius lubidine geri posset.*] H. e., quod, nisi ex illius lubidine geri posset, *geri non posset.* Ninirum non aliter hic elicienda est altera negatio, atque in formula illa usitatissima, *non modo* ...[non...], *sed ne...quidem*—. Sic *Liv.* XXXIV. 16., " Circumducto exercitu, procul navibus suis castrisque, ubi spem *nisi* in virtute haberent, inter medios hostes proelium commisit." i. e., ubi spem, nisi in virtute haberent, *haberent nullam.* Eodemque modo, ex cod. M. scriptis compertum habeo, legendum esse infra c. 83., " Omne bellum sumi facile ;... deponi, *nisi* quum victores velint." Nec secus fortasse *Catil.* XXXIII. 5. scribendum.

11. *Iniquum certamen.*] Hanc lectionem, jam diu quidem restitutam, in cod. tamen paucissimis repertam, fideliter servant Harl. 3., 8., 9.; ut omittam 1. et 6., qui a correctore acceperunt: olim *inimicum,* quod ridicule nimis, sicuti sordes codicum passim, revocavit editor Parisiensis, F. G. Pottier. Nae ille falsus fuisset, si *amicum* certamen cum hostibus exspectasset. At iniquum certamen erat, quum minore detrimento hostes vincerentur, quam vincerent Romani; quippe ab Numidis multitudine quamvis magnam jacturam militum facile tolerante.

12. *Sed alio more.*] Harl. 8., 12., 17., 21., *s. a. modo;* primus autem haec omnino non agnoscit.

13. *Loca Numidiae opulentissuma.*] Haec collocatio est Harl. omnium, excepto 15., qui praefert *N. o. l.:* ed. Cortiana *N. l. o.*

14. *Castella multa et oppida.*] Sic Harl. 18. atque ed. Venetae, Mediol., Ascens.; vulgo *multa c. et o.*: vide not. 5. supra.

15. *Aut sine praesidio.*] Sc. ὄντα: sic infra c. 66., " Milites, palantis, inermos, quippe in tali die ac sine imperio (ὄντας), adgrediuntur." 91., " Res trepidae, metus ingens,

pida, temere munita, aut sine praesidio, capit, incendit; puberes interficit, alia omnia militum praeda esse. Ea formidine multi mortales Romanis dediti obsides; frumentum, et alia, quae usui forent, adfatim praebita: ubicumque res postulabat, praesidium impositum. Quae negotia multo magis, quam proelium male pugnatum [ab suis], regem terrebant: quippe, cui spes omnis in fuga sita, sequi cogebatur; et, qui sua loca defendere nequiverat, in alienis bellum gerere. Tamen ex copia, quod optumum videbatur, consilium capit: exercitum plerumque in isdem

---

malum improvisum, ad hoc pars civium extra moenia in hostium potestate (οὖσα), coëgere—." 112., "Neque hominem nobilem, non sua ignavia, sed ob rempublicam, in hostium potestate (ὄντα), relictum iri." Vide *Perizon.* ad *Sanctii Minerv.* IV. 4. 27.

16. *Capit, incendit.*] Copulam, auctoribus Harl. 2. et 6., abjeci; 22. *c. et. inc.*: sic ἀσυνδέτως *Cicero*, peropportune, *ad Att.* V. 20., "Castella munitissima, nocturno Pomtini adventu, nostro matutino, *cepimus, incendimus.*" Item *Livius* apposite XLV. 24., "Procul ab oculis nostris urbs nostra *diripiatur, incendatur.*"—Mox *esse* pro *erant.*

17. *Romanis.*] Harl. 4. et 12. delent.

18. *Quae negotia multo magis, quam* —.] *Liv.* XXXIV. 16., "Quae res non minus, quam pugna pridie adversa,...in deditionem compulit."

19. *Male pugnatum ab suis.*] Improspere: sic infra c. 56. *mala pugna.* Cortius autem damnat *ab suis*, allato *Liv.* III. 4., "Hernici, et *male pugnatum*, et consulem exercitumque obsideri, nuntiaverunt." ubi magis necessarium esset addi *ab Romanis.*

20. *Sua loca.*] Commoda, aequa, opportuna; quae scilicet ipse elegerat: sic mox *aliena*, iniqua. *Liv.* XXXVIII. 45., "Loco *aequo*, tempore *tuo*, pugnasti?" Infra c. 61., "Neque Jugurtham, nisi ex insidiis, aut *suo* loco, pugnam facere."

21. *Ex copia.*] Sc. *consiliorum*; quam copiam intelligere licet, exiguam admodum fuisse. Sic infra c. 76., "Deinde locis *ex copia* maxume idoneis vineas agere." i. e., ex copia *idoneorum locorum*; quam item copiam non amplissimam fuisse, constat.

22. *Exercitum plerumque.*] Supra c. 18., "Africae pars inferior *pleraque.*" et infra c. 79., "Carthaginienses *pleraeque* Africae imperi-

locis opperiri jubet; ipse cum dilectis equitibus Metellum sequitur, nocturnis et aviis itineribus ignoratus Romanos palantis repente adgreditur: eorum plerique inermes cadunt, multi capiuntur; nemo omnium intactus profugit; et Numidae prius, quam ex castris subveniretur, sicuti jussi erant, in proxumos collis discedunt.

LV. Interim Romae gaudium ingens ortum, cognitis Metelli rebus; ut seque et exercitum more majorum gereret; in advorso loco, victor tamen virtute fuisset; hostium agro potiretur; Jugurtham, magnificum ex Auli secordia, spem salutis in solitudine aut fuga coëgisset habere. Itaque senatus ob ea feliciter acta dis immortalibus supplicia decernere: civitas, trepida antea, et sollicita de belli eventu, laeta agere: fama de Metello praeclara esse. Igitur eo intentior

---

tabant." Adde *Catil.* c. 23. et 38.

23. *Cum dilectis equitibus.*] Harl. 11. et 13. *militibus:* delendum ergo *equitibus*, quod quidem jam C. Popma delevit. Supra c. 51., "Ipsè cum *dilectis* tentare omnia." Et ex c. 59. infra constat, illum etiam pedites secum duxisse.

LV. 1. *Ut seque et exercitum... gereret.*] *Ut*, quomodo; vide not. 13. ad *Catil.* c. 5.: copulas autem, —*que et*—, jam vidimus c. 6. n. 6.: deinde *seque et exercitum gereret*, syllepsin dicas pro *et se gereret, et exercitum haberet* (*C.* XI. 14.), cujus figurae exempla passim obvia sunt (supra c. 49. n. 12.); sic iterum infra c. 85., "*Me*que *vos*que in omnibus rebus juxta *geram*."

2. *In advorso loco, victor tamen* —.] *Liv.* I. 28., "Ad haec Albana pubes, inermis ab armatis septa, *in* variis voluntatibus, communi *tamen* metu cogente, silentium tenet." et V. 47., "Anseres non fefellere, quibus sacris Junoni, *in* summa inopia cibi, *tamen* abstinebatur."

3. *Magnificum ex Auli secordia.*] *Tacit. Agric.* 32., "Nostris illi dissensionibus ac discordiis clari, vitia hostium in gloriam exercitus sui vertunt."

4. *Laeta agere.*] Laeta *esse*, laetari, laetitiam agitare. *Tacit. Ann.* XII. 50., "Vologeses...contrahit copias, fratremque Tiridatem deducere in regnum parat, ne qua pars domus sine imperio *ageret*." XIII. 24., "Ut miles, theatrali licentiae non permixtus, incorruptior *ageret*." et c. 32., "Post Juliam...interfec-

ad victoriam niti, modis omnibus festinare: cavere tamen, necubi hosti opportunus fieret; meminisse, post gloriam invidiam sequi. Ita, quo clarior erat, eo magis animi anxius: neque post insidias Jugurthae effuso exercitu praedari; ubi frumento aut pabulo opus erat, cohortes cum omni equitatu praesidium agitabant: exercitus partim ipse, reliquos Marius ducebat. Sed igni magis, quam praeda, ager vastabatur. Duobus locis, haud longe inter se, castra faciebant: ubi vi opus erat, cuncti aderant; ceterum, quo fuga atque formido latius crescerent, divorsi agebant. Eo tempore Jugurtha per collis sequi: tempus aut locum pugnae quaerere: qua venturum hostem audierat, pabulum, et aquarum fontis, quorum penuria erat, corrumpere: modo se Metello, inter-

---

tam...non cultu, nisi lugubri, non animo, nisi moesto, *egit*." XV. 23., "Ipse, ut laetitiae, ita moeroris immodicus *egit*." Adde *ejusd. Hist.* III. 36., IV. 68., et *Liv.* IX. 22., 25., 43.

5. *Modis omnibus.*] Ita Harl. 3., postposito adjectivo; quomodo rescripsit Cortius supra c. 39.

6. *Necubi.*] Ne alicubi: *Liv.* XXII. 2., 16., 28.—*Hosti opportunus:* supra c. 20., *opportunus injuriae.*

7. *Post gloriam invidiam sequi.*] Quid opus *post?*

8. *Eo magis animi anxius.*] Bene Cortius vocem *animi* paene imperitia librariorum amissam restituit: sic Noster fragm. l. IV. Hist. *anxius animi atque incertus*, et ibid. *impotens et nimius animi;* et l. II. *animi atrox.* Liv. I. 7. et Tacit. Ann. VI. 46., *incertus animi.* Harl. 22. *eo magis anxior;* at invitus equidem etiam simplex tolero comparativum: lege not. 21. ad. c. 31. supra.

9. *Partim.*] Pro *partem*, antiquo more: sic infra c. 85. et *Liv.* XXIII. 11., XXVI. 46.

10. *Praeda.*] Sc. agenda; h. e., praedando: sic apud Cortium quasi interpres Dictyos Cretensis V. 17., "Quae singuli *praeda* multorum annorum quaesiverant." Ejusdem rei exemplum vide *Catil.* c. 12. n. 8.

11. *Ager vastabatur.*] Regius et Harl. 8. *vast. ager:* melius undecimus *vastabatur* impersonaliter intelligendum relinquit, omisso *ager*, quod omittit etiam Guelf. 2. apud Cortium.

12. *Inter se.*] Vide not. 9. ad c. 53. supra.

dum Mario ostendere: postremos in agmine tentare, ac statim in collis regredi; rursus aliis, post aliis, minitari: neque proelium facere, neque otium pati; tantummodo hostem ab incepto retinere.

LVI. Romanus imperator ubi se dolis fatigari videt, neque ab hoste copiam pugnandi fieri, urbem magnam, et in ea parte, qua sita erat, arcem regni, nomine Zamam, statuit obpugnare; ratus, id, quod negotium poscebat, Jugurtham laborantibus suis auxilio venturum, ibique proelium fore. At ille, quae parabantur, a perfugis edoctus, magnis itineribus Metellum antevenit; oppidanos hortatur, moenia defendant, additis auxilio perfugis, quod genus ex copiis regis, quia fallere nequibant, firmissumum. Praeterea pollicetur, in tempore semet cum exercitu adfore. Ita compositis rebus, in loca quam maxume occulta discedit, ac post paulo cognoscit, Marium ex itinere frumentatum cum paucis cohortibus Siccam missum: quod oppidum primum omnium post malam pugnam ab rege defecerat. Eo cum dilectis

13. *In collis.*] Harl. 13. delet, sicuti etiam Cortianus quidam.

14. *Aliis post aliis.*] Infra c. 63., " Deinde ab eo magistratu *alium, post alium*, sibi peperit."

LVI. 1. *Neque ... fieri.*] Haec omnia suspicari licet esse ex c. 52. ab librariis translata.

2. *Laborantibus suis.*] Harl. 8., 13., 16., *suis l.*; undecimus autem pronomen non agnoscit, isque probandus: igitur *laborantibus*, sc. oppidanis; vide not. 3. ad c. 47. supra.

3. *In tempore semet... adfore.*] Tempestive, opportune. *Liv.* XXIV. 13., " Hannibal collaudatos...domum ad coepta maturanda redire jubet: se *in tempore* adfuturum esse." *Tacit. Ann.* II. 17., " *Stertinium* cum ceteris turmis circumgredi tergaque invadere jubet, ipse *in tempore* adfuturus." Adde *ibid.* XII. 50. et *Liv.* II. 47. et 48., IV. 40., VIII. 7., XXV. 9. et 31., XXVIII. 8., XXX. 10. et 35., XXXIII. 5., XXXVII. 43.

4. *Post malam pugnam.*] Improsperam. *Tacit. Hist.* V. 14., " At Civilis, post *malam* in Treveris pugnam, reparato per Germaniam exercitu, etc." adde not. 19. ad c. 54. supra.

5. *Cum dilectis equitibus.*] Hanc

equitibus noctu pergit, et jam egredientibus Romanis in porta pugnam facit: simul magna voce Siccenses hortatur, uti ab tergo circumveniant: fortunam praeclari facinoris casum dare; si id fecerint, postea sese in regno, illos in libertate, sine metu aetatem acturos. Ac, ni Marius signa inferre, atque evadere oppido, properavisset, profecto cuncti, aut magna pars Siccensium fidem mutavissent: tanta mobilitate sese Numidae agunt. Sed milites Jugurthini, paulisper ab rege sustentati, postquam majore vi hostes urguent, paucis amissis, profugi discedunt.

LVII. Marius ad Zamam pervenit: id oppidum, in campo situm, magis opere, quam natura, munitum erat; nullius idoneae rei egens, armis virisque opulentum. Igitur Metellus, pro tempore atque loco paratis rebus, cuncta moenia exercitu circumvenit: legatis imperat, ubi quisque curaret; deinde, signo dato, undique simul clamor ingens oritur: neque ea res Numidas terret; infensi intentique

---

interpolationem esse existimo, sc. ex c. 54. deductam.

6. *Pugnam facit.*] Sic infra c. 57. et 61.: c. 97. *pugna fieri.*

7. *Uti ab tergo circumveniant.*] Vulgo *uti cohortes* —: cur autem Jugurtha hostes specialiter *cohortes* enuntiasset, intelligere nequeo; neque agnoscit *cohortes* Fabric. 2. apud Cortium. Maluerunt vero librarii istud, quam pronomen, supplere, superiora illa respicientes, " Cognoscit, Marium...cum paucis *cohortibus* Siccam missum." At Harl. 1. *uti a tergo eos* —. Itaque cod. duobus auctoribus delevi.

8. *Praeclari facinoris casum.*] Occasionem, ut supra c. 25. n. 10.

9. *Signa inferre.*] In hostes scilicet: male Harl. 14. *efferre.* Mox *fidem mutavissent*, illustrabit *Livius* XXIII. 17., ubi V. Cl. *Johannes Walker* plura.

10. *Tanta mobilitate sese Numidae agunt.*] Animadvertenda loquutio *sese agere:* exemplum attulit Rivius ex *Vopisco*, " In hospitiis easte *se agant.*" At sciendum, hanc etiam *Taciti* Latinitatem esse, *Hist.* III. 2., " Quanto ferocius ante *se egerint*, tanto cupidius insolitas voluptates hausisse."

LVII. 1. *Curaret.*] Vide not. 9. ad *Catil.* c. 59.

sine tumultu manent: proelium incipitur. Romani, pro ingenio quisque, pars eminus glande aut lapidibus pugnare; alii succedere, ac murum modo subfodere, modo scalis adgredi; cupere proelium in manibus facere. Contra ea oppidani in proxumos saxa volvere; sudes, pila, praeterea picem sulphure et taeda mixtam ardentia mittere. Sed nec illos, qui procul manserant, timor animi satis muniverat: nam plerosque jacula, tormentis aut manu emissa, volnerabant; parique periculo, sed fama impari, boni atque ignavi erant.

LVIII. Dum apud Zamam sic certatur, Jugurtha ex improviso castra hostium cum magna manu invadit; remissis, qui in praesidio erant, et omnia magis, quam proelium, exspectantibus, portam irrumpit. At nostri, repentino metu perculsi, sibi quisque pro moribus consulunt; alii fugere, alii arma capere: magna pars volnerati aut occisi. Ceterum ex omni multitudine non amplius quadraginta,

---

2. *Succedere.*] Subire: infra c. 94., "testudine acta *succedere.*"

3. *In manibus.*] Comminus; jungendum autem potius *proelium in manibus:* Virg. Aen. X. 279., "Quod votis optastis, adest, perfringere dextra: *In manibus Mars* ipse, viri." ubi vide Fabricium.

4. *Contra ea.*] Sic *Liv.* saepe; ut III. 57., XXI. 20., XXXIII. 31.

5. *Ardentia.*] Omnia nimirum, picem, sulphur, taedam. De lectione autem totius loci, quae Cortii est, ipsum videas pluribus in excursu disserentem.

6. *Sed nec illos,—.*] Ne illos quidem; v. n. 6. ad c. 51. supra.

7. *Parique periculo—.*] Copulam negligunt Harl. 4., 8., 14.: ceterum *periculo esse* illustrat Cortius exemplo Ciceroniano, *ad Fam.* IV. 15., "Hoc tempore breviter commonendum putavi, ne *quo periculo* te *proprio* existimares *esse.*"

LVIII. 1. *In praesidio.*] Harl. 4. *qui praesidio erant.* Liv. IV. 53., "Impigre primo statim adventu, dejectis, qui *in praesidio* erant, arcem recipit."

2. *Omnia magis.*] Nihil minus; v.n. 13. ad c. 20. supra.—Mox Harl. 3., 14., 15., 16., et Regius, *irrupit.*

memores nominis Romani, grege facto, locum cepere paulo editiorem, neque inde maxuma vi depelli quiverunt, sed tela eminus missa remittere, pauci in pluribus minus frustrati: sin Numidae propius accessissent, ibi vero virtutem ostendere, et eos maxuma vi caedere, fundere, atque fugare. Interim, Metellus quum acerrume rem gereret, clamorem hostilem ab tergo accepit: dein, convorso equo, animadvortit, fugam ad se vorsum fieri; quae res indicabat popularis esse. Igitur equitatum omnem ad castra propere mittit, ac statim C. Marium cum cohortibus sociorum; eumque, lacrumans,

---

3. *Paulo editiorem.*] Vulgo *paulo, quam alii, editiorem:* Venetae et Harl. 13. *p. ed., quam alii;* at 23. caret interpolatione: infra c. 68., " Pervenit in quamdam planitiem, locis *paulo superioribus* circumventam." Et video, istud *quam alii* clariss. *Perizonium* dissimulasse, afferentem haec ad *Sanctii Minerv.* IV. 5. 3., id quod Cortius quoque animadvertere debebat.

4. *Sin Numidae propius accessissent.*] At, quoties—. *Ovid. de Trist.* V. 10. 41., " In me aliquid, *si* quid dicentibus illis Abnuerim, *quoties* adnuerimque, putant." *Liv.* VIII. 8., " *Si* hastati profligare hostem non possent, pede presso eos retrocedentes in intervalla ordinum principes recipiebant." *Tacit. Ann.* VI. 30., " Ac tamen accusatores, *si* facultas incideret, poenis afficiebantur." et XIII. 37. " At Tiridates...palam bello infensare Armeniam,... et, *si* copiae contra ducerentur, eludere."

5. *Clamorem hostilem ab tergo accepit.*] Vulgo *clamorem et tumultum h.*—: Cortius autem, cod. M. S. duos sequutus, delevit *et tumultum:* contra apud eumdem unus damnat *clamorem et*, isque nonnihil praesidii habet in *Livio* XXVIII. 33., " Neque ante circumductos sensere, quam *tumultum* equestris pugnae *ab tergo accepere.*"—Mox *ad se vorsum:* vide not. 6. ad *Catil.* c. 56.

6. *Eumque, lacrumans, per amicitiam perque*—.] Lacrumans! Itane ergo superbus ille Metellus dignitati consuluit? ita veri similitudini Sallustius? Deinde ista amicitia, vereor equidem, ne dubia admodum fuerit: et certe supervacaneum erat, per ullam aliam rem, praeterquam per *rempublicam*, Marium obsecrare. Foede inquinatus locus, et nihil amplius Sallustius, quam: *ac statim C. Marium cum cohortibus sociorum*,

per amicitiam perque rempublicam obsecrat, ne quam contumeliam remanere in exercitu victore, neve hostis inultos abire, sinat. Ille brevi mandata efficit. At Jugurtha, munimento castrorum impeditus, quum alii super vallum praecipitarentur, alii in angustiis ipsi sibi properantes obficerent, multis amissis, in loca munita sese recepit. Metellus, infecto negotio, postquam nox aderat, in castra cum exercitu revortitur.

LIX. Igitur postero die prius, quam ad obpugnandum egrederetur, equitatum omnem in ea parte, qua regis adventus, pro castris agitare jubet; portas et proxuma loca tribunis dispertit: deinde ipse pergit ad oppidum, atque, uti superiore die, murum adgreditur. Interim Jugurtha ex occulto repente nostros invadit: qui in proxumo locati fuerant, paulisper territi perturbantur; reliqui cito subveniunt. Neque diutius Numidae resistere quivissent, ni pedites cum equitibus permixti magnam cladem in congressu facerent: quibus illi freti, non, uti equestri proelio solet, sequi, dein cedere; sed advorsis equis concurrere,

---

perque remp. obs., ne—. Boni librarii autem suo arbitrio expleverunt locum ex c. 71. extr. infra.

7. *Inultos abire.*] Infra c. 70., " *Inultis* hostibus ne ager vastaretur." c. 79. " Omnia malle, quam victi *abire.*"

LIX. 1. *Qua regis adventus.*] Abjeci *erat*, Harl. 3. sequutus.

2. *Pro castris agitare.*] Sc. *praesidium:* supra c. 55., " Cohortes cum omni equitatu *praesidium agitabant.*" Absolute infra c. 94., " Pro muro dies noctesque *agitare.*

3. *Uti superiore die.*] Cod. M.S. omnes *uti* et hic, et infra, *uti equestri proelio:* utroque loco ed. Cortiana *ut.*

4. *Neque...quivissent, ni...facerent.*] Peculiari modo, monet Cortius, imperfectum tempus posuit, quia non tantum quod tunc factum fuisset, sed etiam quid moris sit, exponere voluit. Sic supra c. 54., " Id ea gratia *eveniebat*, quod praeter regios equites nemo omnium Numidarum ex fuga regem *sequitur.*"

5. *Advorsis equis.*] *Liv.* XXII.

implicare ac perturbare aciem; ita, expeditis peditibus suis, hostis paene victos dare.

LX. Eodem tempore apud Zamam magna vi certabatur. Ubi quisque legatus aut tribunus curabat, eo acerrume niti; neque alius in alio magis, quam in sese, spem habere: pariter oppidani agere: obpugnare, aut parare omnibus locis; avidius alteri alteros sauciare, quam semet tegere: clamor, permixtus hortatione, laetitia, gemitu, item strepitus armorum, ad coelum ferri: tela utrimque volare. Sed illi, qui moenia defensabant, ubi hostes paululum pugnam remiserant, intenti proelium equestre prospectabant: eos, uti quaeque Jugurthae res erant, laetos modo, modo pavidos, animadvorteres; ac, sicuti audiri a suis aut cerni possent,

---

46., "*Frontibus adversis* concurrendum erat."

6. *Expeditis peditibus suis.*] Per expeditos pedites. — *Victos dare:* Liv. VIII. 6., "Sic *stratas* legiones Latinorum *dabo*, quemadmodum legatum jacentem videtis." *Terent. Heaut.* V. 1. 77., "Si vivo, adeo *exornatum dabo*, Adeo *depexum*, ut, dum vivat, meminerit semper mei."

LX. 1. *Eo*—.] Ibi. *Cic. ad Brut.* 2., "Quinque autem cohortibus quid se nam facturum arbitratus est, quum tu *eo* quinque legiones ...haberes?"

2. *Pariter.*] Copulam tacitus abjecit Cortius; abest autem ea ab Harl. 3. et 9., item ed. Romana.

3. *Obpugnare, aut parare.*] Oppugnare alteri, alteri parare—quae scilicet urbs defendenda postulabat.

4. *Paululum pugnam remiserant.*] Delevi *modo*, auctoribus Harl. 3., 8., 17., quippe ex oratione Catonis huc adscitum: "Si *paululum modo* languere viderint."

5. *Intenti proelium equestre prospectabant.*] Sequitur pulcherrima hypotyposis, in qua Noster *Thucyd.* VII. 71. aemulatus est, atque adeo superavit.

6. *Sicuti audiri a suis aut cerni possent.*] Antiquitus impressi quidam *sicubi;* idque homo omnium, credo, quos umquam sustinuit terra, ineptissimus, administer Bipontinus, denuo inculcavit. At primum dubitare licet, an ab ulla parte oppidani a suis audiri et cerni planeque distingui possent:

monere alii, alii hortari, aut manu significare, aut niti corporibus, et huc, illuc, quasi vitabundi aut jacientes tela, agitare. Quod ubi Mario cognitum est (nam is in ea parte curabat), consulto lenius agere, ac diffidentiam rei simulare: pati Numidas sine tumultu regis proelium visere. Ita illis studio suorum adstrictis, repente magna vi murum adgreditur: et jam, scalis egressi, milites prope summa ceperant, quum oppidani concurrunt, lapides, ignem, alia praeterea tela ingerunt. Nostri primo resistere: deinde, ubi unae atque alterae scalae comminutae, qui supersteterant, adflicti sunt; ceteri, quoquo modo potuere, pauci integri, magna pars volneribus confecti, abeunt. Denique utrimque proelium nox diremit.

---

nam, spatii aliquantum interfuisse, ex superiori narratione constat; ubi, Metellus clamorem hostilem ab tergo quum accepisset, converso equo, non statim, quid rei esset, visu discrevit, sed, fugam ad se versum fieri quum animadvertisset, ita demum, judicio animi usus, suos agnovit. Deinde, an proeliantibus otium abundaret ad voces gestusque trepidantium oppidanorum excipiendos. Nunc vero depingit Sallustius hominum studio abstractorum motus quasi involuntarios, ad rationemque gelidam si quis ineptus velit revocare, ridiculos: at, *sicubi* rescribe, et transfixus concidit Sallustius. Sed Bipontini redemtoris ineptias non mihi proposui recensere: hujus loci elegantia quum animadvertenda esset, non ab re fuit simul hominis importunitatem retundere; quum praesertim etiam G. A. Tellerus, Berolinensis, (cujus editionem vix nunc obiter inspexi) istam lectionem cum *doctissimis* (ut ait) editoribus Bipontinis retinuerit, mireturque Cortium ne memoratu quidem dignam existimasse.—Harl. 1. et 15. *a suis audiri*; at undecimus delet *a suis*.

7. *Egressi.*] Infra c. 93., "Paulatim prope ad summum montis *egressus* est."

8. *Ingerunt.*] Sic *Liv.* II. 65., IX. 35., XXXVI. 18.

9. *Volneribus confecti.*] Transposito participio, cod. M. S. plures sequutus sum.

10. *Denique utrimque proelium nox diremit.*] Plaut. Amph. I. 1. 99., "Sed *proelium* id tandem *diremit nox* interventu suo." Historicorum exempla supervacaneum est afferre, quae passim obvia.

LXI. Metellus, postquam videt frustra inceptum, neque oppidum capi, neque Jugurtham, nisi ex insidiis, aut suo loco, pugnam facere, et jam aestatem exactam esse, ab Zama discedit, et in his urbibus, quae ad se defecerant, satisque munitae loco aut moenibus erant, praesidia imponit. Ceterum exercitum in provinciam, qua proxuma est Numidiae, hiemandi gratia collocat. Neque id tempus, ex aliorum more, quieti aut luxuriae concedit; sed, quoniam armis bellum parum procedebat, insidias regi per amicos tendere, et eorum perfidia pro armis uti, parat. Igitur Bomilcarem, qui Romae cum Jugurtha fuerat, et inde, vadibus datis, Massivae de nece judicium fugerat, quod ei per maxumam amicitiam maxuma copia fallendi erat, multis pollicitationibus adgreditur: ac primo efficit, uti ad se

---

LXI. 1. *Suo loco.*] Vide not. 20. ad c. 54. supra.

2. *Quae ad se defecerant.*] *Liv.* XXXIII. 36., " Castella inde duodetriginta *ad* consulem *defecerunt.*" Adde XXXV. 1., 17., 22.

3. *Qua proxuma est Numidiae.*] Vulgo *quae p. e. N.;* quomodo M.S. omnes: at alteram lectionem jam olim indicavit Ascensius, interpretans " quae, aut *qua parte* est proxima Numidiae:" quod si animadvertisset Cortius, non erat haec pro insulsa interpolatione habiturus. Et sic correxit etiam Bipontinus curator, nescio quo casu, nisi notam Ascensianam vidisset; adeo numquam iste operam mihi probavit, quoties voluit pro se ipse navare. Harl. 16. et 23. *q. p. N.*, omisso *est.*

4. *Massivae de nece judicium fugerat.*] Delevi *clam*, auctoribus Harl. 1., 2., 6., 22.; et nimis multa hic ex superiore narratione (c. 35.) repetita jam Cortius pronuntiavit. Collocationem autem exquisitiorem, quam restituit ille, *M. de n.*, pro vulg. *de M. n.*, agnoscunt etiam Harl. 9. et 14., item Burn.

5. *Inde ... judicium fugerat.*] *Plin.* XXXV. 3., " *Fugiens a Corintho injurias* tyranni." *Liv.* X. 47., " Qui, dicta die ... *fugerat in legationem*... populi *judicium.*"

6. *Per maxumam amicitiam maxuma copia*—.] Harl. 8. et 22. delent *maxumam*, eleganter.

7. *Adgreditur.*] Vide not. 5. ad c. 16. supra.

colloquendi gratia occultus veniat; dein, fide data, si Jugurtham vivum aut necatum tradidisset, fore, ut illi senatus impunitatem, et sua omnia concederet, facile Numidae persuadet, quum ingenio infido, tum metuenti, ne, si pax cum Romanis fieret, ipse per conditiones ad supplicium traderetur.

LXII. Is, ubi primum opportunum, Jugurtham anxium, ac miserantem fortunas suas, accedit; monet, atque lacrumans obtestatur, uti aliquando sibi liberisque, et genti Numidarum, optume meritae, provideat: omnibus proeliis sese victos, agrum vastatum, multos mortalis captos, occisos, regni opes comminutas esse: satis saepe jam et virtutem militum, et fortunam tentatam: caveat, ne, illo cunctante,

---

8. *Sua omnia concederet.*] *Liv.* XXIX. 30., " Missis,...qui Mezetulo, praeter impunitatem, *sua omnia* cum fide restitui sponderent." XLIII. 1., " Legatus... opulenta duo oppida vi atque armis coëgit in deditionem, *omnia*que iis *sua concessit.*" XLV. 6., " Si transirent ad Romanos, incolumitatem libertatemque et *sua omnia* servaturos."

9. *Facile Numidae persuadet, quum..., tum —.*] *Liv.* I. 34., " *Facile persuadet, ut* cupido honorum, *et* cui Tarquinii materna tantum patria esset." ubi nequeo quin obiter animadvertam, *materna patria* compositionem esse, quae homine Hibernico digna foret.

LXII. 1. *Miserantem.*] Vide not. 7. ad c. 23. supra.—Mox *aliquando:* v. n. 13. ad *Catil.* c. 52.

2. *Optume meritae.*] Vulgo *merenti*, quomodo Harl. 13., 15., 19., solummodo: at significantius *meritae*, id quod etiam *aliquando* poscere videtur.

3. *Multos mortalis captos, occisos.*] Ed. Cortiana *captos aut occisos;* sed ista particula elegantiam loci adfligit, et ex Harl. tres solummodo receptam habent: infra c. 87., " Videre fugientis *capi, occidi.*" et c. 101., " Sequi, fugere; *occidi, capi;* equi, viri adflicti." *Liv.* VII. 33., " Tum *capi, occidi* Samnis." *Cic. Phil.* XIV. 14., " Quum copias hostium...*profligarit, occiderit.*"—Mox Harl. 13. et 15. *saepe satis.*

4. *Caveat.*] Harl. 11. *cavere;* ceteri editam agnoscunt omnes: in contextu Cortiano autem legitur *caveret*, quum in adnotatione, vulgata lectione proposita, nihil moveat ipse.

Numidae sibi consulant. His atque talibus aliis ad deditionem regis animum impellit. Mittuntur ad imperatorem legati: Jugurtham imperata facturum, ac sine ulla pactione sese regnumque suum in illius fidem tradere. Metellus propere cunctos senatorii ordinis ex hibernis arcessiri jubet: eorum, atque aliorum, quos idoneos ducebat, consilium habet. Ita, more majorum, ex consilii decreto, per legatos Jugurthae imperat argenti pondo ducenta millia, elephantos omnis, equorum et armorum aliquantum. Quae postquam sine mora facta sunt, jubet omnis perfugas vinctos adduci: eorum magna pars, uti jussum erat, adducti; pauci, quum primum deditio coepit, ad regem Bocchum in Mauretaniam abierant. Igitur Jugurtha, ubi armis virisque et pecunia spoliatus, quum ipse ad imperandum Tisidium vocaretur, rursus coepit flectere animum suum, et ex mala conscientia digna timere. Denique, multis diebus per dubitationem consumtis, quum modo taedio rerum advorsarum omnia bello potiora duceret, interdum secum ipse reputaret, quam gravis casus in servitium ex regno foret; multis magnisque praesidiis nequidquam perditis, de integro bellum sumit. Romae senatus, de provinciis consultus, Numidiam Metello decreverat.

LXIII. Per idem tempus Uticae forte C. Mario per hostias dis supplicante, magna atque mirabilia portendi

---

5. *Jugurtham imperata facturum.*] Ita castigavit Cortius, judicium suum et usum Historicorum sequutus; vulgo *qui J. imp. f. dicerent:* similem castigationem nostram, sed quae optimo codice nititur, vide infra c. 108. Formula autem *imperata facere* jam supra est c. 46.

6. *Ad imperandum.*] Ut ultima imperia imponerentur, ad imperia accipienda. Mox Harl. 16. *flectere animum*, omisso pronomine.

7. *Omnia bello potiora.*] *Liv.* II. 39., "Plebes *omnia*, quam bellum, malebat." Vide not. 13. ad c. 20. supra.

LXIII. 1. *C. Mario ... suppli-*

haruspex dixerat: proinde, quae animo agitabat, fretus dis ageret: fortunam quam saepissume experiretur; cuncta prospera eventura. At illum jam antea consulatus ingens cupido exagitabat: ad quem capiundum, praeter vetustatem familiae, alia omnia abunde erant; industria, probitas, militiae magna scientia, animus belli ingens, domi modicus, lubidinis et divitiarum victor, tantummodo gloriae avidus. Sed is, natus et omnem pueritiam Arpini altus, ubi primum aetas militiae patiens fuit, stipendiis faciundis, non Graeca facundia, neque urbanis munditiis, sese exercuit: ita inter artis bonas integrum ingenium brevi adolevit. Ergo, ubi primum tribunatum militarem a populo petit, plerisque

---

cante,...haruspex dixerat.] Sc. *ei;* neque ex absoluta constructione assumtionem casus inusitatam esse pluribus docet Cortius. *Liv.* XXIX. 34., "Carthaginienses...*alio equitatu* per novum delectum *comparato*, Hannonem ... praeficiunt." Vulgo *supplicanti.*

2. *Quae animo agitabat.*] Malles *agitaret;* vide not. 3. ad *Catil.* c. 27. Loquutionem autem illustrat *Liv.* I. 36., " Atqui hoc *animo agitavi*, inquit, te novacula cotem discissurum." Adde XXIX. 1.

3. *Cuncta prospera eventura.*] *Liv.* XXI. 21., " Novis se obligat votis, si cetera *prospera evenissent.*" Sic idem XXVIII. 42., XXXVII. 47. Vide not. 8. ad *Catil.* c. 26.

4. *Capiundum.*] Adipiscendum Nepos in Phoc. c. 1., *capere summos magistratus.* Iterum Noster infra c. 85. n. 31.

5. *Industria, probitas*, etc.] *Vellei.* II. 11., " C. Marius, natus extremo loco, hirtus atque horridus, vitaque sanctus, quantum bello optimus, tantum pace pessimus, immodicus gloriae, insatiabilis, impotens, semperque inquietus."

6. *Animus ... victor.*] Vide not. 5. ad *Catil.* c. 5.

7. *Natus et o. p. Arpini altus.*] Metathesis paulo inusitatior est; ac malim *natus Arpinique o. p. altus:* v. n. 3. ad *Catil.* c. 53.

8. *Aetas militiae patiens.*] Ubi primum ipse Marius *per aetatem* militiae patiens fuit. Vocem elegantissimam *aetas* frustra damnant viri docti, Ciacconius et Cortius: v. n. 7. ad *Catil.* c. 3.

9. *Stipendiis faciundis...sese exercuit.*] Ubi non ab re fuisset obiter memorasse, eum bello Numantino Jugurtham socium militiae habuisse. *Vellei.* II. 9., " Quo quidem

faciem ignorantibus, facile notus, per omnis tribus declaratur. Deinde ab eo magistratu alium, post alium, sibi peperit; semperque in potestatibus eo modo agitabat, uti ampliore, quam gerebat, dignus haberetur. Tamen is, ad id locorum talis vir (nam postea ambitione praeceps datus est), petere non audebat. Etiam tum alios magistratus plebes, consulatum nobilitas inter se per manus tradebant. Novus nemo tam clarus, neque tam egregiis factis erat, quin is indignus illo honore, et quasi pollutus, haberetur.

LXIV. Igitur, ubi Marius haruspicis dicta eodem intendere videt, quo cupido animi hortabatur, ab Metello petundi gratia missionem rogat: cui quamquam virtus, gloria, atque

---

tempore juvenes adhuc Jugurtha ac Marius, sub eodem Africano militantes, in iisdem castris didicere, quae postea in contrariis facerent."

10. *Facile notus.*] Fama tamen omnibus notissimus. *Facile* pro *plane*, *omnino*, ut saepe: Cicero *facile princeps*, *facile deterrimus*, etc.—Supra *plerisque faciem ignorantibus*, expunxi *ejus*, Harl. 3. sequutus.

11. *Alium, post alium.*] Sic supra c. 55. extr.

12. *Ampliore, quam gerebat.*] H. e., ampliore, quam erat ea, quam gerebat. Sic infra c. 86., "Cum majore aliquanto numero, *quam decretum erat.*" Vide *Perizon. ad Sanctium* II. 10. 7.

13. *Ad id locorum.*] Ad id temporis; sic *Liv.* saepe, ut IX. 45., XXV. 19. et 32.: infra c. 72. *post id locorum.*

14. *Praeceps datus.*] H. e., datus *in* praeceps. *Tacit. Ann.* VI. 17., "Eversio rei familiaris dignitatem ac famam *praeceps dabat.*" et IV. 62. *praeceps trahere*, ubi vide *Wopk.*: at plene IV. 22. et VI. 49. *in praeceps jacere.*

15. *Per manus tradebant.*] *Liv.* V. 51., "Cum urbe simul positae *traditae*que *per manus*, religiones." et IX. 17., "Disciplina militaris, jam inde ab initiis urbis *tradita per manus.*"—*Tradebant* rescripsi ex Harl. 13. pro vulg. *tradebat*: et rei aptior multo numerus pluralis, quum intelligendi sint homines nobiles consulatum alius alii quasi per manus tradentes: in priore autem membro, ubi ordo potius plebeius intelligendus est, ceteros magistratus demandans, satis habendum erit *tradebat* subaudire: sed plebs proprie *mandabat*; vide infra c. 73. extr.

alia optanda bonis, superabant, tamen inerat contemtor animus et superbia, commune nobilitatis malum. Itaque primum, commotus insolita re, mirari ejus consilium, et quasi per amicitiam monere, ne tam prava inciperet, neu super fortunam animum gereret: non omnia omnibus cupiunda esse: debere illi res suas satis placere: postremo caveret id petere a populo Romano, quod jure negaretur. Postquam haec atque talia dixit, neque animus Marii flectitur, respondit, ubi primum potuisset per negotia publica, facturum sese, quae peteret. Ac postea saepius eadem postulanti fertur dixisse, Ne festinaret; satis

---

LXIV. 1. *Superabant.*] Supra c. 63., " Ad quem capiundum, praeter vetustatem familiae, alia omnia *abunde erant.*"

2. *Contemtor animus.*] Vide not. 5. ad *Catil.* c. 5.

3. *Neu super fortunam animum gereret.* Xenoph. Κυρου Π. VIII. 7. 3., Οὐδεπώποτε ἐπὶ ταῖς εὐτυχίαις ὑπὲρ ἄνθρωπον ἐφρόνησα.

4. *Quod jure negaretur*] Sic ed. Ven., Rom., Mediol., Ascens., omisso pronomine *illi*, quo non opus est iterato.

5. *Ne festinaret.*] Petere scilicet: sed addunt libri scripti impressique omnes *abire*, quod tamen ab ipso sensu alienum est. Nam, serius aliquanto si voluisset Metellus Marium ad consulatum proximis comitiis petendum abire, abire tamen; profecto absurdum foret, rationem afferre, cur non festinaret, satis mature illum cum filio suo (adolescentulo viginti annorum) petiturum. Infra autem pro *consulatum petiturum* in codice quodam reperit Cortius *cons. petere;* idque mihi persuasum est ex adnotatione marginali imprudenter suppositum esse, et voluisse interpretem ellipsin indicare, *Ne festinaret* [consulatum petere]; *satis mature illum cum filio suo consulatum petiturum.* Cortius autem *petere* "cum multa gravitate" pro *petiturum* dictum pronuntiavit, ut *habere* supra c. 14. n. 4.: at, in tam atroci contumelia, qualis ista gravitas esse posset, equidem non intelligo. Atque istud *abire* primo uncis incluseram, ut sensum saltem expedirem: postea vero ad Havercampi editionem quum accessissem, si forte in tanta farragine aliquid subsidii possem reperire, ecce! Gruteri adnotatiunculam video: " *Vox postrema tolli poterat, nec quidquam periret sententiae.*" nunc tanto viro auctore, etiam

mature illum cum filio suo consulatum petiturum. Is eo tempore contubernio patris ibidem militabat, annos natus circiter viginti. Quae res Marium, quum pro honore, quem adfectabat, tum contra Metellum, vehementer accenderat. Ita cupidine atque ira, pessumis consultoribus, grassari: neque facto ullo neque dicto abstinere, quod modo ambitiosum foret: milites, quibus in hibernis praeerat, laxiore imperio, quam antea, habere: apud negotiatores, quorum magna multitudo Uticae erat, criminose simul et magnifice de bello loqui; Dimidia pars exercitus sibi permitteretur, paucis die-

---

expungere ausus sum. Cujus admonitionem ne mireris Cortium neglexisse (nam ceteros, non adeo mirum), scias in Wassiana editione illam notulam deesse; unde credibile est, eam Cortium latuisse, diligentia Wassii nimis fretum: quamquam plane mirum est, in re manifesta illum monitore eguisse. Ceterum eo acerbius erat scomma Metelli, *Ne festinaret*, quod non modo non festinaverat Marius, sed, utpote homo novus, jam septimum annum post praeturam jacebat (*Cic. de Off.* III. 20.), antehac petere non ausus.—Harl. 2. *ut festinaret;* bene, si *ut* mirationem cum irrisione intelligas notare.

5. *Satis mature*, etc.] Harl. 18. *satis consulatum mature*—, et lubenter deleverim *consulatum:* 23. *satis illum mature.* Ed. Venetae et Ascens. *cum filio*, omisso pronomine.

7. *Pessumis consultoribus.*] *Liv.* VII. 40., "Quin omissis ira et spe, *fallacibus auctoribus*, nos ipsos nostraque omnia cognitae permittimus fidei?"

8. *Habere.*] Vide not. 14. ad *Catil.* c. 11.

9. *Dimidia...permitteretur.*] Si permitteretur. *Cic. ad Att.* XI. 2., "Quibus tibi videbitur, velim des literas meo nomine: nosti meos familiares: signum *requirent*, aut manum; dices me propter custodias ea vitasse." *Livius* XXI. 44., "Parum est, quod veterrimas provincias meas Siciliam et Sardiniam adimis: etiam Hispanias? et, inde *cessero*, in Africam transscendes." Adde *Horat. Serm.* I. 3. 15., II. 3. 292., 6. 39., et *Virg. Aen.* VI. 30. In illo autem *Ciceronis*, irreptitiam esse conjunctionem, vel Sallustius cuilibet poterit persuadere: *de Off.* III. 20., "C. Marius...Q. Metellum ... apud populum Romanum criminatus est: Bellum illum ducere, [*si*] se consulem fecissent, brevi tempore aut vivum aut mortuum Jugurtham se in potestatem

bus Jugurtham in catenis habiturum; ab imperatore consulto trahi, quod homo inanis et regiae superbiae imperio nimis gauderet. Quae omnia illis eo firmiora videbantur, quod diuturnitate belli res familiaris corruperant, et animo cupienti nihil satis festinatur.

LXV. Erat praeterea in exercitu nostro Numida quidam, nomine Gauda, Mastanabalis filius, Masinissae nepos, quem Micipsa testamento secundum heredem scripserat, morbis confectus, et ob eam causam mente paulum imminuta. Cui Metellus petenti, more regum uti sellam juxta poneret, item postea custodiae causa turmam equitum Romanorum, utrumque negaverat; honorem, quod eorum modo foret, quos populus Romanus reges adpellavisset; praesi-

---

populi Romani redacturum." Quod idem licet, arbitror, de illo *Liviano* quoque pronuntiare, I. 46., "*Si* sibi eum, quo digna esset, dii dedissent virum, domi se propediem visuram regnum fuisse." Item in illo ejusdem VI. 18., "*Si* singuli singulos aggressuri essetis, tamen acrius crederem vos pro libertate, quam illos pro dominatione, certaturos," particulam *Si* equidem graviter suspectam habeo. At X. 16., "Nihil abesse, *si* sit animus Etruscis, qui Porsenae quondam majoribusque eorum fuerit, quin—." quis ferat ignavissimam voculam, vim omnem orationis corrumpentem? Sed fortasse, transpositis literis, ut exstet pronomen *is*, non ineptam Livio adhibueris medicinam :—*Nihil abesse, is sit animus Etruscis, qui...fuerit, quin*—. Jam vero hanc ellipsin vidimus duplicem, neque parca manu illustravimus, supra c. 33. n. 7.

10. *Consulto trahi.*] *Liv.* V. 10., "Unum bellum annum jam tertium *trahi*, et *consulto* male geri, ut diutius gerant." Adde not. 6. ad c. 23. supra.

11. *Regiae superbiae.*] *Liv.* XXXIX. 4., "Inimicitias impotenti ac prope *regia* ira exercere."

12. *Res familiaris corruperant.*] Propter scilicet interclusa commercia.

LXV. 1. *In exercitu nostro.*] Harl. 14. et 17., delent *nostro :* 18. *in nostro ex.*

2. *Secundum heredem scripserat.*] *Horat. Serm.* II. 5. 47., "Leniter in spem Arrepe officiosus, ut et *scribare secundus Heres*, et, si quis casus puerum egerit Orco, In vacuum venias."

3. *Adpellavisset.*] *Liv.* XL. 58.

dium, quod contumeliosum in eos foret, si equites Romani satellites Numidae traderentur. Hunc Marius anxium adgreditur, atque hortatur, uti contumeliarum imperatoris cum suo auxilio poenas petat: hominem ob morbos animo parum valido secunda oratione extollit: Illum regem, ingentem virum, Masinissae nepotem: si Jugurtha captus aut occisus, imperium Numidiae sine mora habiturum: id adeo mature posse evenire, si ipse consul ad id bellum missus foret. Itaque et illum, et equites Romanos, milites et negotiatores, alios ipse, plerosque spes pacis impellit, uti Romam ad suos necessarios aspere in Metellum de bello scribant, Marium imperatorem poscant. Sic illi a multis mortalibus honestissuma suffragatione consulatus petebatur: simul ea tempestate plebes, nobilitate fusa per legem Mamiliam, novos extollebat. Ita Mario cuncta procedere.

LXVI. Interim Jugurtha, postquam, omissa deditione,

" Perseus, potitus regno...legatos Romam ad...petendum, ut rex ab senatu *appellaretur*, misit."

4. *Contumeliarum imperatoris.*] Ab imperatore illi impositarum. *Caes. de B. G.* I. 30., " Tametsi pro veteribus *Helvetiorum* injuriis populus R. ab iis poenas bello repetisset." Ita recte Cortius; vulgo *in imperatorem.*

5. *Illum regem, ingentem virum,* —.] Harl. 9. *illum ingentem virum, regis Masinissae nepotem esse;* nec 15. *regem* nisi in margine ostendit. Tertium autem sequutus, abjeci *esse.*

6. *Adeo mature.*] Sc. ut maturius non posset; hoc est, maturissime: sic infra c. 111., " Faciundum aliquid, quod illorum, quam sua, retulisse videretur: id *adeo* in promtu esse, quoniam Jugurthae copiam haberet." i. e., plane, omnino, admodum.—Mox Harl. 15., 16., 23., et Regius, *ad bellum,* omisso pronomine.

7. *Equites Romanos.*] Intellige, monente Cortio, *publicanos,* qui ex equestri ordine nimirum vectigalia conducerent. *Vellei.* II. 11., " Per *publicanos* aliosque in Africa negotiantes, criminatus Metelli lentitudinem."

8. *Honestissuma suffragatione.*] Sc., quum ipse abesset, necdum honorem affectare videretur.

9. *Legem Mamiliam.*] De qua supra c. 40.

bellum incipit, cum magna cura parare omnia, festinare: cogere exercitum; civitatis, quae ab se defecerant, formidine, aut ostentando praemia, adfectare; communire suos locos; arma, tela, alia, quae spe pacis amiserat, reficere, aut commercari; servitia Romanorum adlicere, et eos ipsos, qui in praesidiis erant, pecunia tentare: prorsus nihil intactum neque quietum pati: cuncta agitare. Igitur Vagenses, quo Metellus initio, Jugurtha pacificante, praesidium imposuerat, fatigati regis suppliciis, neque antea voluntate alienati, principes civitatis inter se conjurant: nam volgus, uti plerumque solet, et maxume Numidarum, ingenio mobili, seditiosum atque discordiosum erat, cupidum novarum rerum, quieti et otio advorsum. Dein, compositis inter se rebus, in diem tertium constituunt, quod is, festus celebratusque per omnem Africam, ludum et lasciviam

---

LXVI. 1. *Postquam...incipit.*] Vide not. 7. ad c. 38. supra.

2. *Civitatis...adfectare.*] *Tacit. Hist.* IV. 66., " Civilis...proximas civitates *affectare*, aut adversantibus bellum inferre, statuit."

3. *Vagenses, quo—.*] *Liv.* VI. 21., " *Lanuvini* etiam, *quae* fidelissima *urbs* fuerat, subito exorti."

4. *Fatigati regis suppliciis.*] *Liv.* XXVII. 50., " Matronae...*suppliciis* votisque *fatigare* deos." Adde not. 8. ad c. 11. supra.

5. *Vagenses,...principes civitatis inter se conjurant.*] Anacoluthia potius, quam epanalepsis, quo nomine vocat Cortius, figura est: nam non idem *Vagenses* conjurant, et *principes civitatis Vagensis* conjurant. *Inter se* autem, quod Cortius suspectum habuit, Harl. 11. non agnoscit; neque idem infra duodecimus, *compositis inter se rebus.*

6. *In diem tertium constituunt.*] Sic codices M. S. omnino omnes; neque est, cur cum Cortio, omissa praepositione, *diem constituunt* jungamus. *Terent. Andr.* I. 5. 34., " Olim *in* hunc (diem) sunt *constitutae* nuptiae." *Cic. de L. Agrar.* I. 2. " Auctio...*constituta in* mensem Januarium." Absolute *Tacit. Germ.* c. 11., " Sic *constituunt*, sic condicunt." et *ibid.* c. 22., " Deliberant, dum fingere nesciunt; *constituunt*, dum errare non possunt."—Mox Harl. 1., 8., 11., 13., *festus*, *celebratus*, sine copula.

magis, quam formidinem, ostentabat. Sed, ubi tempus fuit, centuriones tribunosque militares, et ipsum praefectum oppidi, T. Turpilium Silanum, alius alium, domos suas invitant: eos omnis praeter Turpilium inter epulas obtruncant; postea milites, palantis, inermos, quippe in tali die ac sine imperio, adgrediuntur. Idem plebes facit, pars edocti ab nobilitate, alii studio talium rerum incitati, quis, acta consiliumque ignorantibus, tumultus ipse et res novae satis placebant.

LXVII. Romani milites, improviso metu incerti ignarique, quid potissumum facerent, trepidare: arcem oppidi, ubi signa et scuta erant, praesidium hostium, portae ante clausae fugam prohibebant: ad hoc mulieres puerique pro tectis aedificiorum saxa, et alia, quae locus praebebat, certatim mittere. Ita neque caveri anceps malum, neque a fortissumis infirmissumo generi resisti posse: juxta boni malique, strenui et imbelles, inulti obtruncati. In ea tanta asperitate, saevissumis Numidis et oppido undique clauso, Turpilius praefectus unus ex omnibus Italicis profugit.

---

7. *Quippe...sine imperio.*] Vide not. 15. ad c. 54. supra.

8. *Satis placebant.*] Harl. 1. et 11. omittunt *satis*.

LXVII. 1. *Romani...trepidare: arcem oppidi...praesidium hostium, portae ante clausae fugam prohibebant.*] Ita locum constitui, volentibus Harl. 1., 2., 6., 8., 9., 12., 14., 15., 17., 19., 20., 21., 23.: vulgo *trepidare ad arcem*, i. e., pergebant trepidanter confugere ad arcem. Verum enim vero illud vehementer repugnat, eosdem et incertos ignarosque fuisse, quid potissimum facerent, et quiddam potissimum fecisse! Intelligendum igitur, *arce* Romanos praesidium hostium, portas oppidi ante clausas *fuga*, prohibuisse.

2. *Anceps malum.*] Duplex; ut *Catil.* c. 29.

3. *Turpilius praefectus.*] Ed. Cortianae deest *praefectus*; scripti autem id nomen servant omnes, et significanter posuit Sallustius, ut innueret proditionem.

4. *Unus ex omnibus Italicis*

Id misericordiane hospitis, an pactione, an casu, ita evenerit, parum comperimus; nisi, quia illi in tanto malo turpis vita fama integra potior, improbus intestabilisque videtur.

LXVIII. Metellus, postquam de rebus Vagae actis comperit, paulisper moestus e conspectu abit; deinde, ubi ira et aegritudo permixta, cum maxuma cura ultum ire injurias festinat. Legionem, cum qua hiemabat, et, quam plurimos potest, Numidas equites pariter cum occasu solis expeditos educit; et postera die circiter horam tertiam pervenit in quamdam planitiem, locis paulo superioribus circumventam. Ibi milites, fessos itineris magnitudine, et jam abnuentis omnia, docet, oppidum Vagam non amplius mille passuum abesse; decere illos reliquum laborem aequo animo pati, dum pro civibus suis, viris fortissumis atque miserrumis, poenas caperent: praeterea praedam benigne ostentat. Sic animis eorum arrectis, equites in primo late, pedites quam artissume ire, signa occultare, jubet.

---

profugit.] Impressi omnes *profugit intactus:* M. S. plures *intactus profugit;* at Harl. 13. interpolationem rejecit, quam ex c. 54. supra adscitam cognoscas: "Nemo omnium *intactus profugit.*" Nec satis mirari queo, editores omnes vulgatam lectionem aequo animo tulisse, quum ex c. 69. constet, praeter Turpilium neminem, ne vulneratum quidem, profugisse: "Turpilius, quem, praefectum oppidi, *unum ex omnibus profugisse* supra ostendimus,—."

5. *Nisi, quia..., improbus intestabilisque videtur.*] Quasi dixisset—parum comperimus, nisi credibile esse, qui potuerit in tanto malo vitae consulere, potuisse eumdem cum hostibus pacisci. Vide not. 7. ad c. 24. supra.

LXVIII. 1. *Ubi ira et aegritudo permixta.*] Vide not. 4. ad *Catil.* c. 20.

2. *Abnuentis omnia.*] *Liv.* XXVII. 49., "Ille fessos *abnuentesque* taedio et labore, nunc precando, nunc castigando, accendit."

3. *Non amplius mille passuum.*] Sc. *spatio.*

4. *Poenas caperent.*] *Liv.* II. 5., "*Poenae capiendae* ministerium patri de liberis consulatus impo-

LXIX. Vagenses ubi animum advortere, ad se vorsum exercitum pergere, primo, uti erat res, Metellum rati, portas clausere; deinde, ubi neque agros vastari, et eos, qui primi aderant, Numidas equites vident, rursum Jugurtham arbitrati, cum magno gaudio obvii procedunt. Equites peditesque, repente signo dato, alii volgum effusum oppido caedere; alii ad portas festinare; pars turris capere: ira atque praedae spes amplius, quam lassitudo, posse. Ita Vagenses biduum modo ex perfidia laetati: civitas magna et opulens poenae cuncta, aut praedae, fuit. Turpilius, quem, praefectum oppidi, unum ex omnibus profugisse supra ostendimus, jussus a Metello causam dicere, postquam sese parum expurgat, condemnatus verberatusque, capite poenas solvit: nam is civis ex Latio erat.

LXX. Per idem tempus Bomilcar, cujus impulsu Jugurtha deditionem, quam metu deseruit, inceperat, suspectus regi, et ipse suspiciens, novas res cupere: ad perniciem ejus dolum quaerere; diu noctuque fatigare animum:

---

suit." Adde *Curt.* IV. 6. sub fin.

LXIX. 1. *Ad se vorsum.*] Supra c. 58., " Animadvortit, fugam *ad* se *vorsum* fieri."

2. *Uti erat res.*] *Liv.* XXX. 12., " Regem esse, *id quod erat*, rata." —Continuo recte Harl. 13. *Metellum rati*, sine *esse*, quod jam Cortius, invitis libris, delevit.

3. *Et eos, qui primi aderant,*—.] Harl. 1. *et eos primos Numidas equites vident*, vulgari lectione interpolata: unde rescribendum fortasse, *et primos N. e. v.*

4. *Equites peditesque.*] Copulam Harl. 8. abjecit.

5. *Turpilius, quem, praefectum oppidi,*—.] Vide not. 4. ad *Catil.* c. 61.

6. *Nam is civis ex Latio erat.*] Proptereaque praesidio legis Porciae carens; quamquam quatenus ea in castris valeret, non fere constat.

LXX. 1. *Suspectus regi, et ipse suspiciens.*] Vulgo *et ipse eum suspiciens:* Harl. 11. *et ipse regem susp.;* 14. *et ipse susp. eum;* 15. *et eum ipse susp.;* qui tres pronomen istud jam satis superque damnatum optimo tertio interficiendum

denique, omnia tentando, socium sibi adjungit Nabdalsam, hominem nobilem, magnis opibus, clarum, acceptumque popularibus; qui plerumque seorsum ab rege exercitum ductare, et omnis res exsequi solitus erat, quae Jugurthae fesso, aut majoribus adstricto, superaverant; ex quo illi gloria opesque inventae. Igitur utriusque consilio dies insidiis statuitur: cetera, uti posceret res, ex tempore parari placuit. Nabdalsa ad exercitum profectus, quem inter hiberna Romanorum jussus habebat, inultis hostibus ne ager vastaretur.

---

tradunt, hic enim plane sincerus evasit: sed nec 23. nisi in margine ostendit. *Liv.* XXIII. 17., " Ibi quum dies aliquot, *suspecti Campanis, timentesque*, cavendis ac struendis invicem insidiis traduxissent; —." Sed idem Livius interpretis operam perpessus est XXI. 43., " Pugnabitis cum exercitu tirone, ...*ignoto* adhuc *duci* suo, *ignorantique* [ducem]." *Tacit. Hist.* III. 25., " Dum semianimem scrutatur, *agnitus agnoscensque*."

2. *Clarum, acceptumque popularibus.*] Abjeci *suis*, Harl. 13. sequutus, et *Tacitum Ann.* XII. 29., " Prima imperii aetate *clarus acceptusque popularibus*, mox —." Qui idem Cortium redarguit, ex arbitrio suo *carum* rescribentem, quia ita Noster supra c. 12., item c. 108. infra. Nunc vero ratio aliqua habenda est *personae*, apud Nostrum imperatoris, apud Tacitum regis: nec satis video argumenti, a codicum lectione cur discedam. Recte autem idem Cortius distinxit post *opibus*.

3. *Superaverant.*] Superfuerant. *Liv.* XLV. 23., " Quid igitur *superat*, quod purgemus?"

4. *Ex quo...inventae.*] *Cic. in Toga Candida*, " Quum *ex* eodem stupro tibi et uxorem et filiam *invenisti*."

5. *Uti posceret res.*] Ita Harl. 1., nomine postposito: supra c. 69., *uti erat res*.

6. *Inter hiberna Romanorum.*] Eorum scilicet, qui in oppidis praesidii causa hiemabant: vide c. 61. supra.

7. *Jussus habebat.*] *Liv.* III. 29., " Ita se Minucius abdicat consulatu, *jussus*que ad exercitum *manet*." —*Habere inter*, ut supra c. 50. *habere post*.

8. *Inultis hostibus ne ager vastaretur.*] Ab inultis. Ita Harl. 12. et 14., item Guelf. 4. apud Cortium; vulgo *ne a.*, *inu. h.*, *v.*: infra h. c., " Praemia Metelli in pestem *ne* convorteret." adde *Catil.* I. 4. *Inultis*: damno ipsis carenti-

Is postquam, magnitudine facinoris perculsus, ad tempus non venit, metusque rem impediebat, Bomilcar, simul cupidus incepta patrandi, et timore socii anxius, ne, omisso vetere consilio, novum quaereret, literas ad eum per homines fidelis mittit: mollitiem secordiamque viri accusare; testari deos, per quos juravisset; praemia Metelli in pestem ne convorteret: Jugurthae exitium adesse; ceterum, suane an virtute Metelli periret, id modo agitari: proinde reputaret cum animo suo, praemia, an cruciatum, mallet.

LXXI. Sed, quum hae adlatae, forte Nabdalsa, exercito corpore fessus, in lecto quiescebat; ubi, cognitis Bomilcaris verbis, primo cura, deinde, uti aegrum animum solet, somnus cepit. Erat ei Numida quidam, negotiorum curator, fidus acceptusque, et omnium consiliorum, nisi novissumi, particeps. Qui postquam adlatas audivit, ex consuetudine ratus opera aut ingenio suo opus esse, in tabernaculum introivit; dormiente illo, epistolam, super caput in pulvino temere positam, sumit ac perlegit; dein propere, cognitis insidiis,

---

bus. *Curt.* III. 4., "Jugum itineri imminens obtinere, unde *inultus* subeuntem prohibere potuisset." adde supra c. 58.

9. *Ad tempus non venit.*] *Cic. pro Caec.* 12., *ad constitutum venire.*

10. *Reputaret cum animo suo.*] Infra c. 85., "*Reputate cum animis vestris*, num —."

11. *Praemia, an cruciatum, mallet.*] Non placet Cortii conjectura, *proinde reputaret c. a. s. praemia et cruciatum.* Eleganter verbum *malle* in iis rebus adhibetur, quarum tam abominanda altera, quam altera optanda: v. n. 8. ad c. 32. supra.

LXXI. 1. *Quum hae adlatae.*] *Literae* cum Harl. 23., et probante Cortio, delevi.

2. *Uti aegrum animum solet.*] Scribe omnino ex Cortii conjectura *aegrum animi:* ita *Liv.* I. 58., II. 36., XXX. 15.: adde not. 8. ad c. 55. supra.

3. *Qui postquam adlatas audivit.*] Iterum delevi *literas*, Harl. 9., et Vratisl. 2. apud Cortium, sequutus; accedit etiam Harl. 21., in quo vox irreptitia alium locum occupavit.

4. *In pulvino temere positam.*] Harl. 1. et 16. *in pulvinar.*

ad regem pergit. Nabdalsa, post paulo experrectus, ubi neque epistolam reperit, et rem omnem, uti acta, cognovit, primo indicem persequi conatus; postquam id frustra fuit, Jugurtham placandi gratia accedit: quae ipse paravisset, perfidia clientis sui praeventa: lacrumans obtestatur per amicitiam, perque sua antea fideliter acta, ne super tali scelere suspectum sese haberet.

LXXII. Ad ea rex aliter, atque animo gerebat, placide respondit. Bomilcare, aliisque multis, quos insidiarum socios cognoverat, interfectis, iram oppresserat, ne qua ex negotio seditio oriretur. Neque post id locorum Jugurthae dies aut nox ulla quieta fuere: neque loco, neque mortali cuiquam, aut tempori, satis credere; civis, hostis, juxta me-

---

5. *Frustra fuit.*] Vide not. 8. ad c. 7. supra.

6. *Quae ipse paravisset.*] Recte Cort. abjecit *facere:* supra c. 11. extr., " Ira et metu anxius, moliri, *parare.*"

LXXII. 1. *Aliter ... placide respondit.*] Harl. 1. *placide* habet in margine adscriptum; tertius autem omnino non agnoscit: et tamen probam illam quasi-interpretationem existimo. Supra c. 19., " Alios *incultius vagos* agitare." i. e., Alios *incultius* agitare, scilicet *vagos.* Sed apposite magis c. 11., " Ad ea Jugurtha, tametsi ... longe aliter animo agitabat, tamen *pro tempore benigne* respondit." i. e., ita uti tempus postulabat, sc. benigne. Et *Catil.* c.60., " Videt Catilinam *contra, ac ratus erat, magna vi* tendere."

2. *Quos insidiarum socios —.*] Collocationem recepi ex Harl. 15., 17., 20., et Regio; vulgo *q. s. ins.:* Harl. 23. autem deest *insidiarum.* —Mox Harl. 12. et a prima manu 18., ab altera 16., *oppressit,* quod ita placere posset, si supra legeretur *respondet.*

3. *Ne qua ex negotio.*—] Vulgo *ex eo negotio:* pronomen autem abesse malebat Cortius; idque ego, Harl. 11. animum augente, delevi: sic supra c. 6., " Vehementer *negotio* permotus." item infra c. 93. extr.

4. *Post id locorum.*] Postea; vide not. 13. ad c. 63. supra.—*Quieta fuere:* ita Cort.; vulgo *q. fuit:* v. n. 4. ad *C.* c. 20.

5. *Loco...mortali...tempori.*] *Liv.* XL. 3., " His ferox animus omnes *homines,* omnia *loca temporaque* suspecta habebat." Conf. *Catil.* c. 31.

tuere; circumspectare omnia, et omni strepitu pavescere; alio atque alio loco, saepe contra decus regium, noctu requiescere; interdum, somno excitus, arreptis armis tumultum facere: ita formidine, quasi vecordia, exagitari.

LXXIII. Igitur Metellus, ubi de casu Bomilcaris et indicio patefacto ex perfugis cognovit, rursus, tamquam ad integrum bellum, cuncta parat festinatque. Marium, fatigantem de profectione, simul et invitum, et offensum sibi, parum idoneum ratus, domum dimittit. Et Romae plebes, literis, quae de Metello ac Mario missae erant, cognitis, volenti animo de ambobus acceperant. Imperatori nobilitas, quae antea decori, invidiae esse; at illi alteri generis humilitas favorem addiderat: ceterum in utroque magis studia partium, quam bona sua, aut mala, moderata. Praeterea

---

6. *Alio atque alio loco.*] Formulam illustravi *Doctr. Copular. L. L.* c. I. n. 118.: adde not. 2. ad c. 87. infra. — Mox Harl. 3. delet *noctu.*

LXXIII. 1. *Rursus, tamquam* etc.] Harl. 16., *rursus, bellum tamquam ad integrum, parat cuncta festinatque.*

2. *Invitum.*] Qui non modo invitus manebat, quum Romam proficisci ad consulatum petendum animo arderet, sed manens, invitus administrabat.

3. *Offensum sibi.*] Quem inter et semet offensio intercederet. Pronomen frustra delet Harl. 11.

4. *Et Romae plebes* —.] Copulam Harl. 13. non agnoscit: supra c. 62. extr., " *Romae* senatus —." et infra c. 104., " *Romae* legatis—."

5. *Volenti animo de ambobus acceperant.*] H. e., volenti animo ὄντα (v. n. 15. ad c. 54. supra), quae erant animo eorum volenti. *Tacit. Hist.* III. 52., " Iique omnes de festinatione Primi ac Vari sinistre et Muciano *volenti* rescripsere." Ita recte interpretatur Cortius, quum vulgo sextum casum intelligant: Graeca enim structura est; vide not. 9. ad c. 84. infra.

6. *Addiderat.*] *Catil.* c. 54., " Huic severitas dignitatem *addiderat.*"

7. *Bona sua, aut mala.*] Sic Harl. 3., 11., 18., elegantius; vulgo *bona, aut mala sua:* vide not 5. ad c. 54. supra.

magistratus seditiosi volgum exagitare, Metellum omnibus concionibus capitis arcessere, Marii virtutem in majus celebrare. Denique plebes sic accensa, uti opifices agrestesque omnes, quorum res fidesque in manibus sitae erant, relictis operibus, Marium frequentarent, et sua necessaria post illius honorem ducerent. Ita, perculsa nobilitate, post multas tempestates novo homini consulatus mandatur: et postea populus, a tribuno plebis, Manilio Mancino, rogatus, QUEM VELLENT CUM JUGURTHA BELLUM GERERE, frequens Marium jussit. Senatus paulo ante Metello decreverat: ea res frustra fuit.

LXXIV. Eodem tempore Jugurtha, amissis amicis, quorum plerosque ipse necaverat, ceteri formidine, pars ad

---

8. *Magistratus seditiosi.*] Tribuni plebis scilicet. Adjectivum autem postposui, Harl. 3. monente.

9. *In majus celebrare.*] *Tacit. Ann.* XIII. 8., "Sed apud senatum omnia *in majus* celebrata sunt sententiis eorum, qui —." Adde *ibid.* III. 12., 44., IV. 23., XV. 30., et *Hist.* I. 52., III. 7., 38.: sic *Livius* quoque XXVIII. 31., XXIX. 4.; addidit autem *vero* idem XXI. 32.

10. *Quorum res fidesque* —.] *Cic. in Catil.* II. 5., "*Res* eos jam pridem, fides deficere nuper coepit." Noster III. *Hist.* Epist. Pompeii, "Ego non *rem familiarem* modo, verum etiam *fidem*, consumsi." Harl. 11. *res, fides*, sine copula; idemque supra omisit *omnes*.

11. *Relictis operibus, Marium frequentarent.*] Sic Harl. 3.; vulgo *freq. Marium.* Ceterum hic eadem illa concinnitas agnoscenda est, quam saepius jam animadvertimus (vide not. 3. ad *Catil.* c. 2.): q. d., relinquerent *opera*, *Marium* frequentarent.

12. *Novo homini consulatus mandatur.*] *Hor. Serm.* I. 6. 19., "Namque esto, populus Laevino mallet *honorem* Quam Decio *mandare novo.*"

13. *Rogatus, quem vellent* —.] Sic Harl. 11., recte et ex formula rogationis: vulgo *vellet.*

14. *Senatus...Metello decreverat.*] Sc. bellum; et recte Cortius delevit *Numidiam.*

15. *Ea res frustra fuit.*] Vide not. 8. ad c. 7. supra.

LXXIV. 1. *Quorum plerosque ipse necaverat.*] Harl. 9. delet *ipse;* et videtur pronomen istud sensum

Romanos, alii ad regem Bocchum, profugerant; quum neque bellum geri sine administris posset, et novorum fidem in tanta perfidia veterum experiri periculosum duceret, varius incertusque agitabat; neque illi res, neque consilium, aut quisquam hominum satis placebat: itinera, praefectos, in dies mutare; modo advorsum hostis, interdum in solitudines pergere; saepe in fuga, ac post paulo spem in armis habere; dubitare, virtuti popularium, an fide, minus crederet: ita, quocumque intenderat, res advorsae erant. Sed, inter eas moras, repente sese Metellus cum exercitu ostendit. Numidae ab Jugurtha pro tempore parati instructique: dein proelium incipitur. Qua in parte rex adfuit, ibi aliquamdiu certatum; ceteri primo concursu

---

illudere, nam haec sola verba intuens, putares, ceteros illius amicos bello aliove casu absumtos fuisse, potius quam vivos integrosque profugisse.

2. *Quum neque..., et novorum—.*] Impressi quidam *novorumque;* quae formula nec ipsa exemplis caret: vide *Doctr. Copularum* c. III. n. 85.

3. *Varius incertusque agitabat.*] Versabatur. *Liv.* VII. 24., "Consul, dum inter primores incautus *agitat*, laevo humero matari prope trajecto, cesserat parumper ex acie." *Tacit. Ann.* I. 50., "Laeti, neque procul, Germani *agitabant*, dum justitio ob amissum Augustum, post discordiis, attinemur." et XI. 21., "Dum in oppido Adrumeto vacuis per medium diei porticibus secretus *agitat*."

4. *Itinera, praefectos.*] Sic Harl. 13., item unus ex Cortianis, abjecta copula.

5. *Fide.*] Pro *fidei*, ut supra c. 16. n. 4.—Mox Harl. 13. *res adversae*, omisso *erant*.

6. *Qua in parte rex adfuit.*] Ita recte Cortius, omisso *pugnae;* vide c. 45. sub fin. supra.

7. *Ceteri primo concursu—.*] Vulgo *ceteri omnes ejus milites.* Gruterus autem et Cortius jam merito voces *ejus milites* ejiciendas censuerunt. Ceterum miror, eosdem de *omnes* nihil monuisse; nam, quum videam hoc a cod. M. S. novem abesse, Harl. 8., 11., 12., 14., 15., 16., 17., Regio, Burneiano, vix mihi credibile est illorum omnibus inhaesisse: et infra c. 113., "*Ceteri* obtruncati:" cur non *ceteri omnes?* quia noluit Sallustius oti-

pulsi fugatique. Romani signorum et armorum aliquanto numero, hostium paucorum potiti: nam ferme Numidas in omnibus proeliis pedes magis, quam arma tutata sunt.

LXXV. Ea fuga, Jugurtha, impensius modo rebus suis diffidens, cum perfugis et parte equitatus in solitudines, dein Thalam pervenit, in oppidum magnum et opulentum, ubi plerique thesauri, filiorumque ejus multus pueritiae cultus erat. Quae postquam Metello comperta, quamquam inter Thalam flumenque proxumum, spatio millium quinquaginta, loca arida atque vasta cognoverat, tamen spe

---

osam vocem adhibere. Pronomen *ejus* autem omittunt Harl. 3., 15., 17., 23.: *milites* libri mordicus tenent omnes. Duo igitur codices, Harl. 15. et 17., *ceteri milites* nude; quibus vel solis indicantibus, licuisset locum purgare; quem proinde purgavi. — *Primo concursu:* sic Cort. et Harl. 13.; vulgo *congressu.*

8. *Aliquanto numero, hostium paucorum.*] Ita locum bene restituit Cortius; vulgo *et a. n. hostium potiti*, omissa voce, quam scripti agnoscunt omnes: vide not. 2. ad *Catil.* c. 33.

9. *Tutata sunt.*] Gruterus, Cortius, *tuta sunt;* idemque ipse recepi supra c. 52., ubi de eventu unius proelii dicitur. Hoc loco animadvertere debebant viri doctissimi, rem ipsam illud alterum verbum, utpote frequentativae significationis, postulare—*in omnibus proeliis.* Iterum *tuta* importune, ut mihi quidem videtur, recepit Cortius infra c. 85. sub fin., " Quae *ad hoc tempus* Jugurtham tutata sunt, omnia removistis."

LXXV. 1. *Ea fuga.*] Sc. facta. —*Impensius modo:* vide not. 8. ad c. 47. supra.

2. *Thalam pervenit, in oppidum—.*] Praepositio Harl. 12. deest, eamque frustra censuit Gruterus ejiciendam. *Livius* III. 58. " Qui ... *Regillum, antiquam in patriam,* se contulerat." et XLIV. 13., " Eumenes ... *Pergamum in regnum* abit." *Tacit. Ann.* XII. 51., " Ipse praeceps *Iberos, ad patrium regnum,* pervadit." Cortius autem haec omnia, *in opp. m. et o.*, immerito damnavit, quae mihi videtur vel praepositio ipsa satis tutari.

3. *Vasta cognoverat.*] Infinititum verbi substantivi, Harl. 6. et 23. sequutus, delevi: sic supra c. 46., " Postquam *opportunos cognovit.*" 56., Post paulo *cognoscit,* Marium ... Siccam *missum.*" 72.,

patrandi belli, ejus oppidi si potitus foret, omnis asperitates supervadere, ac naturam etiam vincere, adgreditur. Igitur omnia jumenta sarcinis levare jubet, nisi frumento dierum decem: ceterum utris modo et alia aquae idonea portari. Praeterea conquirit ex agris quam plurimum potest domiti pecoris; eo imponit vasa cujusque modi, pleraque lignea,

---

" Quos insidiarum *socios cognoverat.*" alibi.

4. *Ejus oppidi si potitus foret.*] Sic Harl. 8. et 12., postposita conjunctione: infra c. 85., "*Alii si* deliquere—." vide not. 3. ad *Catil.* c. 60. Cortius autem haec omnia pro irreptitiis habet, uncisque inclusit, frustra.

5. *Omnia jumenta.*] Harl. 9. *jumenta omnia*; 16. autem omisit *omnia.*

6. *Sarcinis levare jubet.*] Sic Harl. 13., item Fabriciani apud Cortium, quem miror vulgatum *levari* retinere potuisse, quum et causa corruptionis in aperto sit, subsequens videlicet *portari*, et probe omnino eleganterque usurpetur verbum *jubere* cum infinitivo activae vocis, nomine personali omisso. *Liv.* XXV. 11., "Tum Hannibal Tarentinos sine armis *convocare jubet.*" sc. praecones. *Idem* XXXIV. 39., "Quinctius, postquam, quid rei esset, vidit, receptui *canere jussit.*" sc. tubicines. *Tacit. Hist.* I. 38., "*Aperire* deinde armamentarium *jussit.*" sc. eos, quorum officium erat. *Horat. Od.* II. 3. 14., "Flores amoenae *ferre jube* rosae." sc. pueros, servos. Porro eleganter *levare—portari.* Caes. de B. C. I. 61., "Hoc inito consilio, toto flumine Ibero naves *conquirere*, et Octogesam *adduci*, jubent." ubi plura Oudendorpius. *Cic. de Div.* I. 35., "Itaque signa *convelli*, et se *sequi*, jussit." *Sulpic. Sever. H. S.* II. 11. 4., "Multis increpitos, *renuntiare* istiusmodi matrimoniis, et filios ex hisce susceptos *extrudi*, jubet." quae duo exempla inter alia adduxit *Wopkens. Lect. Tull.* III. 13., enallagen vocis illustrans. *Virg. Aen.* V. 772., "Tres Eryci vitulos, et Tempestatibus agnam, *Caedere* deinde jubet, *solvi*que ex ordine funem." adde *Georg.* I. 130., ibique clariss. *Burmannum* vide; item eumd. ad *Aen.* II. 3. Noster *Catil.* c. 51. extr.. "Placet igitur *dimitti*, et *augere* exercitum Catilinae?" ubi vide.

7. *Eo imponit*—.] Sic, abjecta copula, Harl. 1., 2., 6.; ut infra "eo modo instructus—," et passim. *Eo* autem adverbialiter positum, ut supra c. 66., "Vagenses, *quo* Metellus... praesidium imposuerat." Nisi malis pro antiquo dativo accipere: vide *Perizon.* ad *Sanctii Minerv.* III. 14. 39.

collecta ex tuguriis Numidarum. Ad hoc finitumis imperat, qui se post regis fugam Metello dederant, quam plurimum quisque aquae portarent; diem, locumque, ubi praesto fuerint, praedicit. Ipse ex flumine, quam proxumam oppido aquam supra diximus, jumenta onerat: eo modo instructus, ad Thalam proficiscitur. Deinde, ubi ad id loci ventum, quo Numidis praeceperat, et castra posita munitaque sunt, tanta repente coelo missa vis aquae dicitur, ut ea modo exercitu satis superque foret. Praeterea commeatus spe amplior; quia Numidae, sicuti plerique in nova deditione, officia intenderant. Ceterum milites, religione, pluvia magis usi; eaque res multum animis eorum addidit; nam rati, sese dis immortalibus curae esse. Deinde postero die, contra opinionem Jugurthae, ad Thalam perveniunt. Oppidani, qui se locorum asperitate munitos crediderant, magna atque insolita re perculsi, nihilo segnius bellum parare: idem nostri facere.

---

8. *Quo Numidis praeceperat.*] Scilicet, ut aquam comportarent, ut intelligit Cortius; at rectius, credo, ex antecedente *ventum* elicias *ut convenirent*, id quod etiam librarius vidit, qui in Harl. 13. scripsit *venire praeceperat.*

9. *Tanta ... vis aquae.*] *Liv.* XXVIII. 15., "Ni se ex vehementi sole, qualis inter graves imbre nubes effulget, *tanta vis aquae* dejecisset, ut—." Sic *Idem* I. 37., *magna vis lignorum*, et VI. 35., VII. 21., *vis ingens aeris alieni.* Noster infra c. 91. *maxuma vis utrium*, et c. 92. *magna vis frumenti;* supra c. 53. *pulveris.*

10. *Exercitu.*] Sic Harl. 3., ut idem supra c. 43. n. 6.

11. *Spe amplior.*] Quam speraverat. *Liv.* V. 21., "Praeda aliquantum *spe* atque opinione major." Idem XXIV. 40., "Res tardior *spe.*" et sic passim. — Mox Harl. 11. *pleri* pro *plerique*, quomodo duo codices infra c. 84.

12. *Officia intenderant.*] Harl. 16. et Regius *ad officium intenderant.*

13. *Nihilo segnius.*] Sc. fiducia loci: sed mavult Cortius *nihilo sequius*, sc. quod perculsi essent.

LXXVI. Sed rex, nihil jam infectum Metello credens, quippe qui omnia, arma, tela, locos, tempora, denique naturam ipsam, ceteris imperitantem, industria vicerat, cum liberis et magna parte pecuniae ex oppido noctu profugit: neque postea in ullo loco amplius una die, aut una nocte, moratus: simulabat, sese negotii gratia properare; ceterum proditionem timebat, quam vitare posse celeritate putabat; nam talia consilia per otium et ex opportunitate capi. At Metellus, ubi oppidanos proelio intentos, simul oppidum et operibus et loco munitum, videt, vallo fossaque moenia circumvenit. Deinde locis ex copia maxume idoneis vineas agere, aggerem jacere, et super aggerem impositis turribus opus et administros tutari. Contra haec oppidani festinare,

---

LXXVI. 1. *Nihil jam infectum Metello credens.*] Hoc est, nihil esse, quod Metellus efficere non posset. *Tacit. Agric.* 18., apud Cortium, "Ut obstupefacti hostes...*nihil* arduum aut *invictum* crediderint sic ad bellum venientibus." Sic *illaudatus*, pro *illaudabilis*, Virg. Ge. III. 5.; et Aen. VII. 11. *inaccessus.* Supra c. 43. *animus invictus;* adde infra c. 91. extr.

2. *Quippe qui omnia,—.*] Harl. 12. *omnia quippe, arma,—.* Pronomen autem etiam tertius omisit. Ceterum locum in animo habuit *Tacitus Ann.* XII. 17., "Excidio Uspensium metus ceteris injectus, nihil tutum ratis, quum arma, munimenta, impediti vel eminentes loci, amnesque et urbes, juxta perrumperentur."

3. *Una die, aut una nocte.*] Ita ex scriptis vix tres: omnes fere *uno—una.* Harl. 21. *una d. aut* (una) *n.*

4. *Moratus: simulabat—.*] Hanc distinctionem ostendunt etiam M. S. codices fere omnes: ed. Cortiana *moratus, simulabat—.* Harl. 3. *morari;* 9., 11., 17., 20., 21., *moratur.*

5. *Ex copia.*] Sc. idoneorum locorum: vide not. 21. ad c. 54. supra.

6 *Opus et administros.*] Regius, et Harl. 3. et 20., *administrosque;* copulam autem 8., 13., 14., plane omittunt: 15. *opus id et ministros.* Haud invitus crediderim ergo Sallustium scripsisse *opus adque ministros:* vide not. 2. ad c. 29. supra.

7. *Contra haec.*] Supra c. 57. *contra ea.*

parare: prorsus ab utrisque nihil reliquum fieri. Denique Romani, multo ante labore proeliisque fatigati, post dies quadraginta, quam eo ventum erat, oppido modo potiti: praeda omnis a perfugis corrupta. Hi postquam murum arietibus feriri, resque suas adflictas, vident, aurum atque argentum, et alia, quae prima ducuntur, domum regiam comportant; ibi, vino et epulis onerati, illaque, et domum, et semet igni corrumpunt, et, quas victi ab hostibus poenas metuerent, eas ipsi volentes pependere.

LXXVII. Sed pariter cum capta Thala legati ex oppido Lepti ad Metellum venerant, orantes, uti praesidium praefectumque eo mitteret: Hamilcarem quemdam, hominem nobilem, factiosum, novis rebus studere; advorsum quem neque imperia magistratuum neque leges valerent: ni id

---

8. *Nihil reliquum fieri.*] Harl. 16. et 18. *nihil reliqui.*

9. *Multo ante labore proeliisque..*] Sc. multis. *Cic. ad Fam.* I. 9., "Itaque ejus *omni* et gratia ...et *opibus*...sic fruor, ut meis." Supra c. 19. n. 1.

10. *Post dies quadraginta, quam—.*] Sic infra c. 102., "*Post* diem quintum, *quam* iterum barbari male pugnaverant." Adde *Liv.* I. 40., XXXVI. 27., XLV. 42.: de constructione autem vide *Perizon.* ad *Sanctii Minerv.* II. 9. 5.—Harl. 8. *quam ventum eo*, omisso *erat.*

11. *Hi postquam—.*] Ed. Cortiana *Ii*, contra codices.

12. *Quae prima ducuntur.*] Vide not. 5. ad *Catil.* c. 36.

13. *Quas...poenas metuerent.*] H. e., metuere potuissent, poterant metuere: modus scilicet potentialis est. Sic *Tacit. Ann.* XIII. 1., "Virum aetate composita, insontem, nobilem, et, quod tunc *spectaretur*, e Caesarum posteris." i. e., spectari poterat: quo de loco, quum male tentet Ernesti, videndus vir doctissimus *A. R. Carson*, in praefatione. Et *metuerent*, quod pro vulgato *metuerant* restituit Cortius, agnoscunt Harl. 14., 20., 21.: primus *metuerant poenas:* Regius *invenerant.* Ceterum fuisse nonnumquam isto modo in hostes saevitum, docet idem Cortius, exemplo allato *Auct. de B. Afric.* c. 88.

14. *Volentes pependere.*] *Liv.* XXII. 27., "Itaque se numquam *volentem* parte, qua posset, rerum consilio gerendarum cessurum."

festinaret, in summo periculo suam salutem, illorum socios fore. Nam Leptitani, jam inde a principio belli Jugurthini, ad Bestiam consulem, et postea Romam, miserant, amicitiam societatemque rogatum. Deinde, ubi ea impetrata, semper boni fidelesque mansere, et cuncta a Bestia, Albino, Metello, imperata gnavi fecerant. Itaque ab imperatore facile, quae petebant, adepti: missae eo cohortes Ligurum quatuor, et C. Annius praefectus.

LXXVIII. Id oppidum ab Sidoniis conditum, quos accepimus, profugos ob discordias civilis, navibus in eos locos venisse: ceterum situm inter duas Syrtis, quibus nomen ex re inditum. Nam duo sunt sinus prope in extrema Africa, impares magnitudine, natura pari: quorum proxuma terrae praealta sunt; cetera, uti fors tulit, alia alia in tempestate

---

LXXVII. 1. *Boni fidelesque.*] *Liv.* XXII. 37., "Se omnia, quibus a *bonis* fidelibusque sociis bella juvari soleant, misisse." Vide not. 10. ad c. 5. supra.

2. *A Bestia, Albino, Metello, imperata.*] Sic ἀσυνδέτως Harl. 3. et 17.; vulgo *Metelloque.* Harl. 13. *et Metello.* Mox tertius *Ita ab imp.*

3. *Missae eo.*] Vulgo *emissae,* de quo multum dubitabat Cortius; idque suspicor esse ex aut *et missae* aut *eo missae* conflatum, particulam enim *eo* cod. non omnes postpositam habent. *Missae* autem rescripsi ex Harl. 3., 15., 23., et Burn., quod agnoscunt etiam Cortiani tres, totidem apud Haverc.

4. *Et C. Annius praefectus.*] Copulam delent Harl. 14. et 16.

LXXVIII. 1. *Ex re.*] Sc. ἀπὸ τοῦ σύρειν, h. e., trahere. *Liv.* XXXVII. 31., "Ab *re* appellant Naustathmon, quia ingentem vim navium capit." et XXXVIII. 18., "Duci inde exercitus per Axylon (quam vocant) terram coeptus: ab *re* nomen habet; non ligni modo quidquam, sed ne spinas quidem, aut ullum aliud alimentum fert ignis."—*Inditum:* utitur hoc verbo *Livius* passim; ut I. 34., 49., 50., II. 13., III. 65.

2. *Impares magnitudine, natura pari.*] Collocatio ab Harl. 16. profecta est; vulgo *pari natura:* vide not. 3. ad *Catil.* c. 2.

3. *Cetera, uti fors tulit, alia aliâ in tempestate, vadosa.*] Ita scribendum certissime conjecit magister meus *R. J. Bryce,* nec tamen tantum credidit conjecturae, ut ipse

vadosa. Nam, ubi mare magnum esse, et saevire ventis coepit, limum arenamque et saxa ingentia fluctus trahunt: ita facies locorum cum ventis mutat. Ejus civitatis lingua modo convorsa connubio Numidarum: leges, cultusque pleraque Sidonica; quae eo facilius retinebant, quod procul

---

contextum immutaret: vulgo *cetera, uti fors tulit, alta; alia in tempestate vadosa;* quod dupliciter interpretantur, prout *alia* pro primo aut sexto casu accipiunt; cetera, alta *alia, alia* vadosa; cetera alta *modo, modo* vadosa. Quod autem corrupit locum, in aperto est; antecedens *praealta* scilicet librariis in animo haerens, quasi non liceret sensui consulere, orationem variare: eaque sola ratiuncula correctorem Harl. sexti a vero bono impediebat, qui, quum *alia aliâ in tempestate vadosa* bene suppleverit, *alta* tamen confodendum non putavit. Sed etiam solent *alius* et *altus* commutari: *Drakenb.* ad *Liv.* XXXVII. 16. 7.

4. *Ubi mare magnum esse...coepit.*] Tumescere: sic *Virg. Aen.* V. 628., "Dum per mare *magnum* Italiam sequimur." ubi Servius interpretatur *procellosum*, allato simul illo *Lucretii* II. 1., "Suave mari *magno* turbantibus aequora ventis —." Harl. 1. *esse magnum;* 14. autem omisit *esse;* nec mihi quidem displicet res.

5. *Ita facies locorum cum ventis mutat.*] Ducem meum toties jam expertum probatumque Harl. 3. sequor, et *simul* deleto, et recepto *mutat* pro vulgato *mutatur.* Sic absolute, ex Putschii emendatione, infra c. 104., "Quae...semper in advorsa *mutant.*" Porro exempla accipe *Liviana;* III. 10., "Quod (carnis) intercidit, sparsum ita jacuisse per aliquot dies, ut nihil odor *mutaret.*" V. 13., "Annona ex ante convecta copia nihil *mutavit.*" IX. 12., "Adeo...animi *mutaverant*, ut —." XXIX. 3., "Tantum fortunam *mutasse*, ut —." XXXIX. 51., "Mores quidem populi Romani quantum *mutaverint*, vel hic dies argumento erit." Eodem modo *Tacit. Ann.* II. 23., "Postquam *mutabat* aestus." et XII. 29., "Diuturnitate in superbiam *mutans.*" item alii; sed jam satis est exemplorum. Particulam *simul* autem poterant librarii ex multis locis adsciscere, ut *Catil.* c. 2., "Fortuna *simul cum* moribus immutatur." eamque recte Cortius supervacuam judicavit. Omissa illa *Livius* XXII. 22., "Abelux...*cum* fortuna mutaverat fidem." et c. 24., "Nec Hannibalem fefellit, *cum* duce mutatam esse belli rationem." Praeclarum igitur exemplum probitatis codicis illius hic habemus, si usquam.

ab imperio regis aetatem agebant. Inter illos et frequentem Numidiam multi vastique loci erant.

LXXIX. Sed, quoniam in has regiones per Leptitanorum negotia venimus, non indignum videtur egregium atque mirabile facinus duorum Carthaginiensium memorare: eam rem locus admonuit. Qua tempestate Carthaginienses pleraeque Africae imperitabant, Cyrenenses quoque magni atque opulenti fuere. Ager in medio arenosus, una specie: neque flumen, neque mons erat, qui finis eorum discerneret; quae res in magno diuturnoque bello inter se habuit. Postquam utrimque legiones, item classes saepe fusae [fuga-

---

6. *Procul ab imperio regis.*] Regentis, regio; indefinite.

LXXIX. 1. *Qui finis eorum discerneret.*] Harl. 6. a prima manu *q. f. quorum discerneret.* An *quorumque?* nam *quisque* pro *uterque* et apud alios est, et apud *Liv.* l. II. c. 7. et 44.

2. *Quae res in magno diuturnoque* —.] Vulgo *q. r. eos* —: at pronomen istud, quum tantulo intervallo antecedat *eorum*, magnum fastidium movet; et ab Harl. 18. et 22. abest, in 20. ab altera manu additum; videturque, invito Cortio, in contextu permansisse, nam et codices, a quibus id abesset, memoravit ille tres, et exemplis probavit recte abesse: itaque delevi. Deinde *magno diuturnoque;* in ejusdem Cortii editione copula desideratur; sed ea omnino retinenda, etsi Harl. 3. deest: habet autem ea vim quamdam intensivam, ut saepe: sic supra paulo c. 78. extr., "Inter illos et frequentem Numidiam multi vasti*que* loci erant." et c. 62., "Multis magnis*que* praesidiis nequidquam perditis."

3. *Bello...habuit.*] *Liv.* X. 2., "Semper eos in armis accolae Galli *habebant.*" XXXIV. 20., "Lacetanos...quum insita feritas *continebat* in armis, tum conscientia —."

4. *Saepe fusae fugataeque.*] Harl. 1. *fusae sunt fugataeque;* 3. *fusae et fugatae;* 15. et 20. *fugatae fusaeque.* Nihil certius, quam *fugataeque* librarii additamentum esse: nam ista quasi formula, *fundere atque fugare*, quum historicis sit in singulis proeliis narrandis usitatissima (supra c. 21., 52., 58.; infra c. 99.), hoc tamen loco omnino importuna est. *Liv.* V. 35., "*Saepe* ab iis...*legiones* Etruscorum *fusae.*" X. 17., "Omnes Samnitium urbes ...vestrae sunt; quando *legiones* eorum, *tot* proeliis *fusae*, postremo finibus expulistis." — Adverbium

taeque], et alteri alteros aliquantum adtriverant, veriti, ne mox victos victoresque defessos alius adgrederetur, per inducias sponsionem faciunt, uti certo die legati domo proficiscerentur; quo in loco inter se obvii fuissent, is communis utriusque populi finis haberetur. Igitur Carthagine duo fratres missi, quibus nomen Philaenis erat, maturavere iter pergere: Cyrenenses tardius iere. Id secordiane, an casu, acciderit, parum cognovi. Ceterum solet in illis locis tempestas haud secus, atque in mari, retinere: nam ubi, per loca aequalia et nuda gignentium, ventus coortus arenam humo excitavit, ea, magna vi agitata, ora oculosque implere solet: ita prospectu impedito, morari iter. Postquam Cyrenenses aliquanto sese posteriores vident, et ob rem corruptam domi poenas metuunt, criminari, Carthaginienses ante tempus domo digressos; conturbare rem: denique omnia malle, quam victi abire. Sed, quum Poeni aliam conditio-

---

saepe autem ex contextu Cortiano excidit, librarii, credo, incuria; scripti certe impressique antea agnoscunt omnes.

5. *Ne mox victos victoresque defessos* —.] *Liv.* I. 23., "Memor esto, jam, quum signum pugnae dabis, has duas acies spectaculo fore; ut fessos confectosque, simul victorem ac victum, aggrediantur." Conf. item Nostrum *Catil.* c. 39.

6. *Maturavere iter pergere.*] *Caes. de B. G.* I. 7., "*Maturat* ab urbe *proficisci.*"

7. *Gignentium.*] Pro iis, quae *gignuntur* et nascuntur e terra. Nisi tamen quis malit, *gignentia* dici herbas et arbores, quia ab natura sua semper gignunt aliquid, veluti fructus, vel saltem semina, unde alia iterum nascuntur. Haec *Perizon.* ad *Sanctii Minerv.* I. 15. Infra c. 93., "Quo cuncta *gignentium* natura fert."

8. *Aliquanto sese posteriores.*] Pronomen geminatum recepi ex Harl. 1. 3., 11.; sed tertii etiam collocatio exquisitior placuit: vulgo *a. p. se:* Harl. 1. *sese a. p.;* 20. *a. se p.;* Livius I. 13. *aliquanto numerus major.*—Mox in verbis *ob rem corruptam* deficit Harl. 1.

9. *Ante tempus.*] Sc. constitutum: supra c. 70. *ad tempus.*

10. *Omnia malle.*] Vide not. 13. ad c. 20. supra.

11. *Quam victi abire.*] Infra c. 110. extr., *haud repulsus abibis:* ubi vide.

nem, tantummodo aequam, peterent, Graeci optionem Carthaginiensium faciunt, vel illi, quos finis populo suo peterent, ibi vivi obruerentur, vel eadem conditione sese, quem in locum vellent, processuros. Philaeni, conditione probata, sese vitamque reipublicae condonavere: ita vivi obruti. Carthaginienses in eo loco Philaenis fratribus aras consecravere, aliique illis domi honores instituti. Ad rem redeo.

LXXX. Jugurtha postquam, amissa Thala, nihil satis firmum contra Metellum putat, per magnas solitudines cum paucis profectus, pervenit ad Gaetulos, genus hominum ferum incultumque, et eo tempore ignarum nominis Romani. Eorum multitudinem in unum cogit; ac paulatim consuefacit ordines habere, signa sequi, imperium observare, item alia militaria facere. Praeterea regis Bocchi proxumos magnis muneribus, majoribus promissis, sui ad studium perducit: quis adjutoribus regem adgressus, impellit, uti advorsum Romanos bellum suscipiat. Id ea gratia facilius

---

12. *Graeci optionem Carthaginiensium faciunt.*] *Cic. in Caecil.* 14., " Quoties ille tibi potestatem *optionem*que *facturus* sit, ut eligas utrum velis; factum esse, necne." Harl. 8. delet *Carthaginiensium.*

13. *Sese vitamque.*] Sic Harl. 3. optimus; 18. *se v.que:* vulgo *seque vitamque*, quae emphasis insulsa: nimirum *sese vitamque* nihil aliud est, quam *vitam suam;* sc. ἐν διὰ δυοῖν. Sic infra c. 83., " Proinde, *sibi regnoque* consuleret, neu florentis res suas cum Jugurthae perditis misceret."

14. *Aliique illis.*—] Copulam Harl. 4. non agnoscit: nec 15. pronomen *illis.*

15. *Ad rem redeo.*] Voculam *Nunc* sustuli, Harl. 3. auctore: quae eadem nec supra. c. 4. extr. omni suspicione caret. *Tacit. Ann.* XII. 40., " Haec...plures per annos gesta, conjunxi, ne divisa haud perinde ad memoriam sui valerent. *Ad temporum ordinem redeo.*"

LXXX. *Magnis muneribus, majoribus promissis.*] Sic. Harl. 3. et 17., omissa copula. Continuo *sui ad studium* rescripsi ex tertio decimo, quam collocationem jam Cortius in codice quodam repertam probavit; vulgo *a. s. sui.*

2. *Suscipiat.*] M. S. omnes *incipiat*, quod miror Cortium ex quatuor solummodo adnotasse.

3. *Ea gratia.*] Vide not. 7. ad c. 54. supra.

proniusque fuit, quod Bocchus, initio hujusce belli, legatos Romam miserat, foedus et amicitiam petitum; quam rem, opportunissumam incepto bello, pauci impediverant, caeci avaritia, quis omnia honesta atque inhonesta vendere mos erat. Et jam antea Jugurthae filia Bocchi nupserat: verum ea necessitudo apud Numidas Maurosque levis ducitur; quod singuli, pro opibus quisque, quam plurimas uxores, denas alii, alii plures, habent; sed reges eo amplius. Ita animus multitudine distrahitur; nulla pro socia obtinet; pariter omnes viles sunt.

LXXXI. Igitur in locum ambobus placitum exercitus conveniunt: ibi, data fide et accepta, Jugurtha Bocchi animum oratione accendit: Romanos injustos, profunda avaritia, communis omnium hostis esse; eamdem illos causam belli cum Boccho habere, quam secum et cum aliis gentibus, lubidinem imperitandi: quis omnia regna advorsa sint:

---

4. *Legatos Romam miserat.*] Harl. 16. delet *Romam*. Mox tertius *amicitiamque*.

5. *Et jam antea—.*] Sic Harl. 2., 6., 9., et Burn.; quum vulgo legatur *Etiam* conjunctim. *Et* autem pro *praeterea;* quam particulae vim illustravi *Doctr. Copularum* c. II. n. 44.: nisi malis cum antecedentibus continuo jungere, *et* (quod) *jam antea—*.

6. *Sed reges eo amplius.*] Sed reges amplius, propter id ipsum quod reges sunt; amplius, quod, utpote reges, opes habent majores, et regium ducitur modum excedere privatorum. Ita equidem intelligo: nec multo secus Ascensius, qui supplere jubet, *quo plures opes;* et solus hic locum interpretationis verbo dignum putavit. Librarii autem tentavere *eo numero;* sed numerus certus est nullus, qui intelligi possit; *denas alii, alii plures.*— Particulam *sed* Harl. 17. delet.

7. *Nulla pro socia obtinet.*] Locum sociae. Bene Cortius *nulla* pro vulg. *nullam*.

8. *Viles sunt.*] Harl. 3., 13., 22., *vilescunt*.

LXXXI. 1. *Data fide et accepta.*] Interpositio Harl. tertii est, eamdemque ausim affirmare Sallustianam; v. n. 5. ad c. 54. supra.

2. *Quis omnia regna advorsa sint.*] Hoc est, *eos esse, quibus—*.

tum sese, paulo ante Carthaginienses, item regem Persen; post, uti quisque opulentissumus videatur, ita Romanis hostem fore. His atque aliis talibus dictis, ad Cirtam oppidum iter constituunt; quod ibi Metellus praedam captivosque et impedimenta locaverat. Ita, Jugurtha ratus, aut, capta urbe, operae pretium fore, aut, si Romanus auxilio suis venisset, proelio sese certaturos. Nam callidus id modo festinabat, Bocchi pacem imminuere; ne, moras agitando, aliud, quam bellum, mallet.

LXXXII. Imperator postquam de regum societate cognovit, non temere, neque, uti, saepe jam victo Jugurtha, consueverat, omnibus locis pugnandi copiam facit: ceterum haud procul ab Cirta, castris munitis, reges opperitur; melius ratus, cognitis Mauris, quoniam is novus hostis accesserat, ex commodo pugnam facere. Interim Roma per literas certior fit, provinciam Numidiam Mario datam: nam consulem factum ante acceperat. Quis rebus supra bonum

---

Alibi Sallustius, *Epist. Mithr.*, "Romanis cum nationibus, populis, regibus cunctis, una et ea vetus causa bellandi est, cupido profunda imperii et divitiarum." Et ibid. sub fin., "Omnia non serva, et maxume regna, hostilia ducunt." Ceterum hinc colorem duxit *Livius* XXXVII. 25., literas Antiochi ad Prusiam confingens: "Venire eos ad omnia regna tollenda: ..Phillipum et Nabin expugnatos; se tertium peti." Conf. ejusdem etiam l. XLIV. c. 24.

3. *Tum sese.*] Sc. *hostem esse:* vide not. 4. ad *Catil.* c. 47.

4. *His...dictis.*] Participium non legit Ascensius; neque idem mox *iter*, intelligendum docens, locum conveniendi.

5. *Si Romanus*—.] Metellus: sic supra c. 61. *Numida*, Bomilcar; infra c. 101. Jugurtha; c. 108. *Maurus*, Bocchus.—Harl. 2. *suis auxilio venisset*; 13. et 23. *a. v. suis.*

LXXXII. 1. *Cognitis Mauris.*] Postquam Mauros, eoramque mores et ingenium, cognovisset.

2. *Ex commodo.*] *Tacit. Ann.* XIII. 9., "Quo bellum *ex commodo* pararet."

3. *Ante acceperat.*] Ed. Cortiana *jam antea:* at particulam *jam*

atque honestum perculsus, neque lacrumas tenere, neque moderari linguam: vir egregius in aliis artibus, nimis molliter aegritudinem pati. Quam rem alii in superbiam vortebant; alii bonum ingenium contumelia accensum esse; multi, quod jam parta victoria ex manibus eriperetur: nobis satis cognitum, illum magis Marii honore, quam injuria sua, excruciatum; neque tam anxie laturum fuisse, si ademta provincia alii, quam Mario, traderetur.

LXXXIII. Igitur, eo dolore impeditus, et quia stultitiae videbatur alienam rem periculo suo curare, legatos ad Bocchum mittit postulatum, Ne sine causa hostis populo Romano fieret: habere eum magnam copiam societatis amicitiaeque conjungendae, quae potiora bello essent: quamquam opibus confideret, non debere certa incertis

---

agnoscit Harl. nullus, neque ed. principes; eamque ab suis quoque abfuisse testatur Rivius; *ante* autem, non *antea*, ostendunt codices et plures et meliores.

4. *Egregius in aliis artibus.*] Cic. de Orat. I. 49., " *In* procuratione civitatis *egregius.*" Adde ejusd. *Brut.* c. 21.

5. *Magis Marii honore, quam injuria sua.*] Collocationem recepi ex Harl. 11., 15., 18., vulgo *magis honore Marii:* vide not. 3. ad *Catil.* c. 2.

LXXXIII. 1. *Eo dolore impeditus.*] Harl. 16. *eo imp. dolore.*

2. *Stultitiae videbatur.*] Supra c. 3., " Frustra autem niti...extremae *dementiae est.*"

3. *Quae potiora bello essent.*] Sc. *societas et amicitia;* vide not. 9. ad *Catil.* c. 5.: sic Burneianus et Cortiani duo, eodemque spectat optimus Harl. 3., praeferens *q. potior b. essent;* vulgo *quae potior bello esset.*

4. *Certa incertis mutare.*] Ed. omnes *incerta pro certis mutare:* Harl. 3., 11., 12., 13., 18., 23., et Burn., *certa pro incertis.* At praepositionem *pro* ab hac formula alienam esse constat, et *cum* potius cum verbo *mutare* intelligendum esse; quod inde apparet, quod casus sextus non semper τὸ acceptum accipiendumve significat. *Liv.* V. 30., " Nefas ducere,...*victrice patria* victam mutari." Deinde commutatio ista, *certa incertis* cum *incerta certis*, fraudem librariorum nudam retexit: videlicet, quum semel atque iterum (*Catil.* c. 17.

mutare: omne bellum sumi facile, ceterum aegerrume desinere: non ejusdem in potestate initium et finem esse: incipere cuivis, etiam ignavo, licere; deponi, nisi quum victores velint: proinde sibi regnoque consuleret, neu florentis res suas cum Jugurthae perditis misceret. Ad ea rex, placide satis: Sese pacem cupere, sed Jugurthae fortunarum

---

et 20.) *incerta pro certis* scripsisset Sallustius, cur non tertio? ita solebant boni librarii ratiocinari. Et sic praepositionem irrepsisse jam monuit Cortius; commutationem autem verborum non illi indicaverant codices. Satis ergo circumspecte *certa incertis mutare* emendavi. *Liv.* IX. 12., "Victoriae possessionem *pace incerta mutasse*."

5. *Sumi facile.*] *Tacit. Hist.* IV. 69., "*Sumi* bellum etiam ab ignavis." Adde not. 14. ad c. 20. supra.

6. *Non ejusdem in potestate initium et finem esse.*] Duplicem Harl. 11. laudem meretur, et collocationis Sallustianae servatae, nec recepti pronominis; vulgo *non in ejusd. p. init. ejus et f. e.*: sed recte 18. quoque primitus *n. ejusd. in p.*, nunc vero erasa est praepositio: pronomen autem omittunt etiam 2., 6., 12., 16., 22.: porro *esse* delet vigesimus.

7. *Deponi, nisi quum victores velint.*] Sc. *numquam*: supra c. 54., "Bellum renovari, quod, *nisi* ex illius lubidine geri posset," sc. *geri non posset*. Et sic edidi, auctoribus Harl. 15. et 16., et Regio: vulgo *deponi, quum victores velint*. Harl. 14. *non deponi, nisi q. v. v.*, quomodo etiam Guelf. 7. et 9. apud Cortium, nec secus ab Aldo impressi: 18. *non posse deponi, nisi quum*—. Leidensis A. *deponi non nisi q. v. v.*; ejusdem Bibliothecae B. *deponi autem, nisi quum*—. Francianus *deponi non posse, nisi victores velint*, omissa particula *quum*. Ed. Romana 1470. *nonnisi deponi*. Vides ergo, non temere particulam *nisi* Sallustio restitutam esse, nam in tali re interpolatoris operam nemo potest suspicari.

8. *Sibi regnoque.*] H. e., *regno suo*: vide not. 13. ad c. 79. supra.

9. *Ad ea rex, placide satis.*] Ed. omnes *satis placide verba facit*. Primum igitur *placide satis*, ut *satis* elegantius sequatur, rescripsi ex Harl. 12. et Regio. *Verba facit* autem jam Grutero et Cortio additamentum librariorum visum est, ex c. 102. scilicet adscitum: "Ad ea Bocchus placide et benigne; simul pauca pro delicto *verba facit*." et *facit* quidem Harl. 13. non agnoscit, in quo videtur *verba* ex notula usitata marginali imprudenter receptum: ac delevi.

misereri: si eadem illi copia fieret, omnia conventura. Rursus imperator contra postulata Bocchi nuntios mittit: ille probare; partim abnuere. Eo modo saepe ab utroque missis remissisque nuntiis, tempus procedere, et, ex Metelli voluntate, bellum intactum trahi.

LXXXIV. At Marius, ut supra diximus, cupientissuma plebe consul factus, postquam ei provinciam Numidiam populus jussit, antea jam infestus nobilitati, tum vero multus atque ferox instare: singulos modo, modo universos laedere: dictitare, sese consulatum ex victis illis spolia cepisse; alia praeterea magnifica pro se, et illis dolentia. Interim, bello quae opus erant, prima habere: postulare legionibus supplementum; auxilia a populis et regibus, sociisque arcessere;

---

10. *Omnia conventura.*] *Tacit. Hist.* III. 81., "Si moram interjecissent, facilius *omnia conventura.*"

11. *Ille probare; partim abnuere.*] Probare partim, partim abnuere: vide not. 1. ad *Catil.* c. 50.

12. *Trahi.*] Vide not. 6. ad c. 23. supra.

LXXXIV. 1. *Antea jam infestus nobilitati.*] Quum antea jam infestus nobilitati fuisset. Sic absolute infra c. 92., "Marius,... *magnus et clarus antea*, major atque clarior haberi coepit." et c. 96., "Sulla,...*rudis antea et ignarus belli*, solertissumus omnium in paucis tempestatibus factus est." Item supra c. 14., "Paulo ante rex."

2. *Multus atque ferox.*] Ἐν διὰ δυοῖν; *ferocior multo:* sic infra c. 108. *multum et familiariter*, h. e., familiariter admodum, familiarissime.

3. *Ex victis illis.*] Harl. 12. *victis illis* absolute. Mox 11. et 22. *magnifica pro se, illis dolentia*, copula discretiva omissa.

4. *Bello quae opus erant.*] Collocatio ex Harl. 11. recepta est; tertius *q. o. e. bello:* vulgo *q. bello o. e.:* infra c. 93. sub fin., "*Praesidio qui* forent." sed jam dictum est ad *Catil.* c. 51. n. 16. et c. 60. n. 3.

5. *Prima habere.*] *Terent. H. T.* V. 2. 9., "Ubi te vidi...suavia in praesentia Quae essent, *prima habere*, neque—." *Liv.* XXIX. 21., "Praetor legatique Locros profecti *primam*, sicuti mandatum erat, religionis curam *habuere.*" Adde not. 5. ad *Catil.* c. 36.

6. *Sociisque.*] Sc. Italicis.

praeterea ex Latio fortissumum quemque, plerosque militiae, paucos fama cognitos, accire; et ambiundo cogere homines emeritis stipendiis. Neque illi senatus, quamquam advorsus erat, de ullo negotio abnuere audebat: ceterum supplementum etiam laetus decreverat; quia neque plebi militia volenti putabatur, et Marius aut belli usum, aut studia volgi, amissurus. Sed ea res frustra sperata; tanta lubido cum Mario eundi plerosque invaserat. Sese quisque, praeda locupletem, victorem domum rediturum, alia hujuscemodi, animis trahebant; et eos non paulum oratione sua

---

7. *Ambiundo cogere homines emeritis stipendiis.*] Addunt vulgati *secum proficisci*, quae ab glossargis profecta recte pronuntiavit Cortius, uncisque inclusit. Absolute *cogere* supra est c. 54., item c. 95. infra. *Secum* autem abest ab Harl. 22., sicuti ab ed. vetustis quibusdam apud Cortium, quibus addas Ascensianam. Ac delevi.— Supra Harl. 8. et 12. *pleros* pro *plerosque*.

8. *Etiam laetus decreverat.*] Lubenter: supra c. 53., "Quamquam ...fessi erant, *laeti* tamen...obviam procedunt." ubi plura.

9. *Neque plebi militia volenti putabatur.*] Hoc est, neque *plebs militiam volens* esse (velle) putabatur. Structura autem Graeca est: sic *Demosth. de Cor.* 5., Τῆς δὲ πομπείας ταύτης τῆς ἀναίδην οὑτωσὶ γεγενημένης ὕστερον, ἂν βουλομένοις ᾖ τούτοις ἀκούειν, μνησθήσομαι· et apud Cortium *Thucyd.* II. 3., Τῷ γὰρ πλήθει τῶν Πλαταιέων οὐ βουλομένῳ ἦν τῶν Ἀθηναίων ἀφίστασθαι. Noster infra c. 100., "Uti *militibus* exaequatus cum imperatore labos *volentibus* esset." et III. *Hist.* in orat. Macri, "Mihi quidem satis spectatum est, Pompeium...malle principem *volentibus vobis* esse, quam illis dominationis socium." *Liv.* XXI. 50., "*Quibusdam volentibus* novas res fore." *Tacit. Agric.* 18., "*Quibus* bellum *volentibus* erat." idemque alibi saepe.

10. *Belli usum.*] Quod bello opus erat; sc. supplementum.

11. *Sed ea res frustra sperata.*] Harl. 3. non agnoscit *sperata*. Scripserat ergo Sallustius, *Sed ea spes frustra*, sc. erat: sicuti III. *Hist.* in orat. Macri, "Nam, *spem frustra fuisse*, intellexistis." Adde not. 8. ad. c. 7. supra. Solent autem *spes* et *res* in scriptis commutari: vide *Drakenb.* ad *Liv.* V. 12. 4.

12. *Animis trahebant.*] Harl. 2. et 6. *in animis*; 17. *in animo*: similiter *Liv.* XXI. 2. *agitare in animo.*

Marius arrexerat. Nam, postquam, omnibus, quae postulaverat, decretis, milites scribere volt, hortandi causa simul, et nobilitatem, uti consueverat, exagitandi, concionem populi advocavit. Deinde hoc modo disseruit.

LXXXV. " Scio ego, Quirites, plerosque non isdem artibus imperium a vobis petere, et, postquam adepti sunt, gerere: primo industrios, supplicis, modicos; dehinc per ignaviam et superbiam aetatem agere. Sed mihi contra ea videtur: nam, quo universa respublica pluris est, quam consulatus aut praetura, eo majore cura administrari, quam haec peti, debere. Neque me fallit, quantum cum maxumo beneficio vestro negotium sustineam. Bellum parare simul, et aerario parcere; cogere ad militiam, quos nolis offendere; domi, foris omnia curare; et ea agere inter invi-

---

13. *Concionem populi advocavit.*] Abest *populi* ab Harl. 9. et 11.

LXXXV. 1. *Plerosque non isdem artibus*, etc.] *Liv.* VII. 33., de moribus Valerii Corvi, " Et, quo nihil popularius est, quibus artibus petierat magistratus, iisdem gerebat."

2. *Primo ... modicos.*] Abjeci *esse*, auctore Harl. 3.

3. *Dehinc per ignaviam et superbiam—.*] Harl. 8. *per ign., superb.*, sine copula; 15. *per superb.*, omisso *ignaviam et;* contra 16. et 18. *per ign.*, omisso *et superbiam*, quod nec Regius nisi in margine, ostendit.

4. *Contra ea.*] Contrarium, longe aliud; sc. *quod est contra ea.*

5. *Universa respublica.*] Abest *universa* ab ed. Venetis et Mediol.; nec videt Cortius, quid sententiae id afferat emolumenti: addo ego, si quis expungere voluerit, eum Harl. 8. auctorem habiturum.

6. *Neque me fallit,—.*] Harl. 15. *fallit me;* nec male pronomen abjicias: *Scio ego,—: neque fallit,—.* Catil. c. 20., " Nisi forte animus *fallit.*"

7. *Quantum cum maxumo beneficio vestro negotium sustineam.*] Simul cum maximo beneficio vestro quantum negotium. Infra, " Mihi *summum honorem et maxumum negotium* imposuistis." *Quantum negotium* autem (vulgo *q. negotii*), doctrina librariorum posthabita, Sallustio restitui ex Harl. 3., 4., 21.: sic *Catil.* c. 28., " Ubi intellegit, *quantum periculum* consuli impendeat."

8. *Domi, foris.*] Sic Harl. 9. et

dos, occursantis, factiosos; opinione, Quirites, asperius est. Ad hoc, alii si deliquere, vetus nobilitas, majorum facta fortia, cognatorum et adfinium opes, multae clientelae, omnia haec praesidio adsunt; mihi spes omnes in memet sitae, quas necesse est virtute et innocentia tutari; nam alia infirma sunt. Et illud intellego, Quirites, omnium ora in me convorsa esse: aequos bonosque favere, quippe benefacta mea reipublicae procedunt; nobilitatem locum invadendi quaerere. Quo mihi acrius adnitendum est, ut neque vos capiamini, et illi frustra sint. Ita ad hoc aetatis

---

Cortianus quidam, abjecta copula; ut supra c. 17. *coelo, terra;* 23. *dies, noctes;* etc.

9. *Et ea agere—.*] Καὶ ταῦτα. In *agere*, quod Cortius elegantiae causa adjectum dicit, equidem nullam agnosco elegantiam.—*Opinione:* vide not. 8. ad c. 53. supra.

10. *Alii si deliquere.*] *Cic. de L. Agrar.* II. 36., "Quemadmodum, quum petebam, nulli me vobis auctores generis mei commendarunt; sic, si quid deliquero, nullae sunt imagines, quae me a vobis deprecentur."

11. *Virtute et innocentia.*] Vulgo *et v. et inn.*: codices M.S. autem, duobus exceptis, prius *et* ignorant: nec solet Sallustius emphasin tam putidam adhibere. Quaenam, quaeso, facilius coalescunt, quam *virtus* et *innocentia?*

12. *Omnium ora in me convorsa esse.*] *Tacit. Ann.* XIII. 8., Apud Aegeas...obvium Quadratum habuit, illuc progressum, ne, si... Syriam intravisset Corbulo, *omnium ora in se verteret*, corpore ingens, etc."

13. *Quippe benefacta mea reipublicae procedunt.*] Jungendum *benef. reip.*: pronomen autem Harl. 14. omisit. *Procedunt*, apparent, exsistunt, conspicua sunt, meque iis commendant.

14. *Ut neque vos capiamini, et—.*] Duo erant, quae Marium ad acrius adnitendum impellebant, quaeque proposita habebat:—primum, ne caperetur plebes ab nobilibus, qui, si Marius male remp. gessisset, acerbissime in illum simul et plebem vindicaturi videbantur: alterum, ut ipse nobilitati illuderet. Ex altera parte studium, ex altera odium, stimulabat. *Cortius.*

15. *Illi frustra sint.*] *Plaut. Pers.* I. 3. 60., "Ne *frustra sies.*" et *Bacch.* IV. 7. 41., "*Frustra es.*" alibi saepe.

a pueritia fui, ut omnis labores, pericula, consueta habeam. Quae ante vestra beneficia gratuito faciebam, ea uti, accepta mercede, deseram, non est consilium, Quirites. Illis difficile est in potestatibus temperare, qui per ambitionem sese probos simulavere: mihi, qui omnem aetatem in optumis artibus egi, benefacere jam ex consuetudine in naturam vortit. Bellum me gerere cum Jugurtha jussistis; quam rem nobilitas aegerrume tulit. Quaeso, reputate cum animis vestris, num id mutare melius sit, si quem ex illo globo nobilitatis ad hoc, aut aliud tale negotium, mittatis, hominem veteris prosapiae, ac multarum imaginum, et nullius stipendii: scilicet, ut in tanta re, ignarus omnium, trepidet, festinet, sumat aliquem ex populo monitorem officii. Ita

---

16. *Ita...fui.*] Ita me gessi, vitam institui, aetatem egi. *Terent. Adel.* I. 2. 58., "Unum vis curem; curo: et est Dis gratia, Quum *ita*, ut volo, *est.*" et v. 63., "Nam *ita est* homo; Quum placo, advorsor sedulo, et deterreo: Tamen vix humane patitur."

17. *Consueta habeam.*] Infra c. 100., "Quod a pueritia *consuetam* duritiam... *habuisset.*"

18. *Non est consilium.*] Regius *non est consilii.*

19. *Temperare.*] Sc. sibi. Auct. ad Herenn. IV. 18., "Qui in sermonibus et conventu amicorum verum dixerit numquam, eum *sibi* in concionibus credis a mendacio *temperaturum?*" Omisso pronomine, *Idem* II. 19., "Cui mirum videbitur, istum a maleficio propter acerrimam formidinem non *temperasse?*" Item *Plaut. Epid.* I. 2. 8., apud Cortium, *in amore temperare.*

20. *Vortit.*] Sic absolute *Liv.* II. 3., 27., 31., 62.: adde not. 10. ad *Catil.* c. 6.

21. *Num id mutare melius sit, si quem...mittatis.*] Num melius sit *ita institutum vestrum mutare, ut* aliquem ex illo globo nobilitatis potius quam me ad hoc negotium, omninoque posthac potius quam hominem novum ad aliud tale negotium, mittatis. Nimirum *id mutare* ad sequentia spectat: supra h. c., "Et *illud* intellego, Quirites, omnium ora in me convorsa esse." et c. 81., "Nam callidus *id* modo festinabat, Bocchi pacem imminuere."

22. *Prosapiae.*] *Cic. de Univ.* 11., "Et eorum, ut utamur veteri verbo, *prosapiam.*"

23. *Et nullius stipendii.*] Παρὰ προσδοκίαν. *Juv.* I. 74., "Probitas

plerumque evenit, ut, quem vos imperare jussistis, is imperatorem alium quaerat. Atque ego scio, Quirites, qui, postquam consules facti sunt, acta majorum et Graecorum militaria praecepta legere coeperint; homines praeposteri; nam gerere, quam fieri, tempore posterius, re atque usu prius est. Comparate nunc, Quirites, cum illorum superbia me hominem novum. Quae illi audire et legere solent, eorum partim vidi, alia egomet gessi: quae illi literis, ego militando didici. Nunc vos existumate, facta an dicta pluris sint. Contemnunt novitatem meam; ego illorum ignaviam: mihi fortuna, illis probra objectantur: quamquam ego naturam unam et communem omnium existumo, sed fortissumum quemque generosissumum. Ac, si jam ex patribus Albini aut Bestiae quaeri posset, mene, an illos, ex se gigni maluerint, quid responsuros creditis, nisi, sese liberos quam optumos voluisse? Quod si jure me despiciunt, faciunt idem majoribus suis, quibus, uti mihi, ex

---

laudatur, *et—alget.*" Noster I. *Hist.* orat. Philippi, " Qui placere ait, sua cuique reddi, *et—aliena tenet.*" Adde supra c. 31. n. 31. Ceterum *nullius stipendii;* h. e., qui numquam militavit, numquam aciem hostemque vidit. Paulo secus *Tacitus, Hist.* II. 76., " *Nullis stipendiis,* nulla militari fama." i. e., qui nulla insigni gloria militaverat. Latinitas autem eadem est *Livii* XXIX. 1., " *Plurimorum stipendiorum* ex iis milites delegit."

24. *Atque ego scio.*] Sic Harl. plures; ceteri *At:* male Cortius ex infaceta admodum conjectura *Ac;* quam particulam, insequenti vocali, numquam adhibent optimi scriptores.

25. *Gerere, quam fieri.*] Gerere consulatum, quam fieri consulem. —Harl. 8., 11., 15., 18., *posterius tempore.*

26. *Eorum partim vidi, alia—.*] Noster VI. *Hist.* orat. Cottae, " Quorum *alia* toleravi, *partim* repuli."

27. *Contemnunt novitatem meam.*] *Tacit. Ann.* XIV. 53., " Inter nobiles et longa decora praeferentes *novitas mea* enituit?" *Cic. ad Fam.* I. 7., " Video...*novitati* esse invisum *meae.*"

28. *Ex patribus Albini aut Bestiae.*] Harl. 9. *A. et B.*

29. *Faciunt idem majoribus*

virtute nobilitas coepit. Invident honori meo: ergo invideant et labori, innocentiae, periculis etiam meis, quoniam per haec illum cepi. Verum homines corrupti superbia ita aetatem agunt, quasi vestros honores contemnant; ita hos petunt, quasi honeste vixerint. Nae illi falsi sunt, qui divorsissumas res pariter exspectant, ignaviae voluptatem, et praemia virtutis. Atque etiam apud vos, aut in senatu, verba quum faciunt, pleraque oratione majores suos extollunt: eorum facta fortia memorando clariores sese putant; quod contra. Nam, quantum vita illorum praeclarior, tanto horum secordia flagitiosior. Et profecto ita se res habet:

---

suis.] Q. d., si jure me, et tales, qualis ego, despiciunt, despiciunt ipsos majores suos. Supra c. 14., "Vos *in mea injuria* despecti estis." Et bene Cort. *faciunt* rescripsit pro vulg. *faciant*, atque ita Harl. 8., 17., 23.

30. *Ex virtute nobilitas.*] *Liv.* I. 34., "In novo populo, ubi omnis repentina atque *ex virtute nobilitas* sit, futurum locum forti ac strenuo viro." *Juv.* VIII. 20., "*Nobilitas* sola est atque unica *virtus*."

31. *Per haec illum cepi.*] Vide not. 4. ad c. 63. supra.

32. *Nae.*] Vide not. 54. ad *Catil.* c. 52.—*Divorsissumas res:* Liv. XXI. 4., "Numquam ingenium idem ad *res diversissimas*, parendum atque imperandum, habilius fuit."

33. *Etiam apud vos, aut in senatu, verba quum faciunt.*] Ita adverbium *quum* recte locavit Harl. 16.; vulgo *etiam quum:* vide *Catil.* c. 31. et 43., et *Livium* passim. Pro *aut* autem malim *ut*, sicut.

34. *Pleraque oratione majores suos extollunt.*] Scilicet, verbis Ciceronis, *de L. Agrar.* II. 1., "ut tantum majoribus eorum debitum esse videatur, unde etiam, quod posteris solveretur, redundaret."

35. *Eorum facta fortia—.*] Sic Harl. 3. et 12.; vulgo *fortia facta:* supra "majorum *facta fortia;*" adde *Catil.* c. 59. extr.

36. *Quantum...tanto—.*] Exemplum Livianum, quod attulit Cortius (cujus lectio haec est; vulgo *quanto*) nullum esse docet Drakenb. ad locum. Sed plura idem Livius praebet: ut III. 15., "*Quantum* juniores Patrum plebi se magis insinuabant, eo acrius contra tribuni tendebant, ut—." et XLIV. 7., "*Quantum* procederet longius a Thessalia, eo majorem rerum omnium inopiam sentiens."

37. *Ita se res habet.*] *Liv.* XL. 11., "*Ita* enim *se res habet:* peri-

majorum gloria posteris lumen est; neque bona neque mala in occulto patitur. Hujusce rei ego inopiam patior, Quirites; verum, id quod multo praeclarius est, meamet facta dicere licet. Nunc videte, quam iniqui sint: quod ex aliena virtute sibi adrogant, id mihi ex mea non concedunt: scilicet, quia imagines non habeo, et quia mihi nova nobilitas est; quam certe peperisse melius est, quam acceptam corrupisse. Equidem ego non ignoro, si jam respondere velint, abunde illis facundiam et compositam orationem fore. Sed, in maxumo vestro beneficio, quum omnibus locis me vosque maledictis lacerent, non placuit reticere, ne quis modestiam in conscientiam duceret. Nam me quidem, ex animi sententia, nulla oratio laedere potest: quippe, vera, necesse est, bene praedicet; falsam vita moresque mei superant. Sed, quoniam vestra consilia accusantur, qui mihi summum honorem et maxumum nego-

---

culum vitae propellere a me potes; ...mortem meam idem tu persequi non poteris." Adde *Cic. de Orat.* II. 6., ubi v. Ernest.

38. *Majorum gloria posteris lumen est.*] *Cic. de Off.* II. 13., " In hunc oculi omnium conjiciuntur, atque in eum, quid agat, quemadmodum vivat, inquiritur: et, tamquam in clarissima luce versetur, ita nullum obscurum potest nec dictum ejus esse nec factum."

39. *Hujusce rei ego inopiam patior*, etc.] *Idem de L. Agr.* II. 1., " Mihi quidem apud vos de meis majoribus dicendi facultas non datur...De me autem ipso, vereor, ne arrogantis sit apud vos dicere; ingrati tacere."

40. *Quod...adrogant*, etc.] Harl. 15. *qui, quod...arrogent, id...non concedant;* et mox 16. *quia imagines non habeam:* quam Latinitatem non magnopere affectat Sallustius: vide not. 67. ad *Catil.* c. 51. et not. 3. ad c. 27.

41. *Abunde illis facundiam et compositam orationem fore.*] Vulgo *facundam:* sed alterum ostendunt codices M. S., quatuor exceptis (Harl. 4., 9., 12., 15.), omnes, item ed. principes Veneta et Romana; nec potui non probare. Geminum locum vidimus *Catil.* c. 20., " Neque ego, per *ignaviam* aut *vana ingenia*, incerta pro certis captarem." *Abunde facundiam* autem; vide ibid. c. 21. n. 1.

tium imposuistis, etiam atque etiam reputate, num id poenitundum sit. Non possum fidei causa imagines, neque triumphos, aut consulatus majorum meorum, ostentare: at, si res postulet, hastas, vexillum, phaleras, alia militaria dona; praeterea cicatrices advorso corpore. Hae sunt meae imagines, haec nobilitas; non hereditate relicta, ut illa illis, sed quae ego plurimis laboribus et periculis quaesivi. Non sunt composita verba mea: parum id facio; ipsa se virtus satis ostendit: illis artificio opus est, uti turpia facta oratione tegant. Neque literas Graecas didici; parum placebat eas discere, quippe quae ad virtutem doctoribus nihil profuerunt. At illa, multo optuma reipublicae, doctus sum; hostem ferire; praesidia agitare; nihil metuere, nisi turpem famam; hiemem et aestatem juxta pati; humi requiescere; eodem tempore inopiam et laborem tolerare. His ego praeceptis milites hortabor; neque illos arte colam, me opulenter;

---

42. *Num id poenitundum sit.*] *Liv.* I. 35., "Sub haud *poenitendo* magistro." Supra Harl. 3. *qui summum* —, omisso pronomine *mihi*.

43. *Fidei causa.*] Sc. faciendae; ut supra c. 29.

44. *Cicatrices advorso corpore.*] *Liv.* II. 23., "Ipse, testes honestarum aliquot [locis] pugnarum, *cicatrices adverso pectore* ostentabat." (ubi obiter monere liceat, delendum esse istud *locis*) et XLV. 39., "Insigne corpus honestis cicatricibus, omnibus *adverso corpore* exceptis, habeo." Adde *Cic. in Verr.* V. 1. et not. 5. ad *Catil.* c. 61.

45. *Hae..., haec—.*] Vide not. 9. ad *Catil.* c. 7.—Mox *relicta:* neutrum plurale; v. n. 4. ad *C.* c. 20.

46. *Parum id facio.*] Non id ago., sc. ut verba mea composita sint. Ita interpretatur Cortius; et *parum* tuentur cod. M. S. omnes: male Aldina II., Junt., Gryph., *parvi*. Supra, *verba mea*, pronomen Harl. 6. abjecit: 23. *mea verba*.

47. *Doctoribus nihil profuerunt.*] Auct. de Rep. Ord. II. 9., "Parantur haec disciplina Graecorum: sed virtus, vigilantia, labos, apud Graecos nulla sunt: quippe, quum domi libertatem suam per inertiam amiserint, censesne eorum praeceptis imperium haberi posse?"

48. *Arte colam.*] Noster III.

neque gloriam meam laborem illorum faciam. Hoc est utile, hoc civile imperium. Namque, quum tute per mollitiem agas, exercitum supplicio cogere, id est dominum, non imperatorem, esse. Haec atque talia majores vestri faciundo seque remque publicam celebravere. Quis nobilitas freta, ipsa dissimilis moribus, nos, illorum aemulos, contemnit; et omnis honores non ex merito, sed quasi debitos a vobis repetunt. Ceterum homines superbissumi procul errant. Majores eorum omnia, quae licebat, illis reliquere; divitias, imagines, memoriam sui praeclaram: virtutem non reliquere, neque poterant: ea sola neque datur dono, neque accipitur. Sordidum me et incultis moribus aiunt, quia

---

Hist. orat. Macri, "Nunc animum advortite; et, nisi viceritis, quoniam omnis injuria gravitate tutior est, *artius habebunt.*"

49. *Hoc civile imperium.*] Cive dignum, qui civibus imperat. *Cortius. Liv.* VI. 40., "At hercule sermo est minime *civilis.*"

50. *Per mollitiem agas.*] Vide not. 1 ad *Catil.* c. 42.

51. *Majores vestri.*] Harl. nonnulli *nostri;* 13. autem neutrum agnoscit pronomen.

52. *Non ex merito.*] Intellige *petunt* ex subsequenti *repetunt;* hoc enim ipsum minus commode adsciscas: infra c. 96., "Ipse ab nullo *repetere.*"

53. *Repetunt.*] Ita Harl. 23. (sed habet idem et supra *contemnunt),* item M. S. unus atque impressi quidam apud Cortium: et praeterquam quod numeros variare gaudet Sallustius (v. n. 6. ad *C.* c. 7.), h. l. rei ipsi aptior est numerus pluralis; novos contemnere totius globi nobilitatis erat, honorés petere singulorum: adde not. 15. ad c. 63. supra.

54. *Quae licebat.*] Sc. *relinquere;* v. n. 6. ad c. 49. supra. Eodem modo mox *neque poterant:* v. n. 3. ad c. 3.

55. *Et incultis moribus.*] Exstat in Museo Britannico M. S. liber (Bibl. Harl. n. 2462.), Sallustii orationes epistolasque continens, ab Leonardo Aretino (ut videtur) exscriptas, cum ejusdem Aretini versione Latina orationum quarumdam Demosthenis, in quo legitur *incomptis moribus;* ex ipsius, credo, Leonardi ingenio; etsi videtur ex haudquaquam spernendo codice excerpsisse, si quidem tutatur nonnullas ex nostris emen-

parum scite convivium exorno, neque histrionem ullum, neque pluris pretii coquum, quam villicum, habeo; quae mihi lubet confiteri, Quirites. Nam ex parente meo, et ex sanctis viris, ita accepi, munditias mulieribus, viris laborem convenire, omnibusque bonis oportere plus gloriae, quam divitiarum; arma, non supellectilem, decori esse. Quin ergo, quod juvat, quod carum aestumant, id semper faciant; ament, potent; ubi adolescentiam habuere, ibi senectutem agant, in conviviis, dediti ventri et turpissumae parti corporis: sudorem, pulverem, alia talia, relinquant nobis, quibus illa epulis jucundiora sunt. Verum non est ita. Nam, ubi se flagitiis omnibus dedecoravere turpissumi viri,

---

dationes, ut in Caesaris oratione, *dimitti et augere*, et ibid., (eum) *contra remp.*, et supra in orat. Memmii, *qui sunt* (hi), *qui*—? ipsam loquutionem non arbitror improbandam.

56. *Neque pluris pretii coquum, q. v., habeo.*] Junge *coquum pluris pretii.* Terent. Heaut. I. 1. 11., "*Agrum* in his regionibus Meliorem, neque *pretii majoris*, nemo habet."

57. *Quae mihi lubet confiteri, Quirites.*] In ed. Cortiana non legitur *Quirites;* in scriptis autem legitur omnibus.

58. *Ex parente meo, et ex sanctis viris.*] Ita Cortius, omisso *aliis*, quod existimat modestiae Marii fuisse reticere, ne nimis aperte patrem suum *sanctis* viris accenseret.

59. *Ament, potent.*] Vide not. 16. ad *Catil.* c. 11.

60. *Ubi adolescentiam habuere.*] *Catil.* c. 51., "Qui demissi in obscuro vitam *habent.*"

61. *Alia talia.*] Ita Harl. 9. et 13., omissa copula.

62. *Jucundiora.*] Harl. omnes, Regius, Burn., ed. Ven., Rom., etc., *jocundiora.* Melior tamen vulgaris scriptura, si quidem *jucundus* a *juvando* deductum docuit Cicero, *de Fin.* II. 4. (quasi, arbitror, *juv'cundus* pro *juvicundus*); id quod innuit Sallustius ipse: "Quin ergo, quod *juvat*,...id semper faciant; ... sudorem, pulverem, alia talia, relinquant nobis, quibus illa epulis *jucundiora* sunt." Nisi forte primitus scriberetur etiam *jovare:* nec mirum fuisset, si, in longa syllaba, *jocundus* sonum apertiorem serius retinuisset.

63. *Flagitiis omnibus.*] *Omnibus* in nullo M. S. reperit Cortius:

bonorum praemia ereptum eunt. Ita, injustissume, luxuria et ignavia, pessumae artes, illis, qui coluere eas, nihil obficiunt; reipublicae innoxiae cladi sunt. Nunc, quoniam illis, quantum mores mei, non illorum flagitia poscebant, respondi, pauca de republica loquar. Primum omnium, de Numidia bonum habetote animum, Quirites. Nam, quae ad hoc tempus Jugurtham tutata sunt, omnia removistis; avaritiam, imperitiam, superbiam. Deinde exercitus ibi est, locorum sciens; sed mehercule magis strenuus, quam felix: nam magna pars avaritia aut temeritate ducum adtrita. Quamobrem vos, quibus militaris aetas, adnitimini mecum, et capessite rempublicam: neque quemquam ex calamitate aliorum, aut imperatorum superbia, metus ceperit. Egomet in agmine, in proelio, consultor idem, et

---

ipse ego in uno solummodo, sed eo omnium optimo, toties laudato illo Harl. 3., qui quidem etiam collocationem servavit Sallustianam, postposito adjectivo. Harl. 13., *sese dedecoravere*. Malim *flagitiis se omnibus*. Cic. Fragm., "Stupris *se* omnibus ac flagitiis contaminavit."

64. *Tutata sunt*.] Vide not. 9. ad c. 74. supra.

65. *Avaritiam, imperitiam, superbiam*.] Avaritiam Bestiae, imperitiam Auli, superbiam Metelli: sin mireris, superbia hujus quomodo Jugurtham tutaretur, respice c. 64. extr.

66. *Adtrita*.] Sic ed. Romana 1470., item Guelf. 1. apud Cortium, abjecto *est*. Harl. 2. *est attrita;* in 17. autem erasum est verbum substantivum.

67. *Consultor idem, et socius periculi*.] H. e., consultor *simul*, et socius periculi: sed fateor, quum nuper de usu copularum libellum ederem, hanc formulam me fugisse: quare liceat, quae in promtu sunt exempla, hic adscribere. Sic igitur *Liv.* XXI. 21. extr., "Quatuor millia conscripta delectae juventutis, praesidium *eosdem, et* obsides, duci Carthaginem jubet." XXIII. 2., "Pacuvius Calavius..., nobilis *idem, ac* popularis homo, ceterum malis artibus nanctus opes." XXX. 1., "Nobilis *idem, ac* dives, erat." et ibid. c. 37., "Quum... Gisgo ad dissuadendam pacem processisset, audireturque a multitudine, inquieta *eadem, et* imbelli; indignatus Hannibal—." *Tacit. Ann.* XV. 66.,

socius periculi, vobiscum adero: meque vosque in omnibus rebus juxta geram. Et profecto, dis juvantibus, omnia matura sunt, victoria, praeda, laus: quae si dubia aut procul essent, tamen omnis bonos reipublicae subvenire decebat. Etenim ignavia nemo immortalis factus: neque quisquam parens liberis, uti aeterni forent, optavit; magis, uti boni honestique vitam exigerent. Plura dicerem, Quirites, si timidis virtutem verba adderent; nam strenuis abunde dictum puto."

LXXXVI. Hujuscemodi oratione habita, Marius postquam plebis animos arrectos videt, propere commeatu, stipendio, armis, aliis utilibus, navis onerat: cum his A. Manlium legatum proficisci jubet. Ipse interea milites scribere, non more majorum, neque ex classibus, sed uti cujusque lubido erat, capite censos plerosque. Id factum alii bonorum inopia, alii per ambitionem consulis, memorabant, quod ab eo genere celebratus auctusque erat; et homini potentiam quaerenti egentissumus quisque opportunissumus, cui neque sua curae, quippe quae nulla sunt, et

---

"Quem *eumdem* conscium, *et* inquisitorem, non tolerabant."

68. *Meque vosque...juxta geram.*] Supra c. 55., "Ut *se*que et *exercitum* more majorum *gereret.*"

69. *Decebat.*] Deceret; vide not. 17. ad c. 14. supra. Ita Cortius et Harl. 9., 12., 14., 19., 23.: ceteri quidam *deceret:* at 3., 8., 11., 13., 17., 18., 20., 21., 22., Regius, Burn., atque ed. Romana, *decet*, ut vulgo; quod mihi satis fere placet: vide not. 4. ad c. 59. supra.

70. *Virtutem verba adderent.*] Harl. 2. et 6. *verba v. add.;* 12. *v. add. verba:* Burn. autem omisit *verba.*

LXXXVI. 1. *Capite censos.*] Lege *Gell.* XVI. 10.

2. *Bonorum inopia.*] Collocatio Harl. tertii est. *Boni* autem h. l. sunt homines honestioris census.

3. *Celebratus auctusque.*] Frequentatus, quum peteret, et postremo ad consulatum victor provectus: vide c. 73. supra.

4. *Cui neque sua curae.*] Hanc

omnia cum pretio honesta. Igitur Marius cum majore aliquanto numero, quam decretum erat, in Africam profectus, diebus paucis Uticam advehitur. Exercitus traditur a P. Rutilio, legato; nam Metellus conspectum Marii fugerat, ne videret ea, quae audita animus tolerare nequiverat.

---

lectionem, vulgatam quidem, quam tamen in M. S. perpaucis editores repererunt, fideliter servant Harl. 3., 4., 18., et Regius: aliter *sua cara*. Conf. *Catil.* c. 37.

5. *Et omnia cum pretio honesta.*] Addunt vulgati libri *videntur:* at istud abjicere jubet optimus Harl. 3., quem expertum ducem non lubet deserere; ita enim mihi persuasi, melius cum uno sapere, quam cum multitudine delirare. Sensum nimirum eleganter sustentat casus tertius. *Cic. Acad. Qu.* IV. 44., "Satis durum; sed Zenoni necessarium; *cui*, praeter honestum, nihil est in bonis." *Idem Parad.* V. 2., "An ille *mihi* liber, cui mulier imperat?" Exempla apud eumdem in philosophicis libris passim obvia sunt; duo posui, quae ultro animo occurrerunt: sed habet eamdem vim casus tertius in loquutione Nostro usitata, *potiorem esse alicui;* supra c. 8. et 67. Quod vero in priore membro pronomen vim non plane parem exercet, id castigationi obstare dixerit nemo, qui quidem ingenium Sallustii cognitum habeat, quamque Noster omnem adamet syllepsin: quamquam re vera non adeo multum interest: *cui neque sua curae sunt*, h. e., qui neque sua curanda arbitratur; *quippe quae nulla sunt*— nihili, vilissima. Sed, quo minus dubitandum sit, non secus pronomen dupliciter construxit Noster supra c. 22., "*Sibi* neque *majus* quidquam, neque *carius*, auctoritate senati." Geminus locus est: nam *sibi majus est* se judice majus, suo judicio. Istud autem ignavissimum verbum *videri* passim infarciunt librarii: v. n. 20. et 22. ad *Catil.* c. 52.— *Cum pretio:* Soph. Elect. 61., Δοκῶ μὲν οὐδὲν ῥῆμα σὺν κέρδει κακόν. Noster I. *Hist.* orat. Lepidi, "At ille eo processit, uti ... *omnia* retinendae dominationis *honesta* existumet."

6. *Quam decretum erat.*] Quam erat is, quo cum illum proficisci decretum erat: v. n. 12. ad c. 63. supra.

7. *Exercitus traditur*—.] Ita ed. Romana 1470., pronomine *eo* omisso, quod h. l. eo facilius subaudiendum, quia nunc iterum loquutionem et quasi formulam agnoscimus: eadem supra est c. 44.— Infra Harl. 15. *quae animus audita.*

LXXXVII. Sed consul, expletis legionibus cohortibusque auxiliariis, in agrum fertilem et praeda onustum proficiscitur; omnia capta militibus donat: dein castella et oppida natura et viris parum munita adgreditur: proelia multa, ceterum levia, alia aliis locis, facere. Interim novi milites sine metu pugnae adesse: videre fugientis capi, occidi; fortissumum quemque tutissumum; armis libertatem, patriam, parentesque, et alia omnia, tegi; gloriam atque divitias quaeri. Sic brevi spatio novi veteresque coaluere, et virtus omnium aequalis facta. At reges, ubi de adventu Marii cognoverunt, divorsi in locos difficilis abeunt. Ita Jugurthae placuerat, speranti, mox effusos hostis invadi posse; Romanos, sicuti plerosque, remoto metu, laxius licentiusque futuros.

LXXXVII. 1. *Omnia capta*—.] Sic Harl. 2., 6., 15.; quartus *ubi omnia* —: vulgo *omnia ibi* —; ed. nonnullae *o. c. ibi*. Mox Harl. 8. *natura, viris*, sine copula.

2. *Ceterum levia, alia aliis locis.*] Ita locum constituendum jam olim monuit Ciacconius; Cortius autem, quum nihil verius esse praedicet, potuit tamen vulgatam synchysin miserabilem in contextu retinere, *ceterum alia levia aliis locis*. Similiter apud *Livium* XXIV. 20., "Dum haec aliis locis ab Romanis geruntur," rescribendum existimo *alia aliis locis*. Gronovius autem, cui viri docti assentiuntur, explendum censuit *aliis atque aliis;* quae formula quum Liviana admodum sit, tamen minus apte in communitate temporis adhibeatur, soletque fere seriem successionemque rerum notare: supra c. 72., "*Alio atque alio* loco...noctu requiescere."

3. *Capi, occidi.*] Vide not. 3. ad c. 62. supra.

4. *Speranti, mox effusos*—.] Harl. 3. et 14. *separatim mox effusos*—; de quo dubito, quid sit statuendum: prior ille codex magnopere me movet; quumque ita participium aliquod, quale *speranti*, sit intelligendum, res videtur minime ingenio librariorum accommodata: et in compendiosa scriptura facillimus lapsus fuisset.

5. *Invadi posse.*] Cortius damnatum reliquit τὸ *posse;* quod tamen solet cum verbo *sperare* adhiberi: *Tacit. Ann.* I. 53. et *Hist.* II. 11.

6. *Laxius licentiusque futuros.*] Vide not. 25. ad c. 14. supra.

LXXXVIII. Metellus interea, Romam profectus, contra spem suam laetissumis animis excipitur; plebi patribusque, postquam invidia decesserat, juxta carus. Sed Marius impigre prudenterque suorum et hostium res pariter adtendere; cognoscere quid boni utrisque, aut contra, esset; explorare itinera regum, consilia et insidias antevenire; nihil apud se remissum, neque apud illos tutum, pati. Itaque et Gaetulos et Jugurtham, ex sociis nostris praedam agentes, saepe adgressus itinere fuderat, ipsumque regem haud procul ab oppido Cirta armis exuerat. Quae postquam gloriosa modo, neque belli patrandi, cognovit, statuit urbis, quae viris aut loco pro hostibus et advorsum se opportunissumae erant, singulas circumvenire: ita Jugurtham aut praesidiis nudatum, si ea pateretur, aut proelio certaturum. Nam Bocchus nuntios ad eum saepe miserat, Velle populi Romani amicitiam; ne quid ab se hostile timeret. Id simulaveritne, quo improvisus gravior accideret, an mobilitate

---

LXXXVIII. 1. *Nihil...apud illos tutum pati.*] *Tacit. Agric.* 20., "Et nihil interim apud hostes quietum pati."

2. *Adgressus itinere.*] Sic Gruterus et Cortius, deleta praepositione; quam bene, ut dubitem, facit *Livius* XXXV. 1, "Lusitanos, pervastata ulteriori provincia, cum ingenti praeda domum redeuntes, *in ipso itinere aggressus.*"

3. *Armis exuerat.*] Fugientem coëgerat arma abjicere.

4. *Modo, neque—.*] Vide not. 4. ad *Catil.* c. 24.—*Belli patrandi:* vide ibid. c. 6. n. 9.

5. *Pro hostibus et advorsum se.*] Copulam reticet Harl. 11., ut idem supra c. 84., "Magnifica pro se, illis dolentia." *Liv.* XLIV. 38., "Quam multa *pro hoste et adversus nos* fuerint."

6. *Nudatum.*] Sc. *fore.*

7. *Ne quid ab se hostile timeret.*] *Liv.* XXIII. 15., "Quem...*metus a* praetore Romano...ad transfugiendum stimulabat." et c. 36., "Gracchus...Cumas se propere recepit, *ab* Hannibale *metuens.*" XXIV. 32., "Sed non *ab* eisdem omnes *timere*, nec eosdem odisse." Adde *Terent. Andr.* I. 1. 79.

8. *Gravior accideret.*] Ed. Cortiana *gravius*, quomodo ex scriptis

ingenii pacem atque bellum mutare solitus, parum exploratum.

LXXXIX. Sed consul, uti statuerat, oppida castellaque munita adire; partim vi, alia metu, aut praemia ostentando, avortere ab hostibus. Ac primo mediocria gerebat, existumans, Jugurtham ob suos tutandos in manus venturum. Sed, ubi procul abesse, et aliis negotiis intentum, accepit, majora et aspera adgredi tempus visum. Erat inter ingentis solitudines oppidum magnum atque valens, nomine Capsa, cujus conditor Hercules Libys memorabatur. Ejus cives apud Jugurtham immunes, levi imperio, et ob ea fidelissumi, habebantur; muniti advorsum hostis non moenibus modo, et armis atque viris, multo magis locorum asperitate. Nam, praeter oppido propinqua, alia omnia vasta, inculta, egentia aquae, infesta serpentibus; quarum vis, sicuti omnium ferarum, inopia cibi acrior: ad hoc natura serpentium, ipsa perniciosa, siti magis, quam alia re, accenditur. Ejus potiundi

---

ne unus quidem ineptit: sed librarii opera se ipsa fatetur.

LXXXIX. 1. *In manus venturum.*] Manus conserturum: infra c. 101., "Ab jaculis eminus emissis corpora tegere, et si qui *in manus venerant*, obtruncare." Adde not. 3. ad c. 57. supra.

2. *Majora et aspera.*] Sic Cortius, deleto *magis;* quod ab Harl. quoque 20. abest: vide not. 11. ad *Catil.* c. 5. Harl. 16. *majora et magis ardua:* et fieri poterat, ut librarii scripturam corrumperent propter subsequens illud, "Quia res *aspera* videbatur."—*Adgredi tempus:* Liv. VI. 18., "*Tempus* est etiam majora *conari.*" vide not. 6. ad *Catil.* c. 13.—Supra recte Harl. 15. et 22. *ubi procul abesse*, omisso pronomine *illum*, quod unico auctore delevit Cortius.

3. *Habebantur.*] Vide not. 4. ad c. 44. supra.

4. *Multo magis*—.] Sic Cortius; vulgo *verum etiam m. m.:* vide not. 9. ad c. 33. supra.

5. *Quarum vis...: ad hoc natura serpentium*, etc.] Conjeci aliquando, *Quarum vis*, (*sicuti omnium ferarum inopia cibi acrior adhuc natura*) *ipsa perniciosa, siti magis, quam alia re, accenditur:* quo me duxit *Servius*, qui locum

Marium cupido maxuma invaserat: quum propter usum belli, tum quia res aspera videbatur, et Metellus oppidum Thalam magna gloria ceperat, haud dissimiliter situm munitumque, nisi quod apud Thalam non longe a moenibus aliquot fontes erant, Capsenses una modo, atque ea intra oppidum, jugi aqua, cetera pluvia utebantur. Id ibique, et in omni Africa, qui procul a mari incultius agebant, eo facilius tolerabatur, quia Numidae plerumque lacte et ferina carne vescebantur, neque salem, neque alia irritamenta gulae quaerebant; cibus illis advorsum famem atque sitim, non lubidini neque luxuriae, erat.

XC. Igitur consul, omnibus exploratis, dis, credo, fretus

---

citat ad *Virg. Ge.* III. 434. compendiose sic, *Quod genus siti magis, quam alia re, accenditur.* Sed codices nihil praesidii ostendunt, nisi quod *serpentum* in nonnullis locum mutat. *Alia* pro *alia qua:* vide not. 2. ad *Catil.* c. 17.

6. *Marium cupido maxuma invaserat.*] Harl. 3. reticet *Marium;* et contra talem codicem equidem non magnopere repugno. Adjectivum *maxuma* autem postposui, monentibus Harl. 8., 11., 12., 18., sic *Catil.* c. 5., *lubido maxuma;* supra c. 4., *industria maxuma.*

7. *Non longe.*] Sic cod. omnes: frustra Cort. *haud longe;* immo infacete, quum eadem ista particula tantulo spatio praecedat.

8. *Atque ea—.*] Vide *Doctr. Copularum* c. 1. n. 18.

9. *In omni Africa, qui...agebant.*] Apud omnes Afros: ita Cortius; vulgo *quae...agebat.—Incultius agebant*: vide not. 9. ad c. 19. supra, item not. 4. ad c. 55.

10. *Quia Numidae plerumque* etc.] Immo Afri—incolae. *Livius* XXXVIII. 18., "Duci inde exercitus per Axylon (quam *vocant*) terram coeptus. Ab re nomen habet...fimo bubulo pro lignis *utuntur.*" sc. incolae.

11. *Neque alia irritamenta gulae.*] Harl. 14. *et alia.* Tacit. Hist. II. 62., "Ex urbe atque Italia *irritamenta gulae* gestabantur."

12. *Neque luxuriae.*] Harl. 9. et 18., item Cortiani duo, *atque:* vide not. 11. ad c. 41. supra.

XC. 1. *Dis, credo, fretus.*] Harl. 15. sequutus verbum *credo* interposui, quum vulgo praeponatur; id quod Cortius etiam sine codice ullo auctore faciendum existimavit *Catil.* c. 52., "Falsa, *credo*, existumans, quae—." qui tamen hoc loco tacet.

(nam contra tantas difficultates consilio satis providere non poterat; quippe etiam frumenti inopia tentabatur, quod Numidae pabulo pecoris magis, quam arvo, student, et, quodcumque natum fuerat, jussu regis in loca munita contulerant, ager autem aridus et frugum vacuus ea tempestate, nam aestatis extremum erat), tamen pro rei copia satis providenter exornat: pecus omne, quod superioribus diebus praedae fuerat, equitibus auxiliariis agendum adtribuit: A. Manlium legatum cum cohortibus expeditis ad oppidum Laris, ubi stipendium et commeatum locaverat, ire jubet; se praedabundum post paucos dies eodem venturum. Sic incepto suo occulto pergit ad flumen Tanam.

XCI. Ceterum in itinere quotidie pecus exercitui per centurias, item turmas, aequaliter distribuere, et, ex coriis utres uti fierent, curabat: simul et inopiam frumenti lenire, et, ignaris omnibus, parare, quae mox usui forent. Denique sexto die, quum ad flumen ventum est, maxuma vis utrium effecta. Ibi castris levi munimento positis, milites cibum capere, atque, uti simul cum occasu solis egrederentur, paratos esse, jubet; omnibus sarcinis abjectis, aqua modo seque et jumenta onerare. Dein, postquam tempus visum,

---

2. *Quippe etiam frumenti inopia tentabatur.*] Quippe tentabatur, sc. ab Jugurtha Numidisque, ut Marius insuper inopia frumenti laboraret. *Inopia* nimirum prima positio est: vide not. 3. ad c. 50. supra.

3. *Tamen pro rei copia—.*] Quasi anacoluthia est; et particula *tamen* sensui condonanda est.

XCI. 1. *Distribuere.*] Vulgo *distribuerat:* Harl. 4., 12., 15., *distribuebat;* 13. *distribuitur:* at recte a prima manu Guelf. 3. apud Cortium *distribuere;* vide not. 2. ad *Catil.* c. 16.

2. *Ignaris omnibus.*] Harl. 9. *ignaris omnia,* quod significantius: supra c. 19., *cetera ignarus.* In Cicerone ex tali duplici lectione conjicere liceret, *ignaris omnia omnibus;* in Sallustio non licet: v. n. 3. ad c. 4. supra.

3. *Maxuma vis utrium.*] Vide not. 9. ad c. 75. supra.

castris egreditur, noctemque totam itinere facto, consedit: idem proxuma facit; dein tertia, multo ante lucis adventum, pervenit in locum tumulosum, ab Capsa non amplius duum millium intervallo, ibique, quam occultissume potest, cum omnibus copiis opperitur. Sed, ubi dies coepit, et Numidae, nihil hostile metuentes, multi oppido egressi, repente omnem equitatum, et cum his velocissumos pedites, cursu tendere ad Capsam, et portas obsidere, jubet; deinde ipse intentus propere sequi, neque milites praedari sinere. Quae postquam oppidani cognovere, res trepidae, metus ingens, malum improvisum, ad hoc pars civium extra moenia in hostium potestate, coëgere, uti deditionem facerent. Ceterum oppidum incensum; Numidae puberes interfecti, alii omnes venum dati; praeda militibus divisa. Id facinus, contra jus belli, non avaritia neque scelere consulis admissum; sed, quia locus Jugurthae opportunus, nobis aditu difficilis; genus hominum mobile, infidum, neque beneficio neque metu coërcitum.

XCII. Postquam tantam rem Marius sine ullo suorum incommodo patravit, magnus et clarus antea, major atque clarior haberi coepit. Omnia non bene consulta in virtutem

---

4. *Castris egreditur.*] Harl. 23. *egr. c.;* quartus autem delet *castris.*

5. *Cursu tendere.*] Vellei. II.70., "Quum in vicino esset agmen *cursu* ad eum *tendentium.*"

6. *In hostium potestate.*] Vide not. 15. ad c. 54. supra.

7. *Admissum.*] Vide not. 11. ad c. 53. supra.

8. *Coërcitum.*] Haud temere umquam *coërcitum*, et proinde neque facile deinceps *coërcendum*, exponit *Perizonius* ad *Sanctii Minerv.* I. 15. 5.: vide not. 1. ad c. 76. et n. 8. ad c. 43. supra.

XCII. 1. *Magnus et clarus antea.*] Vide not. 1. ad c. 84. supra.—*Major atque clarior:* ed. Cort. *m. et c.*, mendose, ut passim. —*Haberi coepit:* damnat *Tacitus* τὸ *coepit*, *Agric.* 18., "Ita petita pace ac dedita insula, *clarus ac magnus haberi* Agricola."

2. *In virtutem trahebantur.*] Ta-

trahebantur: milites, modesto imperio habiti simul, et locupletes, ad coelum ferre; Numidae magis, quam mortalem, timere: postremo omnes, socii atque hostes, credere, illi aut mentem divinam, aut deorum nutu cuncta portendi. Sed consul, ubi ea res bene evenit, ad alia oppida pergit: pauca, repugnantibus Numidis, capit; plura, deserta propter Capsensium miserias, igni corrumpit: luctu atque caede omnia complentur. Denique, multis locis potitus, ac plerisque exercitu incruento, ad aliam rem adgreditur, non eadem asperitate, qua Capsensium, ceterum haud secus difficilem. Namque haud longe a flumine Mulucha, quod Jugurthae Bocchique regnum disjungebat, erat inter ceteram planitiem mons saxeus, mediocri castello satis patens, in immensum editus, uno perangusto aditu; nam omnis natura, velut

---

cit. Ann. I. 62., "Quod Tiberio haud probatum, seu cuncta Germanici in deterius *trahenti*, sive —." et c. 76., "Cur abstinuerit spectaculo ipse, varie *trahebant:* alii..., quidam—." III. 22., "Quod alii civile rebantur,... quidam ad saevitiam *trahebant*." et c. 37., "Utrumque in laudem Drusi *trahebatur*." XIII. 47., "Suspectabat maxime Cornelium Sullam, secors ingenium ejus in contrarium *trahens*, callidumque et simulatorem interpretando." Adde ejusd. *Hist.* II. 20. et 52., V. 13.

3. *Modesto imperio habiti.*] Vide not. 14. ad *Catil.* c. 11.

4. *Magis, quam mortalem, timere.*] Magis, quam hominem; juxta ac deos.

5. *Socii atque hostes.*] Harl. 3. *cives atque hostes;* 17. autem lectori eligendi copiam facit, utroque, et *cives* et *socii*, in contextum recepto: quem morem librariorum saepe jam agnovimus, ut supra c. 49. n. 10., c. 40., n. 3., c. 15. n. 6.

6. *Ubi ea res bene evenit.*] Pronomen delent Harl. 4. et 21.

7. *Ad aliam rem adgreditur.*] Sic Cortius, geminata praepositione. *Liv.* I. 42., "*Adgreditur*que inde *ad* pacis longe maximum opus."

8. *Inter ceteram planitiem.*] In media regione, quae, ad ceteras ejus partes quod attinet, planities erat.

9. *Mediocri castello satis patens.*] Infra c. 98., "Quorum (collium) in uno, *castris* parum *amplo*, fons aquae magnus erat."

10. *Uno perangusto aditu.*] Vul-

opere atque consulto, praeceps. Quem locum Marius, quod thesauri ibi regis erant, summa vi capere intendit. Sed ea res forte, quam consilio, melius gesta. Nam castello virorum atque armorum satis, magna vis frumenti, et fons aquae; aggeribus turribusque et aliis machinationibus locus importunus; iter castellanorum angustum admodum, utrimque praecisum. Vineae cum ingenti periculo frustra agebantur; nam, quum eae paulum processerant, igni aut lapidibus corrumpebantur: milites neque pro opere consistere propter iniquitatem loci, neque inter vineas sine periculo administrare; optumus quisque cadere, aut sauciari, ceteris metus augeri.

---

gati libri *u. p. a. relicto:* Harl. 21. *u. p. relicto aditu:* sed monuit Cortius, Guelf. 10. perbelle negligere *relicto*, idque se etiam ex conjectura delendum vidisse, et attulit *Curt.* VII. 11., "Petra, quam videtis, *unum aditum habet*, quem barbari obsident." Ac debebat idem spuriam vocem fortiter rescindere: aptius istud, de munitionibus si diceretur; nunc vero de situ habituque loci naturali; et frustra Cortius arbitrabatur eumdem *Curtium* V. 3. obstare, "Arctum inter se et Susianos *aditum relinquens.*" Jungendum autem *mons ... uno perangusto aditu*, unum perangustum aditum habens. Supra c. 79., *ager...una specie.*

11. *Quod thesauri ibi regis erant.*] Collocationem Sallustianam adspicis ex optimo Harl. 3. restitutam; et hanc sensus ipse deposcit, *thesauri ibi regis erant*, i. e., aliquot, quidam thesauri, qui regis erant: nam vulgata, *ibi regis thesauri erant*, latissimam sustentat significationem; quam inepte, ex c. 97. intelligendum. Et collocationem *regis thesauri* incommodam sensit scriba Harl. vigesimi, qui proinde *regis* omisit, ut nimiam latitudinem *τοῦ thesauri* compesceret.

12. *Capere intendit.*] *Liv* XXXVI. 44., "Dolonibus erectis altum *petere intendit.*" et c. 45., "Postero die hostem *persequi intenderunt.*" XXXVIII. 2., "Postero die *ducere* ad Argitheam *intendit.*" Noster infra c. 107. extr.

13. *Forte, quam consilio, melius gesta.*] Harl. 11. et 15. *forte melius, q. c., g.;* 13. autem plane omisit *melius*, intelligendum relinquens *potius;* vide not. 8. ad c. 14. supra: 20. *egesta.*

XCIII. At Marius, multis diebus et laboribus consumtis, anxius trahere cum animo, omitteretne inceptum, quoniam frustra erat, an fortunam opperiretur, qua saepe prospere usus. Quae quum multos dies, noctes, aestuans agitaret, forte quidam Ligus, ex cohortibus auxiliariis miles gregarius, castris aquatum egressus, haud procul ab latere castelli, quod avorsum proeliantibus erat, animum advortit inter saxa repentis cochleas; quarum quum unam atque alteram, dein plures, peteret, studio legundi paulatim prope ad summum montis egressus est. Ubi postquam solitudinem intellexit, more humani ingenii, cupido ignara visundi invadit. Et forte in eo loco grandis ilex coaluerat inter saxa, paululum modo prona, dein flexa, atque aucta in altitudinem, quo cuncta gignentium natura fert: cujus ramis modo, modo eminentibus saxis, nisus, Ligus castelli planitiem perscribit, quod cuncti Numidae intenti proeliantibus aderant. Exploratis omnibus, quae mox usui fore ducebat, eadem regreditur, non temere, uti escenderat, sed

---

XCIII. 1. *Trahere cum animo.*] Supra c. 84., *animis trahebant.*

2. *Frustra erat.*] Vide not. 8. ad c. 7. supra.

3. *Prope ad summum montis egressus est.*] Adverbium *prope* delendum monent Harl. 2. et 6.; idque adscitum videtur ex c. 60., "Et jam, scalis egressi, milites *prope* summa ceperant, quum—." Quartus autem abjecit verbum substantivum. Abest istud *prope* etiam ab ed. Romana 1470.

4. *More humani ingenii*, etc.] Ita locum optime restituit Cortius: vulgo, *more humanae cupidinis ignara visundi animum vortit.* Ceterum *ignara*, ignota, ut supra c. 18.

5. *Paululum modo prona.*] Putidum istud *modo:* eamdem maculam sustulimus supra c. 60., "Ubi hostes *paululum* pugnam remiserant;" hoc autem loco codex auctor desideratur.

6. *Gignentium.*] Vide not. 7. ad c. 79. supra.

7. *Castelli planitiem perscribit.*] Quasi *in animo;* hoc est, ita perspicit, ut ejus imaginem in animo scriptam reportet.

tentans omnia, et circumspiciens. Itaque Marium propere adit, acta edocet, hortatur, ab ea parte, qua ipse escenderat, castellum tentet: pollicetur sese itineris periculique ducem. Marius cum Ligure, promissa cognitum, ex praesentibus misit: quorum uti cujusque ingenium erat, ita rem difficilem aut facilem nuntiavere. Consulis animus tamen paulum erectus. Itaque ex copia tubicinum et cornicinum, numero quinque, quam velocissumos delegit, et cum his, praesidio qui forent, quatuor centuriones: omnis Liguri parere jubet, et negotio proxumum diem constituit.

XCIV. Sed, ubi ex praecepto tempus visum, paratis compositisque omnibus, ad locum pergit. Ceterum illi, qui centuriis praeerant, praedocti ab duce, arma ornatumque mutaverant, capite atque pedibus nudis, uti prospectus nisusque per saxa facilius foret: super terga gladii, et scuta;

---

8. *Ex praesentibus.*] Vide not. 5. ad *Catil.* c. 32.

9. *Quorum uti cujusque ingenium erat.*] Per attractionem pro *qui, uti cujusque eorum*—: v. n. 3. ad *C.* c. 11.

10. *Consulis animus tamen paulum erectus.*] Abest *tamen* ab Harl. 11., 13., 15., 18., 23., et Regio. *Erectus* autem pro vulgato *arrectus* rescripsi ex Harl. 9. et 18. atque ed. Venetis; id quod jam Cortius edere volebat.

11. *Et negotio proxumum diem constituit.*] Sic Harl. 14. et 20., Regius, novem Cortiani, atque ed. Venetae; vulgo *ei negotio:* v. n. 3. ad c. 72. supra.

XCIV. 1. *Ubi ex praecepto tempus visum.*] Harl. 12. *ubi incepto*—. Legendum puto, *Sed ex praecepto, ubi tempus visum,...ad locum pergit.* Harl. 3. *pergunt.*

2. *Illi, qui centuriis praeerant.*] Periphrasin esse, docet Ascensius, pro *centuriones:* at quam insulsa periphrasis! immo parum Latina est, quum centuriae nullae adessent. Cortius se lectionem tolerare ait, sed aliquid vitii inesse agnoscere. Mihi vitium haud parvum videtur inesse, ex compendiosa scriptura simul et superscripta interpretatione ortum: et reponendum censeo, *illi qui praesidio erant.*

3. *Capite atque pedibus nudis.*] Harl. 11. *c. et p. nudi;* 12. *capite nudo ac pedibus.*

4. *Facilius foret.*] Vide not. 25. ad c. 14. supra.

verum ea Numidica ex coriis, ponderis gratia simul, et offensa quo levius streperent. Igitur praegrediens Ligus saxa, et si quae vetustate radices eminebant, laqueis vinciebat, quibus adlevati facilius escenderent: interdum timidos insolentia itineris levare manu; ubi paulo asperior adscensus, singulos prae se inermos mittere, deinde ipse cum illorum armis sequi; quae dubia nisu videbantur, potissumus tentare; ac, saepius eadem adscendens descendensque, dein statim digrediens, ceteris audaciam addere. Igitur, diu multumque fatigati, tandem in castellum perveniunt, desertum ab ea parte, quod omnes, sicuti aliis diebus, advorsum hostis aderant. Marius, ubi ex nuntiis, quae Ligus egerat, cognovit, quamquam toto die intentos Numidas habuerat, tum vero, cohortatus milites, et ipse extra vineas egressus, testudine acta succedere, et simul hostem tormentis sagittariisque et funditoribus eminus terrere. At Numidae, saepe antea vineis Romanorum subvorsis, item incensis, non castelli moenibus sese tutabantur, sed pro muro dies noctesque agitare; maledicere Romanis, ac Mario vecordiam objectare; militibus nostris Jugurthae servitium minari; secundis rebus feroces esse. Interim, omnibus, Romanis hostibusque, proelio intentis, magna utrimque vi pro gloria atque imperio his, illis pro salute, certan-

5. *Ex coriis.*] *Liv.* I. 43., " Arma his imperata, galea, clypeum, ocreae, lorica; omnia *ex aere.*"—*Ponderis gratia:* nimirum levioris.

6. *Ubi paulo asperior adscensus*, etc.] Conf. *Liv.* V. 47.

7. *Potissumus.*] Ipse potissimum.—Mox Harl. 4. *adscendens, descendens*, sine copula.

8. *Toto die intentos N. habuerat.*] Vulgo *intentos proelio*: Burnei. *proelio int.;* at Fabric. 1. apud Cortium initio non habuit *proelio;* et, jussu viri doctissimi, delevi. Intellige igitur intentos sibi, quid ipse ageret, ne vacui strategema intelligerent.

9. *Pro gloria...his, illis pro salute.*] Infra c. 114., " Cum Gallis

tibus, repente a tergo signa canere: ac primo mulieres et pueri, qui visum processerant, fugere; deinde, uti quisque muro proxumus erat; postremo cuncti, armati inermesque. Quod ubi accidit, eo acrius Romani instare, fundere, ac plerosque tantummodo sauciare, dein super occisorum corpora vadere; avidi gloriae, certantes murum petere, neque quemquam omnium praeda morari. Sic, forte correcta, Marii temeritas gloriam ex culpa invenit.

XCV. Ceterum, dum ea res geritur, L. Sulla, quaestor, cum magno equitatu in castra venit, quos uti ex Latio et a sociis cogeret, Romae relictus erat. Sed, quoniam tanti viri res admonuit, idoneum visum est de natura ejus cultuque paucis [dicere]; neque enim alio loco de Sullae rebus dicturi sumus, et L. Sisenna, optume et diligentissume omnium, qui eas res dixere, persequutus, parum mihi libero ore loquutus videtur. Igitur Sulla gentis patriciae, familia prope jam exstincta majorum ignavia, literis Graecis atque

---

pro *salute*, non pro *gloria*, certare." *Tacit. Agric.* 26., " Romanis redit animus; ac securi de *salute*, pro *gloria* certabant."

10. *Qui visum processerant.*] Sc. proelium.

11. *Plerosque tantummodo sauciare.*] *Tacit. Agric.* 36., " Plerique semineces, aut integri, festinatione victoriae, relinquebantur."

12. *Dein super occisorum corpora vadere.*] Harl. 11., 12., 13., 17., 20., 21., " Regius, atque ed. Venetae, *vadere corpora.* Romana *obeuntium corpora.* Scribendum *dein supervadere corpora*, sc. sauciatorum pariter occisorumque. Harl. 22. *evadere.*

XCV. 1. *Quos uti...cogeret.*] Sc. equites; atque ita bene Cortius: vulgo *quod;* Gruterus autem ridicule satis *qui uti...exercitum cogeret.*

2. *De natura ejus cultuque.*] Haec collocatio est Harl. 3., item Cortiani unius, eademque, credo, Sallustiana; vulgo *de n. c.que ejus:* vide not. 5. ad c. 54. supra. Continuo octavus *paucis disserere;* et in verbo *dicere* hic nimius videtur Sallustius,—*dicere, dicturi, dixere!* Atque istud *dicere* abjiciendum censeo, in quo subaudiendo paulo humanior haereat nemo.

3. *Familia prope jam exstincta.*] Prope intermortua, quum ex illa

Latinis juxta atque doctissume eruditus, animo ingenti, cupidus voluptatum, sed gloriae cupidior: otio luxurioso; tamen ab negotiis numquam voluptas remorata, nisi quod de uxore potuit honestius consuli: facundus, callidus, et amicitia facilis: ad simulanda negotia altitudo ingenii incredibilis: multarum rerum, ac maxume pecuniae, largitor. Atque, felicissumo omnium ante civilem victoriam, numquam super industriam fortuna fuit; multique dubitavere, fortior, an felicior, esset: nam, postea quae fecerit, incertum habeo, pudeat magis, an pigeat, disserere.

XCVI. Igitur Sulla, ut supra dictum, postquam in Africam [atque in castra Marii cum equitatu] venit, rudis antea et ignarus belli, solertissumus omnium in paucis tempestatibus factus est. Ad hoc, milites benigne adpellare; multis rogantibus, aliis per se ipse, dare beneficia; invitus accipere, sed ea properantius, quam aes mutuum, reddere; ipse ab nullo repetere; magis id laborare, ut illi quam plurimi

---

longo intervallo nemo virtute aut gloria magnus exstitisset.

4. *De uxore.*] Vide Plutarchum in vita.

5. *Incertum habeo.*] Sic *certum habere* apud *Liv.* passim; ut XXI. 43., XXII. 3. et 7., XXVIII. 40. et 43., XXXVI. 28.

XCVI. 1. *Atque in castra Marii cum equitatu.*] Turpissima interpolatione cupio vehementer Sallustium liberare; sed codices obstant: solus Harl. 15. aliquid movet, praeferens *postquam in castra Marii atque in Africam pervenit*, omisso *cum equitatu.* At tu, lector, fac tibi persuadeas, nihil amplius Crispum scripsisse, quam *postquam in Africam venit*: Africa pro Numidia jam supra est c. 21., 22., 25., et alibi; et c. 44., "Sed, *ubi in Africam venit*, exercitus ei traditur Sp. Albini, etc." intelligendum est, non ubi primum provinciam tetigit, sed ubi porro ad castra usque Albini pervenit.

2. *Rudis antea—.*] Vide not. 1. ad c. 84. supra.

3. *Ut illi quam plurimi deberent.*] Notabile Glareano visum est pronomen *illi* pro *ipsi* positum. Cortius autem exempla attulit: illud supra c. 64., "Debere *illi* res suas satis placere." et illud c. 77., "In summo periculo suam salutem, *illorum* socios fore." quae tamen rem non nimis dilucidam facere videntur, quippe quum orationis sint ob-

deberent: joca atque seria cum humillumis agere: in operibus, in agmine, atque ad vigilias multus adesse; neque interim, quod prava ambitio solet, consulis, aut cujusquam boni, famam laedere; tantummodo neque consilio, neque manu, priorem alium pati; plerosque antevenire. Quis rebus brevi Mario militibusque carissumus factus.

XCVII. At Jugurtha, postquam oppidum Capsam, aliosque locos munitos et sibi utilis, simul et magnam pecuniam, amiserat, ad Bocchum nuntios mittit: Quam primum in Numidiam adduceret; proelii faciundi tempus adesse. Quem

---

liquae, in qua satis notum est, pronomen *ille* eum significare, *ad quem;* quomodo autem talia huc faciant, haud facile dixerim. Ac nescio an commode satis jungi possit *illi quam plurimi* (qua mente video jam olim Ascensium fuisse); nam licet *illi* saltem ad sensum referre: "ipse *ab nullo* repetere," ab nullo scilicet eorum, qui ab ipso acceperant. *Tacit. Germ.* 39., "Est et alia luco reverentia. *Nemo* nisi vinculo ligatus ingreditur,...: si forte *prolapsus*, attolli et insurgere haud licitum: per humum *evolvuntur*." Sic autem *deberent* quasi pro *essent:* quomodo solet Noster pro verbo substantivo aliud significantius adhibere: supra c. 31. *obedientes vivamus;* infra c. 102. *acciti ibant;* 109. *missum venisse;* 110. *haud repulsus abibis:* et *Catil.* c. 33. *ulti sanguinem pereamus;* 39. *superiòr discesserat;* alibi saepe.

4. *Joca atque seria.*] *Cic. de Fin.* II. 26., "Quicum *joca, seria,* ut dicitur."

5. *Multus adesse.*] Recte Ascensius *frequens et laboriosus.* Flor. IV. 2., "*Multus* in eo proelio Caesar fuit, mediusque inter imperatorem et militem." *Tacit. Ann.* XIII. 35., "Ipse in agmine, in laboribus, frequens adesse."

6. *Neque consilio, neque manu, priorem.*] *Liv.* III. 19., "Quorum nemo Kaesoni cedebat magnitudine animi; consilium et modum adhibendo ubi res posceret, *priores* erant." et c. 27., "Bello *primus* longe Romanae juventutis." Adde not. 19. ad c. 10. supra.

XCVII. 1. *Quam primum in Numidiam adduceret.*] Impressi omnes *in N. copias add.:* Burneianus *copias in N. add.;* at Harl. 17. vetustissimus reticet *copias,* per ellipsin historicis utriusque linguae plane usitatam. *Liv.* I. 23., "Ea res ab stativis excivit Mettum: *ducit* quam proxime ad hostem potest." et paulo post," "Tullus...in aciem *educit.*" et c. 27. "Tullus...contra hostes *ducit.*"

ubi cunctari accepit, dubium belli atque pacis rationes trahere, rursus, uti antea, proxumos donis corrumpit, ipsique Mauro pollicetur Numidiae partem tertiam, si aut Romani Africa expulsi, aut, integris suis finibus, bellum compositum foret. Eo praemio illectus, Bocchus magna cum multitudine Jugurtham accedit. Ita amborum exercitu conjuncto, Marium, jam in hiberna proficiscentem, vix decima parte die reliqua, invadunt: rati noctem, quae jam aderat, et victis sibi munimento fore, et, si vicissent, nullo impedimento, quia locorum scientes erant; contra, Romanis utrumque ca-

---

VIII. 9., "Romani consules prius, quam *educerent* in aciem, immolaverunt." et c. 19., "A Priverno Plautius...in agrum Fundanum *inducit*." IX. 35., "Fabio, imis montibus *ducenti*..., acies hostium instructa occurrit." XXI. 58., "Ad prima ac dubia signa veris profectus ex hibernis, in Etruriam *ducit*." XXII. 12., "Unde, itineribus summa cum cura exploratis, ad hostem *ducit*." et paulo post, "Nulla mora facta, quin Poenus *educeret* in aciem, copiamque pugnandi faceret." et c. 52., "Hannibal ad minora *ducit* castra oppugnanda." Adde XXIII. 18. et 49., XXIV. 36., XXV. 9. et 11., XXVII. 17., XXVIII. 2. et 5., etc.: item in illo ejusdem, XL. 25., "Principio veris in Ligures Ingaunos [exercitum] *introduxit*." scripti omnes apud Drakenb., unico excepto, *exercitum* ignorant. Noster supra c. 38., "Ipse, quasi vitabundus, per saltuosa loca et tramites *ductare*." ita enim Sallustium scripsisse, audeo pronuntiare. Graecam autem ellipsin illustrat *Schoettg.* ad *L. Bos.* n. 253.

2. *Rationes trahere.*] Supra c. 93., *trahere cum animo.*

3. *Magna cum multitudine.*] Ita Harl. 3., interposito *cum*. Idem 3. cum 16. et 17. *ad Jugurtham;* 11. *accessit.*

4. *Vix decima parte die reliqua.*] Casum sextum *die*, potius quam secundum (supra c. 21. n. 3.), intelligendum existimat Cortius cum Gronovio ad *Liv.* XXIX. 7., "Classis Romana a Messana Locros, *aliquot horis die superante*, accessit:" die reliqua, vix quod ad decimam partem.

5. *Et victis...et, si vicissent,—.*] Sic M. S. plures, quum prius *et* vulgo desit; contra Harl. 11. et 23. delent utrumque. *Victis*, i. e., si victi fuissent.

6. *Nullo.*] Pro *nulli;* ut *nulli*, pro *nullius*, Catil. c. 29.

sum in tenebris difficiliorem. Igitur, simul consul ex multis de hostium adventu cognovit, et ipsi hostes aderant, et, priusquam exercitus aut instrui, aut sarcinas colligere, denique antequam signum, aut imperium ullum, accipere quivit, equites Mauri atque Gaetuli, non acie, neque ullo more proelii, sed catervatim, uti quosque fors conglobaverat, in nostros concurrunt; qui omnes, trepidi improviso metu, ac tamen virtutis memores, aut arma capiebant, aut capientis ab hostibus defensabant: pars equos escendere, obviam ire hostibus: pugna latrocinio magis, quam proelio, similis fieri. Sine signis, sine ordinibus, equites pedites permixti; caedere alios, alios obtruncare, multos, contra advorsos acerrume pugnantis, ab tergo circumvenire: neque virtus neque arma satis tegere, quod hostes numero plures, et undique circumfusi. Denique Romani, veteres novique, et ob ea scientes

---

7. *In tenebris.*] Harl. 11. et 13. delent.

8. *Simul...de hostium adventu cognovit, et ipsi hostes aderant.*] *Tacit. Ann.* VI. 44., "Jamque multa manu propinqua Seleuciae adventabat, quum Tiridates, *simul fama atque ipso Artabano* percussus, distrahi consiliis, iret contra, an bellum cunctatione tractaret."

9. *Quivit.*] Harl. 2. et 6. *quiunt;* 3. *quiverant:* ed. Romana *quivissent:* scribendum *quiverunt.*

10. *Catervatim.*] *Liv.* XXIII. 27., "Jam primi conseruerant manus, quum alii *catervatim* currerent, alii nondum e castris exissent."

11. *Uti quosque fors conglobaverat.*] *Liv.* XXII. 5., "*Fors conglobat*, et animus suus cuique ante aut post pugnandi ordinem dabat."

12. *In nostros concurrunt.*] Sic Cort. et Harl. plures; tertius *occurrunt:* vulgo *incurrunt.* Liv. XXI. 35., "Inde montani pauciores jam, et latrocinii magis quam belli more, *concursabant;* modo *in* primum, modo *in* novissimum agmen."

13. *Aut capientis ab hostibus defensabant.*] Expulso *alios*, auctores sequutus sum Harl. 2. et 6. *Liv.* VIII. 16., "Toties jam Sidicini aut ipsi moverant bellum, aut *moventibus* auxilium tulerant." *Tacit. Ann.* IV. 1., "Saevire ipse, aut *saevientibus* vires praebere." Accedit Burnei., in quo istud *alios* locum mutat.

14. *Et ob ea scientes belli.*] Et

belli, si quos locus aut casus conjunxerat, orbes facere; atque ita ab omnibus partibus simul tecti et instructi hostium vim sustentabant.

XCVIII. Neque in eo tam aspero negotio territus Marius, aut magis, quam antea, demisso animo, fuit: sed cum turma sua, quam ex fortissumis magis, quam familiarissumis, paraverat, vagari passim; ac modo laborantibus suis succurrere, modo hostis, ubi confertissumi obstiterant, invadere: manu consulere militibus, quoniam imperare, conturbatis omnibus, non poterat. Jamque dies consumtus erat, quum tamen barbari nihil remittere, atque, uti reges praeceperant, noctem pro se rati, acrius instare. Tum Marius ex copia rerum consilium trahit, atque, uti suis receptui locus esset, collis duos propinquos inter se occupat: quorum in uno, castris parum amplo, fons aquae magnus erat; alter usui opportunus, quia, magna parte editus et praeceps, pauca munimento quaerebat. Ceterum apud aquam Sullam cum equitibus agitare jubet: ipse paulatim dispersos

---

propterea, h. e., (verbis Ascensii) *quod etiam veterani adessent*, scientes belli. *Ob ea* autem pro *ob id* Graecismum arbitror: διὰ ταῦτα.

XCVIII. 1. *Neque ... territus Marius.*] Conf. *Liv.* XXVII. 49. et *Tacit. Hist.* III. 17.

2. *Laborantibus suis.*] Pronomen delent Harl. 8., 12., 18.

3. *Quum ... remittere.*] Rarior infinitivus pro indicativo post particulas. *Tacit. Ann.* VI. 44., "Jamque multa manu propinqua Seleuciae adventabat, *quum* Tiridates... *distrahi* consiliis, iret contra, an bellum cunctatione tractaret." Noster fragm. I. *Hist.*, "*Quum* ceteri...bellum *irritare*."

4. *Noctem pro se rati.*] *Liv.* XXVIII. 33., "*Pro se* esse loci angustias ratus."

5. *Ex copia rerum.*] Vide not. 8. ad c. 39. supra.

6. *Castris parum amplo.*] Supra c. 92., "Mons saxeus, mediocri *castello* satis *patens*."

7. *Pauca munimento quaerebat.*] Pauca ad munimentum postulabat.

8. *Agitare jubet.*] Sic absolute Harl. 11. et 15.; vulgo *noctem agitare*. Supra c. 59., "Equitatum omnem...pro castris *agitare* jubet."

milites, neque minus hostibus conturbatis, in unum contrahit; dein cunctos pleno gradu in collem subducit. Ita reges, loci difficultate coacti, proelio deterrentur: neque tamen suos longius abire sinunt, sed, utroque colle multitudine circumdato, effusi consedere. Dein, crebris ignibus factis, plerumque noctis barbari suo more laetari, exsultare, strepere vocibus: ipsi duces feroces, quia non fugerent, pro victoribus agere. Sed ea cuncta Romanis, ex tenebris et editioribus locis, facilia visu magnoque hortamento erant.

XCIX. Plurimum vero Marius imperitia hostium confirmatus, quam maxumum silentium haberi jubet; ne signa quidem, uti per vigilias solebant, canere: deinde, ubi lux adventabat, defessis jam hostibus, et paulo ante somno captis, de improviso vigiles, item cohortium, turmarum, legionum tubicines, simul omnis canere, milites clamorem

---

9. *Neque minus hostibus conturbatis.*] Quum ipsi hostes essent non minus conturbati.

10. *Pleno gradu.*] Per euphemismum. Loquutio autem apud *Livium* obvia est, ut IV. 32., XXXIV. 15. et 16.: vide *Veget. de Re Mil.* I. 9.

11. *Quia non fugerent.*] Scripti fere *fugere aut;* inde recte Cortius *fugerent*, quod lubens testor ego in Harl. 8. exstare. *Liv.* XXI. 9., " Quum ... Saguntinis, quia praeter spem *resisterent*, crevissent animi; Poenus, quia non *vicisset*, pro victo esset."— *Pro victoribus agere:* vide not. 4. ad c. 55. supra.

XCIX. 1. *Silentium haberi jubet.*] Harl. 11. primitus *habere:* vide not. 6. ad c. 75. supra.

2. *Vigiles.*] Ita optime emendavit Cortius, etiam invitis libris: vulgo *vectigales.*

3. *Simul omnis canere.*] Ita sincere Harl. 11., Guelf. 10., Leidenses H. et K., ed. Ald. II. et Juntina: vulgo *signa canere.* Harl. 3., 13., 17., 18., 20., 21., *simul omnes tuba canere;* 14. *tubas.* Absolute ergo posuit Sallustius *canere* pro confusum incertumque clangorem edere. *Liv.* II. 64., " Quinctius...quum manere in tentoriis quietum militem jussisset,...cornicines tubicinesque, in equos impositos, *canere* ante vallum jubet, sollicitumque hostem ad lucem

tollere, atque portis erumpere. Mauri atque Gaetuli, ignoto atque horribili sonitu repente exciti, neque fugere, neque arma capere, neque omnino facere aut providere quidquam, poterant: ita cunctos, strepitu, clamore, nullo subveniente, nostris instantibus, tumultu, terrore, formido, quasi vecordia, ceperat. Denique omnes fusi fugatique: arma et signa militaria pleraque capta: pluresque eo proelio, quam superioribus omnibus, interemti; nam somno et metu insolito impedita fuga.

C. Dein Marius, uti coeperat, in hiberna; quae propter commeatum maritumis in oppidis agere decreverat: neque tamen secors victoria, aut insolens, factus; sed pariter, atque in conspectu hostium, quadrato agmine incedere. Sulla cum equitatu apud dextumos, in sinistra A. Manlius cum funditoribus et sagittariis, praeterea cohortes Ligurum, curabat: primos et extremos cum expeditis manipulis tribunos locaverat: perfugae, minume cari et regionum scientissumi, hostium iter explorabant. Simul consul, quasi nullo imposito, omnia providere; apud omnes adesse;

---

tenere."—*Ignota atque*—: ed. Cortiana *et*, mendose, ut passim.

4. *Facere aut providere quidquam.*] *Liv.* XXV. 39., "Hostes simul ignis, clamor, caedes, velut alienatos sensibus, nec audire, nec providere quidquam sinunt."

5. *Superioribus omnibus.*] Sic Harl. 16., postposito *omnibus*.

C. 1. *In hiberna.*] Addunt librarii varie, *it*, *proficiscitur*, *pergit*: facilis hujusmodi verbi ellipsis.

2. *Quae...maritumis in oppidis agere decreverat.*] Repetendum *hiberna*, sed pro *hiberna tempora*, sive tempus hibernorum, etsi supra positum est pro *hiberna castra*; qualis syneseos exemplum desidero. Ad Latinitatem quod attinet, *aestiva agere* apud *Livium* est, XXXVII. 15.; et *hiberna agere* eodem modo, arbitror, dicendum erit. *Maritumis in oppidis* autem, pro vulgata collocatione *in o. m.*, rescripsi ex Harl. 14.

3. *Pariter atque in*—.] Male Cortius *ac*, ut idem supra c. 85. n. 24: corruperant autem librarii, quum *pariter ac* infra vidissent.

4. *Praeterea cohortes Ligurum.*]

laudare, increpare merentis: ipse armatus intentusque; item milites cogebat. Neque secus, atque iter facere, castra munire: excubitum in portas cohortis ex legionibus, pro castris equites auxiliarios mittere; praeterea alios super vallum in munimentis locare: vigilias ipse circumire, non diffidentia futuri, quae imperavisset, quam uti militibus exaequatus cum imperatore labos volentibus esset. Et sane Marius, illoque et aliis temporibus belli, pudore magis, quam malo, exercitum coërcebat: quod multi per ambitionem fieri

---

Quasi dixisset, praeterea *erant in iis, cum quibus curabat*, cohortes Ligurum. Sic infra c. 105, "Is missus *cum praesidio* equitum... *preaterea sagittarii*—." Cort.

5. *Item milites cogebat.*] Sc. armatos intentosque esse: vide not. 1. ad *Catil.* c. 27.

6. *Neque secus*—.] Neque cura sequiore, remissiore.

7. *In portas.*] Sic Cortius ex unico, cui tamen nunc accedunt Harl. 11. et 15.: vulgo *in portis*, contra codices, qui fere omnes *porta*. Jungendum autem *mittere in portas, excubitum*. Neque in Sallustio obstat, quod sequitur *pro castris;* solet enim Noster tales varietates captare; v. n. 2. ad *C.* c. 33.

8. *Non diffidentia futuri, quae imperavisset, quam*—.] Sic, omissa particula *tam*, Gruterus ex melioribus suis et Cortius ex tribus, quibuscum incedit Harl. 4.: estque *non*—, *quam*—, pro *non tam*—, *quam*—, formula historicis usitata. *Liv.* II. 56., "*Non* facile loquor, inquit, Quirites, *quam*, quod loquutus sum, praesto." XXV. 15., "*Non* militum, quos perpaucos habebat, fiducia, *quam* juventutis Thurinae." XXVI. 31., "Sed *non*, quid ego fecerim, in disquisitionem venit, *quam*, quid isti pati debuerint." Constructionem autem, *futuri, quae*—, explet Cortius cum Perizonio ad *Sanct.* II. 9. 4. sic, *non diffidentia futuri negotii eorum quae*—. Frustra Harl. 14. et 17., atque ed. Aldinae, *futura*.

9. *Exaequatus cum imperatore labos.*] Vide not. 3. ad *Catil.* c. 59.—*Volentibus esset:* v. n. 9. ad c. 84. supra.

10. *Illoque et aliis temporibus.*] Sic Harl. 14., item unus Cortianus; vulgo *illoque aliisque:* vide not. 6. ad c. 6. supra. Ed. Cort. mendose *illo et aliis*.

11. *Pudore magis, quam malo.*] *Terent. Adel.* I. 1. 32., "*Pudore* et liberalitate liberos Retinere satius esse credo, quam metu." et v. 44., "*Malo* coactus qui suum offi-

aiebant; pars, quod a pueritia consuetam duritiam, et alia, quae ceteri miserias vocant, voluptati habuisset. Nisi tamen res publica pariter, ac saevissumo imperio, bene atque decore gesta.

CI. Igitur quarto denique die, haud longe ab oppido Cirta, undique simul speculatores citi sese ostendunt; qua re, hostis adesse, intellegitur. Sed, quia divorsi redeuntes, alius ab alia parte, atque omnes idem significabant, consul, incertus quonam modo aciem instrueret, nullo ordine commutato, advorsum omnia paratus, ibidem opperitur. Ita Jugurtham spes frustrata, qui copias quatuor in partis distribuerat, ratus ex omnibus aeque aliquos ab tergo hostibus

---

cium facit,—." *Liv.* II. 54., "*Malo* domandam tribunitiam potestatem."

12. *Pars quod...habuisset.*] Harl. 11. *pars...habuisse.* Dupliciter autem, more suo, construit, et *consuetam habuisset* et *voluptati habuisset:* v. n. 4. ad c. 44. supra.

13. *Nisi tamen respublica pariter*, etc.] Quasi dixisset, Ego quidem, quomodo ea res se habuerit, parum comperi; illud comperi, rempublicam pariter *etc.* Simile enthymema intelligendum reliquit *Livius* I. 12., ubi de morte Tarpeiae proditricis duplici fama memorata, subjungit, "Tenuere *tamen* arcem Sabini." q. d., Utcumque se ea res habuit, illud tamen constat, tenuisse *etc.* Adde not. 7. ad c. 24. supra.

CI. 1. *Quia divorsi redeuntes, ...atque—.*] Quia diversi redeuntes, sc. *erant*, quod ex *significabant* (significantes erant) intelligendum: vide not. 9. ad c. 5. supra. *Alius ab alia parte* autem amplificatio est τοῦ *divorsi*, ut supra c. 46., "Legatos, *alium ab alio*, *divorsos* adgreditur." Nam frustra Gruterus cum Bongarsio et haec et copulam *atque* invadunt.

2. *Quatuor in partis.*] Sic Harl. 8.; vulgo *in q. p.*

3. *Ratus ex omnibus aeque aliquos ab tergo hostibus venturos.*] Locus ad hunc diem ab interpretibus frustra tentatus, ex particula *aeque* scilicet omnibus ingentem molestiam capientibus. Sed piget singulorum sententias recensere: unius Cortii, pro tanta viri gravitate, videtur memoranda. Jungit igitur *aeque ab tergo*, interpretans *juste et directo ab tergo:* cujus in sententiam tametsi ex exemplar

venturos. Interim Sulla, quem primum adtigerant, cohortatus suos, turmatim et quam maxume confertis equis ipse aliique Mauros invadunt: ceteri, in loco manentes, ab jaculis eminus emissis corpora tegere, et, si qui in manus venerant, obtruncare. Dum eo modo equites proeliantur, Bocchus cum peditibus, quos Volux filius adduxerat, neque in priore pugna, in itinere morati, adfuerant, postremam Romanorum aciem invadunt. Tum Marius apud primos agebat, quod ibi Jugurtha cum plurimis. Dein Numida, cognito Bocchi adventu, clam cum paucis ad pedites convortit: ibi

---

in Museo Britannico compertum habeo, virum quemdam doctissimum discessisse, qui quidem huc etiam *Taciti* locum pertraxit, *Hist.* III. 23., "Neutro inclinaverat fortuna, donec, adulta nocte, luna surgens ostenderet acies falleretque. Sed Flavianis *aequior a tergo*." nequeo tamen probare. Quid igitur censes? Praecisam ellipticamque loquutionem esse; sic nimirum explendam: Ratus ex omnibus *aeque aliquos ab tergo* hostibus venturos (sc. *et ceteros a fronte lateribusque*), h. e., tam aliquos ab tergo, quam alios ab aliis partibus: eodemque redit res, ac si scripsisset Sallustius, aliquos *etiam* ab tergo; quae quotidiana Latinitas et ipsa non minus elliptica est, si quidem hic intelligere necesse est,—non modo alios ab aliis partibus, sed etiam aliquos ab tergo. Quadrato agmine incedebat Marius, quum speculatores undique redeuntes hostes adesse significabant: consistens autem, nullo ordine commutato, ab omni parte frontem hostibus opposuit: ita Jugurtham spes frustrata.

4. *Quem primum adtigerant.*] Sic Cort., deleto *hostes;* eique Harl. 4. assentitur. Ed. Romana 1470. *qua primum—.*

5. *In manus venerant.*] Vide not. 1. ad c. 89. supra.

6. *Quos Volux filius adduxerat.*] Pronomen *ejus* jussu Harl. 3. et 13. expunxi. Notabilis autem nexus, *quos...adduxerat, neque... adfuerant.* Similiter *Hirt. de B. Afric.* 97., "Leptitanos, *quorum* superioribus annis bona Juba diripuerat, *et* ad senatum questi per legatos, atque arbitris a senatu datis sua *receperant,...*multat, ideo quod—."

7. *Invadunt.*] Vide not. 1. ad *Catil.* c. 43. Infra *cum plurimis*, verbum substantivum Cort. recte abjecisse, probat Harl. 4.

8. *Ad pedites convortit.*] Mauros

Latine (nam apud Numantiam loqui didicerat) exclamat, nostros frustra pugnare; paulo ante Marium sua manu interfectum: simul gladium sanguine oblitum ostendere, quem in pugna, satis impigre occiso pedite nostro, cruentaverat. Quod ubi milites accepere, magis atrocitate rei, quam fide nuntii, terrentur; simulque barbari animos tollere, et in perculsos acrius incedere. Jamque paulum ab fuga aberant, quum Sulla, profligatis, quos advorsum ierat, Mauris ab latere incurrrit. Bocchus statim avortitur. At Jugurtha, dum sustentare suos, et prope jam adeptam victoriam retinere cupit, circumventus ab equitibus, dextra, sinistra omnibus occisis, solus inter tela hostium vitabundus erumpit. Atque interim Marius, fugatis equitibus, occurrit auxilio suis, quos pelli jam acceperat. Denique hostes undique fusi. Tum spectaculum horribile campis patentibus: sequi, fugere; occidi, capi; equi, viri adflicti: ac multi, volneribus acceptis, neque fugere posse, neque quietem pati; niti modo, ac statim concidere: postremo omnia, qua visus erat,

---

scilicet, cum quibus Bocchus postremam aciem invaserat. Absolute *convortit*, ut supra c. 20.

9. *In perculsos acrius incedere.*] Sic Cort. ex ed. vet., omisso *Romanos:* codicem M. S. autem approbatorem adscribo Harl. 11.

10. *Erumpit.*] Harl. 2., 3., 6., 14., 15., 16., 17., 20., 21., 23., *erupit.*

11. *Occurrit.*] *Liv.* XXXVI. 24., "Adversus quos undique ad opem ferendam *occurrunt* Aetoli." adde XXI. 61., XXXVII. 32.

12. *Tum spectaculum—.*] *Tacit. Agric.* 37., "Tum vero patentibus locis grande et atrox spectaculum: sequi, vulnerare, capere atque eosdem, oblatis aliis, trucidare...Passim arma, et corpora, et laceri artus, et cruenta humus." Conf. item *ejusd. Hist.* II. 70.

13. *Sequi, fugere,* etc.] Malim *fugere, sequi.* Xenoph. Κύρου Π. VII. 1. 40., Κατείδε μεστὸν τὸ πεδίον ἵππων, ἀνθρώπων, ἁρμάτων, φ ε υ γ ό ν τ ω ν, δ ι ω κ ό ν τ ω ν, κρατούντων, κρατουμένων.

14. *Occidi, capi.*] Vide not. 3. ad c. 62. supra.

15. *Qua visus erat.*] Harl. 3. *quae visui erant.*

constrata telis, armis, cadaveribus, et inter ea humus infecta sanguine.

CII. Postea loci consul, haud dubie jam victor, pervenit in oppidum Cirtam, quo initio profectus intenderat. Eo post diem quintum, quam iterum barbari male pugnaverant, legati a Boccho veniunt, qui regis verbis ab Mario petivere, Duo quam fidissumos ad eum mitteret; velle de se, et de populi Romani commodo, disserere. Ille statim L. Sullam et A. Manlium ire jubet. Qui quamquam acciti ibant, tamen placuit verba apud regem facere, ingenium aut avorsum uti flecterent, aut cupidum pacis vehementius accenderent. Itaque Sulla, cujus facundiae, non aetati, a Manlio concessum, pauca verba hujuscemodi loquutus.

" Rex Bocche, magna nobis laetitia, quum talem te virum, di monuere, uti aliquando pacem, quam bellum, malles; neu te optumum cum pessumo omnium Jugurtha miscendo commaculares; simul nobis demeres acerbam necessitudinem, pariter te errantem et illum sceleratissu-

---

16. *Humus infecta sanguine.*] Conf. Xenoph. jam ad *Catil.* c. LXI. allatum.

CII. 1. *Post diem quintum.*] H. e, sexto die: vide not. 5. ad *Catil.* c. 48.—*Quam*—: v. n. 10. ad c. 76. supra.—Mox *regis verbis:* v. n. 12. ad c. 21.

2. *De se et de populi Romani commodo.*] Sic Cortius ex unico; vulgo *de suo:* exquisitius illud, et agnoscit etiam codex M. S. apud F. G. Pottier, item ed. Parisiensis 1470. *Flor.* II. 6., " Mox et *ipse*, et *exercitus ardor*, elanguit."—Continuo insertum vulgo legitur *cum his*, quod Cortius spurium pronuntiavit, ego autem auctoribus Harl. 13., 14., 17., delevi. Sed et supra Harl. 9. tollendum suadet *ad eum.*

3. *A Manlio.*] Harl. 13. delet.

4. *Talem te virum.*] Ita Harl. 3. pro fide sua singulari; ut supra c. 10. *talem hunc virum:* vulgo *te talem v.*, quod teretes aures aegre ferant necesse est.

5. *Aliquando.*] Vide not. 13. ad *Catil.* c. 52.—*Malles:* v. n. 8. ad c. 32. supra.

mum persequi. Ad hoc, populo Romano jam inopi visum amicos, quam servos, quaerere: tutius rati volentibus, quam coactis, imperitare. Tibi vero nulla opportunior nostra amicitia: primum, quod procul absumus; in quo offensae minumum, gratia par, ac si prope adessemus: dein, quod parentes abunde habemus; amicorum neque nobis, neque cuiquam omnium, satis. Atque hoc utinam a principio placuisset! profecto ex populo Romano ad hoc tempus multo plura bona accepisses, quam mala perpessus es. Sed, quoniam humanarum rerum Fortuna pleraque regit, cui scilicet placuisse et vim et gratiam nostram experiri, nunc, quando per illam licet, festina, atque, ut coepisti, perge. Multa atque opportuna habes, quo facilius errata officiis superes. Postremo hoc in pectus tuum demitte, numquam

---

6. *Persequi*] Persequendi: vide not. 3. ad *Catil.* c. 17.

7. *Amicos, quam servos.*] Amicos potius; v. n. 8. ad c. 14. supra.

8. *Tutius rati volentibus*, etc.] Conf. *Liv.* VIII. 13. et 21., X. 16., XXVI. 49.; item *Terent. Adel.* I. 1. 40.—42. Demosth. Ol. III. 9., τῶν Ἑλλήνων ἦρξαν ἑκόντων.

9. *Parentes abunde.*] Vide not. 1. ad *Catil.* c. 21.—Mox *neque cuiquam omnium:* vide ibid. c. 51. n. 2.

10. *Atque hoc utinam a principio placuisset.*] Vulgo *tibi placuisset;* Harl. sex *utinam tibi;* at melius multo 12., 13., 15., 19., pronomen omittunt. Quintusdecimus autem *haec...placuissent;* ut *Catil.* c. 58., "Quia illa foeda atque intoleranda viris videbantur, *haec* sequi decrevistis." Ceterum intellige, pacem quam bellum malle.

11. *Quam mala perpessus es.*] Cortius ex suis omnibus *perpessus esses:* alterum agnoscit Harl. 15., et sensus flagitat. Hic autem deficit optimus Harl. 3., usque ad c. 107., Gothicam manum perpessus.

12. *Cui scilicet placuisse—.*] Sic cum infinitivo *scilicet* infra c. 113., "Quae *scilicet*, tacente ipso, occulta pectoris *patefecisse.*" item supra c. 4.—*Experiri:* int. *te* experiri.—Mox Harl. 9. delet *per illam.*

13. *Errata officiis superes.*] Abest *officiis* ab Harl. 2. et 6., nec veretur Cortius id glossatorum commentum dicere: 22. *off. e. s.*

populum Romanum beneficiis victum: nam, bello quid valeat, tute scis."

Ad ea Bocchus placide et benigne; simul pauca pro delicto verba facit: Se non hostili animo, sed regnum tutatum, arma cepisse; nam Numidiae partem, unde vi Jugurtham expulerat, jure belli suam factam; eam vastari ab Mario pati nequivisse: praeterea, missis antea Romam legatis, repulsum ab amicitia: ceterum vetera omittere, ac tum, si per Marium liceret, legatos ad senatum missurum. Dein, copia facta, animus barbari ab amicis flexus, quos Jugurtha, cognita legatione Sullae et Manlii, metuens id, quod parabatur, donis corruperat.

---

14. *Beneficiis victum.*] *Liv.* I. 17. extr., "Adeo id gratum plebi fuit,ut,ne *victi beneficio* viderentur, id modo sciscerent—."

15. *Placide et benigne.*] Sc. *respondit:* vide supra c. 83. n. 9.

16. *Regnum tutatum.*] Ita Cortius; vulgo *ob r. tutandum.*

17. *Unde vi Jugurtham expulerat.*] Unde *Marius* expulisset, intelligit Cortius; quasi illam ipsam Numidiae partem Boccho praemium promisisset Jugurtha (c. 97.) in qua Capsa, ceteraque oppida et castella sita erant, quae nuper cepisset Marius: et mox jus belli ex Mauri interpretatione intelligendum esse. Sic autem excusationem parum idoneam affert Bocchus, avaritiam immanem; nec credere queo, hominem etiam barbarum fuisse istam pactionem praedicaturum, nisi Sullam pro stulto habuisset. Nimis profecto absurdum fuisset, Bocchum negasse, hostili se animo arma cepisse, sed tantummodo ad regnum tutandum, si ipsa ista regni pars merces fuisset expellendorum Africa Romanorum! id ne Maurus quidem diceret. Quapropter cum Ascensio existimo, haec potius de bello quodam inter Jugurtham et Bocchum jam antea, fortasse per foedus matrimonii, composito intelligenda.—De vocula *vi* nihil monuit Cortius, quae tamen et in vulgatis libris et in scriptis plerisque desideratur; eamque servus Bipontinus, qui passim editionis Cortianae mendas fideliter expressit, noluit excipere. Excidit autem ea literis initialibus nominis *Jugurtham* absumta, et tuentur Harl. 2., 6., 12., 19., 21.

18. *Copia facta.*] Sc. mittendi.

19. *Donis corruperat.*] Harl. 11. delet *donis.*

CIII. Marius interea, exercitu in hibernaculis composito, cum expeditis cohortibus et parte equitatus proficiscitur in loca sola, obsessum turrim regiam, quo Jugurtha perfugas omnis praesidium imposuerat. Tum rursus Bocchus, seu reputando, quae sibi duobus proeliis venerant, seu admonitus ab amicis, quos incorruptos Jugurtha reliquerat, ex omni copia necessariorum quinque delegit, quorum et fides cognita, et ingenia validissuma erant. Eos ad Marium, ac dein, si placeat, Romam, legatos ire jubet: agendarum rerum, et quocumque modo belli componendi, licentiam permittit. Illi mature ad hiberna Romanorum proficiscuntur: deinde, in itinere a Gaetulis latronibus circumventi spoliatique, pavidi, sine decore ad Sullam perfugiunt, quem consul, in expeditionem proficiscens, pro praetore reliquerat. Eos ille non pro vanis hostibus, uti meriti erant, sed adcurate ac liberaliter habuit; qua re barbari et famam Romanorum avaritiae falsam, et Sullam, ob munificentiam in sese, amicum rati. Nam etiam tum largitio

---

CIII. 1. *In hibernaculis.*] *Liv.* XLII. 9., " Legionibus extemplo Pisas in *hibernacula* missis." Frustra Cortius ex scriptis duobus atque ed. quibusdam vetustis *in hibernis:* vide Cl. *Drakenb.* ad *Liv.* XXXV. 7. 7.

2. *Et parte equitatus.*] Desunt Harl. 11.

3. *Venerant.*] Evenerant: sic *Liv.* IX. 12., X. 45., XXIV. 40., XLIV. 17.

4. *Quorum et fides cognita—.*] Sc. *maxime,* quod ex subsequenti superlativo *validissuma* intelligendum: vide not. 11. ad *Catil.* c. 5.—Regius *cognita fides.*

5. *Belli componendi.*] Ed. Romana 1470. absolute *componendi.*

6. *In itinere.*] Exsulat praepositio ex contextu Cortiano, consulto an mendose, parum liquet: supra c. 101., *in itinere morati:* adde not. 2. ad c. 88.

7. *Adcurate ac liberaliter habuit.*] *Liv.* II. 22., Gratias agunt, liberaliter *habiti* cultique in calamitate sua." et XXXVII. 34., " Constat,...neque liberalius neque benignius *haberi* colique ado-

multis ignara: munificus nemo putabatur, nisi pariter volens: dona omnia in benignitate habebantur. Igitur quaestori mandata Bocchi patefaciunt; simul ab eo petunt, uti fautor consultorque sibi adsit: copias, fidem, magnitudinem regis sui, et alia, quae aut utilia aut benevolentiae credebant, oratione extollunt: dein, Sulla omnia pollicito, docti, quo modo apud Marium, item apud senatum, verba facerent, circiter dies quadraginta ibidem opperiuntur.

CIV. Marius postquam, infecto quo intenderat negotio, Cirtam redit, et de adventu legatorum certior factus; illosque et Sullam venire jubet, item L. Bellienum praetorem Utica, praeterea omnis undique senatorii ordinis, quibuscum mandata Bocchi cognoscit. Legatis potestas eundi Romam fit ab consule: interea induciae postulabantur. Ea Sullae et plerisque placuere: pauci ferocius decernunt, scilicet ignari humanarum rerum, quae, fluxae et mobiles, semper in advorsa mutant. Ceterum Mauri, impetratis omnibus, tres Romam profecti cum Cn. Octavio Rufo, qui

---

lescentem, quam cultus est, potuisse." Adde XXIX. 8., XXXVI. 14., Nostrum infra c. 113.

8. *Quae ... benevolentiae credebant.*] Puta *conciliandae;* v. n. 9. ad *Catil.* c. 6.

CIV. 1. *Infecto quo intenderat negotio.*] Per attractionem relativi Graecis usitatam, pro *infecto, quod intenderat, negotio:* supra c. 25., "Neque, *quod intenderat*, efficere potest." Resolvendum autem, *intenderat negotium, quo negotio infecto redit.* Laborata nimis resolutio Cortiana, *infecto negotio, quo confecto redire intenderat.*

2. *Postquam...redit, et...certior factus.*] Sic cod. plures, nisi quod addunt fere *est*: vulgo autem, omissa copula, jungunt *certior factus...jubet.*

3. *Ea...placuere.*] Absolute *ea:* sc. et potestas facta, et postulatae induciae.

4. *Mutant.*] Sic emendatum supra c. 78., "Ita facies locorum cum ventis *mutat*," pro *mutatur*, ubi vide adnotata.

5. *Impetratis omnibus.*] Addidit Cortius *rebus*, quod agnoscunt quidem Harl. pauci; at, cur librarii, ad talia adsuenda potius

quaestor stipendium in Africam portaverat, duo ad regem redeunt. Ex his Bocchus, quum cetera, tum maxume benignitatem et studium Sullae lubens accepit. Romae legatis ejus, postquam errasse regem, et Jugurthae scelere lapsum, deprecati sunt, amicitiam et foedus petentibus, hoc modo respondetur: " Senatus et populus Romanus beneficii et injuriae memor esse solet: ceterum, Bocchum quoniam poenitet, delicti gratiam facit; foedus et amicitia dabuntur, quum meruerit."

CV. Quis rebus cognitis, Bocchus per literas a Mario petivit, uti Sullam ad se mitteret, cujus arbitratu de communibus negotiis consuleretur. Is missus cum praesidio equitum, item funditorum Balearium: praeterea sagittarii, et cohors Peligna cum velitaribus armis, itineris properandi causa; neque his secus, atque aliis armis, advorsum tela hostium, quod ea levia sunt, muniti. Sed itinere, quinto

---

adeo alacres, in plerisque id omisissent, nisi ab exemplaribus vetustis abfuisset, intelligere nequeo. Supra c. 93. *exploratis omnibus*, et c. 94. *paratis compositisque omnibus*.

6. *Bocchum quoniam poenitet, delicti gratiam facit.*] Sic Harl. 4., verissime; vulgo *Boccho, quoniam* —: vide not. 3. ad *Catil.* c. 11.: *delicti gratiam facit* autem, ut ibid. c. 52. n. 18.—Supra Harl. 13. *beneficii memor injuriaeque*.

CV. 1. *Cum praesidio equitum, item funditorum Balearium.*] Vulgo *cum praesidio equitum atque peditum, f. B.:* at recte Cortius *peditum* a mala manu irrepsisse pronuntiavit; quod autem addidit ille, scripsisse Crispum *equitum atque funditorum*, minus assentior, ab eodemque importuno simul copulam invectam existimo. Et *atque peditum*, codice satis religioso Harl. 9. auctore, delevi: *item funditorum* autem rescripsi ex ejusdem gregis 2., 4., 6., 12., 23.; quibusque cod. illa particula deest, in iis credere licet ab syllabis posterioribus *τοῦ peditum* devoratam.

2. *Praeterea sagittarii.*] Vide not. 4. ad c. 100. supra.

3. *Neque his secus, atque aliis armis,—.*] Harl. 2. *neque is—: armis* autem ed. Romana 1470. non agnoscit.

4. *Sed itinere—.*] Sic Cort., ut idem supra c. 88., omissa praepositione; quam equidem hoc quo-

denique die, Volux, filius Bocchi, repente in campis patentibus cum mille non amplius equitibus sese ostendit; qui, temere et effuse euntes, Sullae aliisque omnibus et numerum ampliorem vero, et hostilem metum efficiebant. Igitur sese quisque expedire, arma atque tela tentare, intendere: timor aliquantus, sed spes amplior, quippe victoribus, et advorsum eos, quos saepe vicerant. Interim equites, exploratum praemissi, rem, uti erat, quietam nuntiant.

CVI. Volux adveniens quaestorem adpellat: se a patre Boccho obviam illis simul, et praesidio, missum. Deinde eum et proxumum diem sine metu conjuncti eunt. Post, ubi castra locata, et die vesper erat, repente Maurus incerto voltu ad Sullam adcurrit: sibi ex speculatoribus cognitum, Jugurtham haud procul abesse. Simul, uti noctu clam secum profugeret, rogat atque hortatur. Ille animo feroci

---

que loco lubentius retinerem. *Liv.* XXXVI. 14., " Consul Larissam est profectus, ibi de summa belli consultaturus: *in itinere* ab Pieria et Metropoli legati tradentes urbes suas occurrerunt."

5. *Ampliorem vero.*] *Liv.* XXV. 24., " Majora ac terribiliora *vero* afferre." Adde *Tacit. Hist.* I. 29., II 70.

6. *Sese quisque expedire.*] *Liv.* II. 55, " Concitati homines, veluti ad proelium, se *expediunt.*" et XXI. 46. " Constitit utrumque agmen, et proelio sese *expediebant.*" Adde XXXVIII. 21.

7. *Arma atque tela tentare, intendere.*] Arma atque tela hic de omni instrumento militari capienda sunt, ut etiam *arcus* sagittariorum comprehendant, quorum causa addidit *intendere.* Cic. de Senect. c. 11., " *Intentum* enim animum, tamquam *arcum*, habebat." *Tentare* et aptare est, et quocumque modo experiri usum armorum telorumque, ut in hoc Virg. III. Georg. v. 232., " Et *tentat* sese, atque irasci in cornua discit." *Cortius.*

8. *Quos saepe vicerant.*] Ed. Cortiana mendose, credo, *vicerunt.*

CVI. 1. *Se a patre—.*] Pronomen neglexerunt Harl. 9. et 14.; idemque 14. mox delet *deinde.*

2. *Ad Sullam adcurrit.*] Harl. 13. reticet *ad Sullam.*

negat, se toties fusum Numidam pertimescere; virtuti suorum satis credere: etiam si certa pestis adesset, mansurum potius, quam, proditis, quos ducebat, turpi fuga incertae, ac forsitan post paulo morbo interiturae, vitae parceret. Ceterum, ab eodem monitus, uti noctu proficiscerentur, consilium adprobat; ac statim milites coenatos esse, in castris ignis quam creberrumos fieri, dein prima vigilia silentio egredi, jubet. Jamque nocturno itinere fessis omnibus, Sulla pariter cum ortu solis castra metabatur, quum equites Mauri nuntiant, Jugurtham circiter duum millium intervallo ante consedisse. Quod postquam auditum, tum vero ingens metus nostros invadit: credere proditos a Voluce, et insidiis circumventos. Ac fuere, qui dicerent, manu vindicandum, neque apud illum tantum scelus inultum relinquendum.

CVII. At Sulla, quamquam eadem aestumabat, tamen ab injuria Maurum prohibet; suos hortatur, uti fortem animum gererent: saepe antea paucis strenuis advorsum multitudinem bene pugnatum: quanto sibi in proelio minus pepercissent, tanto tutiores esse: nec quemquam decere,

---

3. *Toties.*] Cod. M. S. omnes *totiens;* qua de scriptura videndus *Pier.* ad *Virg. Ecl.* III. 72.

4. *Virtuti suorum—.*] Intelligendum *dicit* ex illo *negat;* quae synesis usitata. Infra c. 111., "Rex primo *negitare*: adfinitatem, cognationem, praeterea foedus intervenisse."—Mox Harl. 19. *pestis certa.*

5. *Coenatos esse...jubet.*] Hic uno verbo id omne significavit Sallustius, quod placuit dilatare supra c. 91., "Milites *cibum capere, atque,* uti simul cum occasu solis egrederentur, *paratos esse,* jubet."

6. *Invadit.*] Harl. 9. *invasit.*

CVII. 1. *Ab injuria Maurum prohibet.*] *Caes. de B. G.* VI. 23., "Hospites violare, fas non putant; qui quaque de causa ad eos venerint, *ab injuria prohibent* sanctosque habent."

2. *Tanto tutiores esse.*] Sic Harl. 2., 6., 9., 14., 15., 22.;

manus qui armaverit, ab inermis pedibus auxilium petere; in maxumo metu nudum et caecum corpus ad hostis vortere. Deinde Volucem, quoniam hostilia faceret, maxumum Jovem obtestatus, uti sceleris atque perfidiae Bocchi testis adesset, ex castris abire jubet. Ille lacrumans orare, ne ea crederet: nihil dolo factum; magis calliditate Jugurthae, cui speculanti iter suum cognitum esset: ceterum, quoniam neque ingentem multitudinem haberet, et spes opesque ejus ex patre suo penderent, illum nihil palam ausurum, quum ipse filius testis adesset; quare optumum factum videri, per media ejus castra palam transire: sese, vel praemissis vel ibidem relictis Mauris, solum cum Sulla iturum. Ea res, ut in tali negotio, probata; ac statim profecti:

---

quae scriptura quum non magis ab ingenio librariorum abhorrere, quam Sallustiano accommodata videretur, ex tot cod. recipere non dubitavi: vulgo *tutiores fore*. Supra c. 14. " Si ea fecissem, in vestra amicitia exercitum, divitias, munimenta regni, *habere*." Hannibal ad milites apud *Liv.* XXI. 43., " Si, quem animum...paulo ante habuistis, eumdem mox...habueritis, *vicimus*, milites." et c. 44. extr., " Si hoc bene fixum omnibus destinatumque in animo est, iterum dicam, *vicistis*." Ceterum conf. *Catil.* c. 58. n. 19.

3. *Manus qui armaverit.*] Ita Harl. 12. et Guelf. 4.; vulgo *qui m. a.*: vide not. 4. ad c. 84. supra.

4. *Nudum et caecum corpus,*] Xenoph. Κύρου Π. III. 3. 45., Μωρὸν γὰρ, τὸ, κρατεῖν βουλομένους, τὰ τυφλὰ τοῦ σώματος, καὶ ἄοπλα, καὶ ἄχειρα, ταῦτα ἐναντία τάττειν τοῖς πολεμίοις φεύγοντας.

5. *Ex castris abire jubet.*] Praepositionem *ex* Cortius ait se a Grutero admonitum, et suffragantibus cod. satis multis, reposuisse; in contextu tamen ea desideratur. Supra c. 35. *ex Africa abierat;* et c. 68. *e conspectu abit.*

6. *Spes opesque ejus—.*] Pronomen *ejus* omittunt Harl. 2. et 6., item ed. Venetae: Harl. 13. *spes, opes*, sine copula; 8. autem deest *opesque*.

7. *Optumum factum.*] Vide not. 3. ad *Catil.* c. 32. Mox pronomen *ejus* delent Harl. 2., 6., 12., 18.

8. *Ea res, ut in tali negotio, probata.*] Ea res probata, si in tali negotio *probatio* appellanda est. *Liv.* XXIII. 18., " Satis multis,

quia de improviso acciderant, dubio atque haesitante Jugurtha, incolumes transeunt. Deinde paucis diebus, quo ire intenderant, perventum.

CVIII. Ibi cum Boccho Numida quidam, Aspar nomine, multum et familiariter agebat, praemissus ab Jugurtha, postquam Sullam accitum audierat, orator, et subdole speculatum Bocchi consilia: praeterea Dabar, Massugradae filius, ex gente Masinissae, ceterum materno genere impar (nam pater ejus ex concubina erat), Mauro ob ingenii multa bona carus acceptusque; quem Bocchus, fidum Romanis multis antea tempestatibus expertus, illico ad Sullam mittit: Paratum sese facere, quae populus Romanus vellet:

---

ut ex tanta paucitate, interfectis." XXIV. 28., "Apollonides, principum unus, orationem salutarem, *ut* in tali tempore, habuit." XXV. 34., "Superior tamen, *ut* in tumultuaria pugna, Romanus erat."

9. *Quia de improviso acciderant.*] Supra c. 88., "Quo improvisus gravior *accideret.*"

10. *Quo ire intenderant.*] Vide not. 12. ad c. 92. supra.

CVIII. 1. *Multum et familiariter.*] Vide not. 2. ad c. 84. supra.

2. *Nam pater ejus ex concubina erat.*] Vulgo *ortus erat:* cod. nonnulli *natus;* at sincerus quidam apud Cortium neutrum agnoscit, cui debebat vir summus auscultare. *Tacit. Ann.* XII. 2., "Narcissus vetus matrimonium, filiam communem (nam Antonia *ex* Petina erat),...disserebat." Particulam autem *nam,* quam Cort. expunxit, placuit retinere.

3. *Fidum Romanis...expertus.*] Harl. 16. a prima manu non accepit *Romanis;* idque Glareanus tollendum censuit, quem redarguit Castilioneus: "Quasi vero nihil referret, essetne Romanis fidus is, cui tantis de rebus negotium committendum erat; praesertim quum fere omnes proximi regis ab Jugurtha corrupti essent."

4. *Quem...mittit: Paratum—.*] Ed. omnes *nuntiatum mittit:* Burneianus *Quem...nuntium ad S. misit: Dicebat sese paratum,* etc.; cujus ipsius indicio licebat *nuntiatum* expungere; sed accedit melior haud paulo auctor Harl. 3., qui plane jubet. Supra c. 62., "Mittuntur ad imperatorem legati: Jugurtham imperata facturum." ita recte Cortius, etiam invitis libris. Ellipsin pluribus illustrat *Perizon.* ad *Sanctium* IV. 5. 7.

colloquio diem, locum, tempus, ipse dilegeret: consulta sese omnia cum illo integra habere: neu Jugurthae legatum pertimesceret, quo res communis licentius gereretur; nam ab insidiis ejus aliter caveri nequivisse. Sed ego comperior, Bocchum magis Punica fide, quam ob quae praedicabat, simul Romanos et Numidam spe pacis adtinuisse; multumque cum animo suo volvere solitum, Jugurtham Romanis, an illi Sullam, traderet: lubidinem advorsum nos, metum pro nobis suasisse.

CIX. Igitur Sulla: Pauca coram Aspare loquuturum; cetera occulte, aut nullo aut quam paucissumis praesentibus; simul edocet, quae responderentur. Postquam, sicuti voluerat, congressi, dicit, Se missum a consule venisse quaesitum ab eo, pacem, an bellum, agitaturus foret. Tum rex, uti praeceptum, post diem decimum redire jubet; ac, nihil

---

4. *Diem, locum, tempus.*] Harl. 4. *locum, diem, tempus.* Tempus autem, sc. *diei*, horam: *Cic. pro Caec.* 11., "Quum ad constitutam diem *tempus*que venisset."

6. *Consulta.*] Consilia; sic *Liv.* X. 39., XXV. 16.: item *Virg. Aen.* VI. 151., "Dum *consulta* petis."

7. *Quo res communis licentius gereretur.*] Intellige *ideo receptum, ideo pro legato habitum*, quo—. Facile satis aliquid tale subaudire, si quidem nomen *legatus* vi sua quasi utrumque spectat, et eum qui misit, et eum qui missum recepit. Cortius autem haec a praecedentibus disjungit, intelligitque *ita cautum esse* ex subsequenti *caveri.* At stuporem editorum licet mirari, qui de suo intruserint *accitum esse*, quum initio capitis Aspar ab Jugurtha ultro praemissus dicatur, postquam Sullam accitum audisset.

8. *Aliter.*] Alioqui; sc. quin Jugurthae legatus reciperetur: vide not. 6. ad *Catil.* c. 29. *Insidias* autem intellige, quas solitus fuerat Jugurtha Boccho per ipsius Mauri proximos struere, consilia ejus speculandi causa.

9. *Adtinuisse.*] Harl. 11., 12., 18., 20., 21., 22., *attenuisse;* 14. *retenuisse;* 15. *detenuisse:* unde satis liquet, revocandam esse antiquam scripturam *adtenuisse.*

CIX. 1. *Loquuturum.*] Servat hunc scribendi morem Harl. 23., idemque passim.

etiam nunc decrevisse, sed illo die responsurum. Deinde ambo in sua castra digressi. Sed, ubi plerumque noctis processit, Sulla a Boccho occulte arcessitur: ab utroque tantummodo fidi interpretes adhibentur; praeterea Dabar internuntius, sanctus vir, et ex sententia ambobus. Ac statim sic rex incipit.

CX. " Numquam ego ratus sum fore, uti rex maxumus in hac terra, et omnium quos novi, privato homini gratiam deberem. Et hercle, Sulla, ante te cognitum, multis orantibus, aliis ultro egomet opem tuli; nullius indigui. Id imminutum, quod ceteri dolere solent, ego laetor: fuerit mihi eguisse aliquando amicitiae tuae, qua apud animum

---

2. *Deinde ambo in sua castra digressi.*] Sulla et Aspar; quum scilicet uterque cum praesidio venisset. Quod autem Cortius intelligit, "non ea, quae apud Bocchum haberent, sed illius apud Marium, hujus apud Jugurtham; atque idem esse, ac si dixisset: deinde ambo ad suos digressi sunt, sive digressi sunt, ut ad suos pergerent," ista mira interpretatio videtur. Profecto parum subdolus speculator Aspar, si credidisset, fieri posse, ut intra decem dies Sulla et ad hiberna Marii perveniret, et inde ad Bocchum rediret, quum idem Sulla adveniens in itinere minimum decem dies consumsisset. Et c. 112. Asparem manentem etiam videmus.

3. *Ex sententia ambobus.*] H. e., gratus utrique; quem idoneum uterque existimabat. Quod autem vulgo insertum legitur, *jurat*, perspexit Cortius, ex *vir et* temere conflatum.

CX. 1. *Sulla, ante te cognitum.*] Harl. 11. et 15. *Sullam ante cognitum*, eleganter: sed res suspicione omni vix carere potest, quum in aliis libris repertum sit *Sulla, ante cognitum*, absorpto pronomine scilicet ab syllaba posteriore praepositionis.

2. *Imminutum.*] Harl. 3. *immutatum.*

3. *Fuerit mihi eguisse*, etc.] Grata mihi egestas sit, quae ad tuam amicitiam confugiat. *Fuerit mihi eguisse*, h. e., eguerim: constructionem autem pluribus illustrat Cortius; a quo satis sit unius *Silii* locum mutuum sumere. Is igitur XII. 695., " *Fuerit delere* Saguntum, *Exaequare* Alpes, *imponere* vincula sacro Eridano, *foedare*

meum nihil carius. Id adeo experiri licet: arma, viros, pecuniam, postremo, quidquid animo lubet, sume, utere, et, quoad vives, numquam redditam gratiam putaveris; semper apud me integra erit: denique nihil, me sciente, frustra voles. Nam, ut ego aestumo, regem armis, quam munificentia, vinci minus flagitiosum. Ceterum de re publica vestra, cujus curator huc missus es, paucis accipe. Bellum ego populo Romano neque feci, neque factum umquam volui: finis meos advorsum armatos armis tutus sum. Id omitto, quando vobis ita placet: gerite, uti voltis, cum Jugurtha bellum. Ego flumen Mulucham, quod inter me et Micipsam fuit, non egrediar, neque intrare Jugurtham sinam. Praeterea, si quid meque vobisque dignum petiveris, haud repulsus abibis."

CXI. Ad ea Sulla pro se breviter et modice; de pace,

---

lacus; etiamne parabit—?" i. e., deleverit, exaequaverit, etc.

4. *Qua apud animum meum nihil carius.*] Vulgo *q. apud a. m. nihil carius habeo;* quod ne Latinum quidem. At Latine atque etiam Sallustiane diceretur, *q. apud a. m. n. c. habetur.* Nunc vero Basil. 1. apud Cortium, ostendens *carius est*, indicium profitetur, nihil amplius a Sallustio acceptum esse, quam *q. apud a. m. nihil carius:* ejusque indicium sequutus sum.

5. *Id adeo experiri licet.*] Sc., ut liceat arma, etc., sumere: ita saepe particula *adeo* sensum magis, quam constructionem, spectat.

6. *Tutus sum.*] Ita Harl. 22. solus: ceteri omnes *tutatus.*

7. *Neque intrare Jugurtham sinam.*] Sic Harl. quatuordecim, Regius, Burn., ed. Venetae, Romana, Mediol., Aldinae, etc.: vulgo *neque id intrare—:* ed. Cort. *n. J. id. i. s.*

8. *Haud repulsus abibis.*] *Cic. pro Q. Rosc.* c. 14., "Numquid causae est, quin ab judicio *abeas* turpissime *victus?*" Hor. Serm. II. I. 86., "Solventur risu tabulae; tu *missus abibis.*" et Epist. I. 9. 7., "Multa quidem dixi, cur *excusatus abirem.*" Noster supra c. 58. et 79.; adde quae congessit *Heinsius* ad *Virg. Aen.* XII. 87.

CXI. 1. *Breviter et modice.*] Sc. *respondit*, ne quis putet huc trahendum *disseruit.*

et de communibus rebus, multis disseruit. Denique regi patefacit, Quod polliceatur, senatum et populum Romanum, quoniam amplius armis valuissent, non in gratiam habituros: faciundum aliquid, quod illorum, quam sua, retulisse videretur: id adeo in promtu esse, quoniam Jugurthae copiam haberet: quem si Romanis tradidisset, fore, uti illi plurimum deberetur; amicitiam, foedus, Numidiae partem, quam nunc peteret, ultro adventuram. Rex primo negitare: adfinitatem, cognationem, praeterea foedus intervenisse: ad hoc metuere, ne, fluxa fide usus, popularium animos avorteret, quis et Jugurtha carus, et Romani invisi erant. Denique, saepius fatigatus, leniter et ex voluntate Sullae, omnia sese facturum, promisit. Ceterum ad simulandam pacem, cujus Numida, defessus bello, avidissumus, quae utilia visa, constituunt. Ita, composito dolo, digrediuntur.

CXII. At rex postero die Asparem, Jugurthae legatum,

---

2. *In gratiam habituros.*] Pro *in gratia*, ἀρχαϊκῶς: sic *in potestatem habere* infra c. 112., et *in animum habere* apud *Liv.* XXXIII. 10.

3. *Illorum, quam sua.*] Sic Harl. 13., omisso *magis;* vide not. 1. ad *Catil.* c. 8.

4. *Adeo.*] Vide not. 6. ad c. 65. supra.

5. *Rex primo negitare.*] Scripti alii *negare*, alii *agitare*, alii utrumque ostendunt; unus *negare et objectare.* Saepe nimirum frequentativae formae verba aut corrupta sunt aut interpretata. Videndum ergo, ne recepta fuerit interpretatio apud *Liv.* XLII. 25., " Regem ad ea primo accensum ira inclementer loquutum, avaritiam superbiamque Romanis *objicientem frequenter;* quod etc.," pro *objectantem.*

6. *Leniter.*] Placide, demisse.

7. *Omnia sese facturum, promisit.*] Vulgo *o. se f. promittit: sese* igitur tuentur Harl. 4., 14., 16., 19., 21., 23.; optimus 3. autem *promisit;* at 11. et Burnei. utrumque. Tempus immutaverant librarii propter illa subsequentia, *constituunt, digrediuntur.*

adpellat: Sibi per Dabarem ex Sulla cognitum, posse conditionibus bellum poni: quamobrem regis sui sententiam exquireret. Ille laetus in castra Jugurthae venit. Deinde, cuncta edoctus, properato itinere, post diem octavum redit ad Bocchum, et ei nuntiat, Jugurtham cupere omnia, quae imperarentur, facere; sed Mario parum confidere: saepe antea cum imperatoribus Romanis pacem conventam frustra fuisse. Ceterum, ambobus si consultum et ratam pacem vellet, daret operam, ut una ab omnibus, quasi de pace, in colloquium veniretur, ibique sibi Sullam traderet: quum talem virum in potestatem habuisset, tum fore, uti jussu senatus

---

CXII. 1. *Bellum poni.*] Deponi. *Liv.* VIII. 4., "Si socialis illis exercitus is est, quo adjuncto duplicent vires suas, quem secernere ab se consules bellis propriis *ponendis* sumendisque nolint; cur non omnia aequantur?" et supra paulo *arma ponere.* Adde *Tacit. Hist.* III. 31., 63., 65.; IV. 70.—Mox *regis sui:* Harl. 22. delet *sui.*

2. *In castra Jugurthae venit.*] Sic Cortius ex suis melioribus, quibus assentitur Harl. 14.; vulgo *proficiscitur:* equidem malim utrumque abesse; vide supra c. 100. n. 1. Harl. 13. autem deest *Jugurthae.*

3. *Cuncta edoctus.*] Sic, omisso *ab illo*, Harl. 2., 6., 14., 17., 18., 19., 22.; item ed. Venetae et Mediol.: Harl. 20. *c. ed. ab Jugurtha.*

4. *Redit ad Bocchum, et ei nuntiat.*] Harl. 23. *ad B. redit;* dele ergo *ad Bocchum:* sic autem etiam subsequens pronomen confodendum. Sed ne istud *redit* quidem, video, in subtilissimo brevitatis artifice quid boni juris possit prae se ferre. Nam, qui *nuntiat*, eumdem, vel hebetissimo ingenio perspicuum sit necesse est, prius redisse. Nunc igitur, si totum locum ita perpurgaveris, — *Ille laetus in castra Jugurthae: deinde, cuncta edoctus, properato itinere, post diem octavum nuntiat*, etc.— scilicet cum properante legato, ita uti par est, simul oratio properabit.

5. *Pacem conventam frustra fuisse.*] Pacem, postquam convenisset, frustra fuisse, h. e., irritam: vide not. 8. ad c. 7. supra. Harl. 3. *conv. pacem f. f.*

6. *Ambobus si consultum ... vellet.*] Ita melius efficaciae orationis consuluit Guelf. 12. apud Cortium, postposita conjunctione; vide not. 4. ad c. 75. supra.

7. *In potestatem habuisset.*] Sic

atque populi Romani foedus fieret; neque hominem nobilem, non sua ignavia, sed ob rempublicam, in hostium potestate, relictum iri.

CXIII. Haec Maurus secum ipse diu volvens tandem promisit; ceterum dolo, an vere, parum comperimus. Sed pleramque regiae voluntates, ut vehementes, sic mobiles, saepe ipsae sibi advorsae. Postea, tempore et loco constituto, [in colloquium uti de pace veniretur,] Bocchus Sullam modo, modo Jugurthae legatum adpellare, benigne habere; idem ambobus polliceri. Illi pariter laeti, ac spei bonae pleni. Sed nocte ea, quae proxuma fuit ante diem colloquio decretum, Maurus, adhibitis amicis, ac statim, immutata voluntate, remotis, dicitur secum ipse multa agitavisse, voltu corporis pariter, atque animo, varius: quae

---

Caes. de B. C. I. 25., item *Auct. de B. Hisp.* 36., alii: similiter *Liv.* II. 14. *in potestatem esse:* adde not. 2. ad c. 111. supra. Pro *habuisset* autem ex cod. unico importune rescripsit Gruterus *haberet*, dissimulans librarium tot vicinis verbis istius temporis abstractum fuisse. Illum tamen tacitus sequitur Cortius.

8. *Non sua ignavia.*] Harl. 11. non agnoscit *sua*, nec Pal. 3. apud Gruterum.

9. *In hostium potestate.*] Sc. qui fuisset: vide not. 15. ad c. 54. supra. Harl. 15. *hostium in p.*

CXIII. 1. *Tandem promisit.*] Harl. 14. deest *tandem.*

2. *Ceterum dolo, an vere.*] Sc. promiserit. Ita recte Cortius, abjecto *cunctatus*, quod jam ante Gruterus pro spurio habuerat: qui iidem nihil odorantur in loco pariter contaminato supra c. 31. n. 4.

3. *In colloquium uti de pace veniretur.*] Haec omnia Cortius monet esse ex capite superiore translata. Mox Harl. 16. *modo legatum*, omisso *Jugurthae.*

4. *Benigne habere.*] Vide not. 7. ad c. 103.

5. *Nocte ea, quae*—.] Pronomen *ea* Harl. 11. non agnoscit: 18. *n. illa;* 23. *ea nocte.*

6. *Remotis.*] Sic recte Cortius, deleto *ceteris;* qua de re quum dubitari non possit, lubet tamen testari istud *ceteris* ab Harl. 8. et 11. abesse. Mox ed. Romana 1470. nude, *vultu atque animo varius.*

scilicet, tacente ipso, occulta pectoris patefecisse. Tamen postremo Sullam arcessiri jubet, et ex illius sententia Numidae insidias tendit. Deinde, ubi dies advenit, et ei nuntiatum est, Jugurtham haud procul abesse, cum paucis amicis et quaestore nostro, quasi obvius honoris causa, procedit in tumulum, facillumum visu insidiantibus. Eodem Numida cum plerisque necessariis, inermus, ut dictum, accedit; ac statim, signo dato, undique simul ex insidiis invaditur. Ceteri obtruncati: Jugurtha Sullae vinctus traditur, et ab eo ad Marium deductus.

CXIV. Per idem tempus advorsum Gallos ab ducibus nostris, Q. Caepione et M. Manlio, male pugnatum; quo metu Italia omnis contremuerat. Illique, et inde ad nostram memoriam Romani, sic habuere: alia omnia virtuti suae prona esse; cum Gallis pro salute, non pro gloria,

---

7. *Quae scilicet...patefecisse.*] Quas res—amicorum subitam remotionem, tacitam cogitationem, vultus commutationes. *Scilicet* cum infinitivo supra est c. 102. n. 12. Locum, qui vulgo male se habet, optime restituit Cortius.

8. *Ex illius sententia.*] Sic cod. M.S. omnes: ed. Cort. *ejus.*

9. *Cum plerisque necessariis.*] Sic, abjecto *suis*, Harl. 21. et 23., Regius, Burn., atque ed. Romana 1470.

10. *Undique simul*—.] Harl. 9. et 12. delent *simul.*

11. *Ex insidiis invaditur.*] Harl. 12. *invadunt;* atque impersonaliter positum *invaditur* et ipse intelligo. *Liv.* II. 50., " Subito ex insidiis *consurgitur.*" et X. 4., " *Consurrectum* repente ex latebris est."

CXIV. 1. *Advorsum Gallos.*] Potius Gallos et Germanos conjunctos, ut aliunde constat; Gallos scilicet Ambrones et Tigurinos, Germanos autem Cimbros et Teutones.

2. *Illique, et*—.] Et illius temporis Romani, et—.

3. *Sic habuere.*] *Cic. ad Fam.* II. 6., " Unum hoc sic *habeto* :—." et ep. 10., " Atqui sic *habeto*,—." Alibi saepe.

4. *Alia omnia virtuti suae prona esse.*] *Plin. Paneg.* c. 16., " Omnia haec tam *prona* tamque *cedentia* virtutibus tuis sentiet, ut—."

certare. Sed, postquam bellum in Numidia confectum, et Jugurtham vinctum adduci Romam, nuntiatum est, Marius consul absens factus, et ei decreta provincia Gallia: calendis Januariis magna gloria consul triumphavit. Ea tempestate spes atque opes civitatis in illo sitae.

---

5. *Pro salute...certare.*] *Liv.* XXII. 58. apud Cortium, " Non internecivum sibi *esse* cum Romanis bellum; de dignitate atque imperio *certare.*"

6. *Bellum in Numidia confectum.*] Harl. 8. et 18. absolute *confectum,* omisso *bellum.*

7. *Jugurtham vinctum adduci Romam.*] Locus, libris si fides habenda est, male interpolatus: *vinctum* enim delet Harl. 14.; 8. autem *Romam* (quod in nonnullis in *Romae* immutatum est, in reliquis sede incerta vagatur); at 13. utrumque. Et *vinctum* quidem confodendum censeo. *Liv.* XXX. 13., " Syphacem in castra *adduci,* quum esset nuntiatum, omnes velut ad spectaculum triumphi multitudo effusa est. Praecedebat ipse vinctus;—."

8. *Calendis Januariis magna gloria consul triumphavit.*] Sic princeps Romana, quum vulgo praeponatur *isque:* at ingrata admodum ista pronominis iteratio, *ei—, isque—*; similemque maculam eluendam curavi supra c. 79. n. 2.: ac probe omitti pronomen, etiam apposito nomine, docui ad *Catil.* c. 21. n. 7. Cum verbo *triumphavit* autem omnino putidum pronomen. *Liv.* III. 10., " Tum imperatori exercituique honos suus redditus. *Triumphavit* de Volscis Aequisque." X. 46., " Venienti Romam triumphus omnium consensu est delatus: *triumphavit* in magistratu, insigni, ut illorum temporum habitus erat, triumpho." XXXIII. 37., " Brevi post Marcellus Romam venit, triumphusque ei magno consensu Patrum est decretus. *Triumphavit* in magistratu de Insubribus Comensibusque." XXXIV. 52., " Senatus extra urbem Quinctio ad res gestas edisserendas datus est, triumphusque meritus ab lubentibus decretus. Triduum *triumphavit.*" adde XXXVII. 59.

INDEX LATINITATIS

QUAE IN ADNOTATIONIBUS UTCUMQUE ILLUSTRATUR.

A., ab: multa a vobis, h. e., vestra, J. XXXI. 1.; *mons vastus ab natura et humano cultu*. XLVIII. 7.; *timere ab aliquo*, LXXXVIII. 7.

Abdicatus magistratu, C. XLVII. 6.

Abesse ab Roma, C. XL. 12.

Abire praecipitem C. XXV. 7.; *inultum*, J. LVIII. 7.; *repulsum*, CX. 8.

Ablativus absolutus, C. IX. 6., XI. 8., J. LXIII. 1.

Abnuere, J. LXVIII. 2.

Absolvere paucis, C. XXXVIII. 3.

Abunde, C. XXI. 1., J. XIV. 45., LXXXV. 41.

Ac, insequente vocali, non adhibendum, J. LXXXV. 24.: vide *Atque*.

Accendere ad—, C. XXIII. 10.; *in*—, h. e., erga, pro, J. VI. 9.

Accidere, J. XIV. 37., CVII. 9.

Accipere, discere, intelligere, C. VI. 1; *clamorem ab tergo*, J. LVIII. 5.

Acriter sive *acriorem Numidiam ingredi*, J. XXVIII. 11.

Ad urbem imperatores, C. XXX. 2.; *ad certamen venit res*, J. XIII. 4; *ad Catabathmon prima Cyrene est*, XIX. 4.; *quamobrem ad inceptum* (redeo), XLII. 9.; *ad id locorum*, LXIII. 13.; *ad se versum* LXIX. 1.; *ad tempus venire*, LXX. 9.

Addere in sententiam, C. LI. 37.; *dignitatem alicui*, LIV. 2.

Adducere, absolute, sc. exercitum, J. XCVII. 1.

Adeo, C. XXXVII. 2., 9., J. LXV. 6., CX. 5.

Adesse ferocem, C. LII. 40.: *infestum*, J. L. 8.; *in tempore*, LVI. 3.

Adjectiva, verbis praemissa, cum horum nominativis nimirum ellipticis jungenda, C. VII. 10.; pro abverbiis, XXVI. 8., J. XXXVIII. 1., LXIII. 3.

Adjungere (sibi), J. X. 12.

Admittere facinus, J. LIII. 11.

Adque, atque, J. XXIX. 2., LXXVI. 6.

Adversis vulneribus concidere, C. LXI. 5.; *adverso populo partium*

esse, J. XLIII. 3.; *adverso colle evadere*, LII. 3.; *adversis equis concurrere*, LIX. 5.; *adverso corpore cicatrices*, LXXXV. 44.

Adversum divitias invictus, J. XLIII. 8.

Aedes, omissum, C. XLIX. 4.

Aeger pedibus, C. LIX. 13.; *animus*, J. XXIX. 1.; *animi*, LXXI. 2.

Aequabilius atque constantius, C. II. 8.

Aeque ab tergo hostibus venire, J. CI. 3.

Aequo animo, C. III. 4., J. XXXI. 38.; *aequa manu discedere*, C. XXXIX. 5.

Aetas imbecilla ambitione corrupta (immo *correpta*) *tenebatur*, C. III. 7.—8.; *aetatem habere*, IV. 1.

Affectare civitates, J. LXVI. 2.

Affluere, C. XXXVI. 6.

Agere cum aliquo, C. XX. 1.; *per dementiam*, XLII. 1; *attente*, LII. 38.; *laetum* J. LV. 4.; *se*, LVI. 10.; *et ea*, καὶ ταῦτα, LXXXV. 9.; *incultius*, LXXXIX. 9.; *hiberna* C. 2.; *multum et familiariter cum aliquo*, CVIII. 1.; *non agitur de—*, C. LII. 15.; *vigilando, agendo*, 59.

Aggredi aliquem, translate, J. XVI. 5.; *ad rem*, J. XCII. 7.

Agitare, absolute, vivere, J. XIX. 9.; *diversum*, XXV. 6.; *praesidium*, et absolute, LIX. 2.; *animo*, LXIII. 2.; *varium incertumque*, LXXIV. 3.

Alienus, cum secundo casu, C. XL. 10.; *aliena largiri*, LII. 26.; *alienas opes expectare*, LVIII. 15.

Aliquando, tandem, C. LII. 13.

Aliter, alioqui, C. XXIX. 6.

Alius pro *alius quis*, C. XVII. 2., J. LXXXIX. 5.; quam is, qui mox nominandus, C. XLVIII. 3.; *alia gloria fuit alii*, de duobus, LIV. 1.; semel positum, bis intelligendum, LVI. 5., J. XIX. 3.; translate, aliter animatus, moratus, J. XV. 3.; *alius deinde alius*, XVIII. 10.; *alius post alius*, LV. 14.; *alius atque alius*, LXXII. 6.; *aut arma capiebant, aut capientes* (alios) *ab hostibus defensabant*, XCVII. 13.

Alter alterius, uterque alterius. C. I. 15.

Amare, potare, C. XI. 16.; *quae ira fieri amat*, J. XXXIV. 2.

Ambo pro *ambos*, J. XXI. 11.

Amicitia bona atque honesta, J. V, 10.; *privata*, privati amici, XIV. 50.

Amovere senatu, C. XXIII. 2.

Amplexari aliquid, C. LII. 12.

Anceps malum, C. XXIX. 1.

Animantes, C. I. 3.

Animus simulator ac dissimulator, C. V. 5.; *in animum inducere*, LIV. 6.; *timor animi*, LVIII. 2.; *aeternus*, J. II. 4.; *animi judicium*, IV. 8.; *cum animo volvere*, VI. 5.; (in) *animo habere*, XI. 13.; *animum intendere*, XX. 3.; *animo jam invaserat totum ejus regnum*, 17.; *in animo haerere*, XXVIII. 1.; *aeger*, XXIX. 1.; *animum advertere*, XXXV. 11.;

ardet, XXXIX. 6.; *invictus*, XLIII. 8.; *animi anxius*, LV. 8.; *animo agitare*, LXIII. 2.; *animum super fortunam gerere*, LXIV. 3.; *animi aeger*, LXXI. 2.; *animo trahere aliquid*, LXXXIV. 12.; *qua apud animum meum nihil carius*, CX. 4.

Antea, J. LXXXIV. 1.

Antecapere noctem, C. LV. 2.

Anxius animi, J. LV. 8.

Appellare aliquem, auxilii orandi causa, J. XIV. 41.; *regem*, i. e., agnoscere, quod senatus erat, LXV. 3.

Arcessere hostes, C. LII. 49.; *aliquem captae pecuniae*, J. XXXII. 2.

Ardere, translate, cum infinitivo, J. XXXIX. 6.

Ardores solis, J. XIX. 10.

Arrigere, C. XXXIX. 4.

Arte, artius, artissime, C. LIX. 6.

Artifex talis negotii, J. XXXV. 7.

Asyndeton, J. LI. 2.

At enim, C. LI. 44.

Atque, ἐν διὰ δυοῖν, C. II. 6., III. 10., VII. 4., J. LXXXIV. 2.; quasi pro *neque*, C. XII. 6., (adde exempla multa ex M.S. libris allata, quae poteris ab not. 12. ad *Jug.* c. LXXXIX. retrorsus indagare); in praesumtione, C. LI. 58., J. IV. 5.; *atque idem*, XIV. 22.; *atque ita*, LIII. 4.; *alius atque alius*, LXXII. 6.

Attingere, breviter perstringere, aliquid, J. XVII. 2.

Attractio, C. VII. 9., XI. 3., XXV. 4., LI. 25., LV. 5., LXI. 4., J. XIV. 24., XVIII. 20., XIX. 7., XLI. 2., CIV. 1.

B.

Bellum, proelium, C. IX. 4.; *sumere*, J. XX. 14., LXXXIII. 5.; *patrare* XXI. 7.; *trahere*, XXIII. 6.; *ponere*, CXII. 1.

Boni, bene animati erga rempublicam, C. XIX. 5; opulentiores, XXXVII. 3.; *bona atque honesta amicitia*, J. V. 10.; *bonus pecori ager*, XVII. 7.; *boni fidelesque socii*, LXXVII. 1.

C.

Caecum corpus. J. CVII. 4.

Caenatus, J. CVI. 5.

Canere, absolute, J. XCIX. 3.

Capere rempublicam, C. V. 7.; *pugnando*, VII. 12., J. XXVIII. 12.; *captae pecuniae aliquem arcessere*, XXXII. 2.; *capere, incendere*, LIV. 6.; *occidere*, LXII. 3.; *consulatum*, LXIII. 4.; *poenas*, LXVIII., 4.

Capessere rempublicam, C. LII. 14., adde J. LXXXV. sub fin.

Capite censi, J. LXXXVI. 1.

Casus, occasio, J. XXV. 10.

Catervatim, J. XCVII. 10.

Causa, sexti casus, omissum Graeco more, J. XXXI. 25.; vide *L. Bos Ellips. Gr.* n. 431., ad eumque viros doctos. Eadem fortasse ellipsis *Catil.* LI. 4. agnoscenda est, sed melior codex auctor expectandus est; nam quod editiones nonnullae jam omiserunt, istae nullius sunt auctoritatis.

Celebrare, frequentare, J. XLVII. 2., LXXXVI. 3.; *aliquid in majus*, LXXIII. 9.
Cernere pro patria, C. LIX. 16.; *cerneres*, LXI. 2.
Certare divitiis cum divite, C. LIV. 9., J. IV. 15.
Certo scio, C. LI. 29.
Ceteri, omnes praeter eum, qui mox nominandus, C. XLIV. 3.; *cetera ignarus*, J. XIX. 14.; *inter ceteram planitiem mons erat*, XCII. 8.
Cicatrices adverso corpore, J. LXXXV. 44.
Civile imperium, J. LXXXV. 49.
Clarus, in malam partem, J. VIII. 1.; in bonam, LXX. 2.
Cogere, absolute, sc. ad militiam, J. LXXXIV. 7.
Cognomen, agnomen, J. V. 8.
Colere aliquem arcte, J. LXXXV. 48.
Coloni et liberti, C. LIX. 10.
Commeatus, commeantes, J. XLVII. 5.
Comparare poenas, C. LI. 14.
Comparativus cum positivo, C. V. 11.; pro positivo, XXXIX. 6.
Complere omnia luctu, C. LI. 19.
Composite, rhetorice, C. LI. 15., LII. 30.
Concedere naturae, J. XIV. 33.; *injuriae*, 67.; *in gentem nomenque imperantium*, XVIII. 25.; *sua omnia alicui*, LXI. 8.
Concurrere in—, J. XCVII. 12.
Concutere, translate, C. XXIV. 1.
Condonare aliquid alicui, gratiam facere, C. LII. 18.
Confirmare exercitum, J. XLV. 4.
Conflare aes alienum, C. XIV. 2.
Conglobare, J. XCVII. 11.
Conjurare, cum infinitivo, C. LII. 47.
Consenescere, C. XX. 16.
Consilio eo, uti—, C. LVII. 1.
Consistere, transitive, J. XLIX. 18.
Constituere (rem aliquam) *in aliquem diem*, J. LXVI. 6.
Consuetum habere, J. LXXXV. 17.
Consulatum mandare, C. XXIII. 10.; *capere*, J. LXIII. 4.; *per manus tradere*, 15.
Consulere reipublicae juxta ac sibi, C. XXXVII. 7.; *irae, famae*, LI. 11.
Consulto opus est, C. I. 14., XLIII. 5.; *consulta*, consilia, J. CVIII. 6.
Consulto, adv., J. LXIV. 10.
Consultoribus pessimis, cupidine atque ira, grassari, J. LXIV. 7.: Longin. s. 32. extr., δυσὶ πάθεσι χρησάμενος ἀκρίτοις.
Contemtor animus, J. LXIV. 2.
Contemtus, contemtibilis, J. XIV. 66.
Contra ea, J. LVII. 4.; *mihi contra ea videtur*, LXXXV. 4.
Contumeliam imponere alicui, C. XLVIII. 14.; *contumeliarum alicujus poenas petere*, J. LXV. 4.
Contundere, J. XLIII. 9.
Conventura omnia, J. LXXXIII. 10.
Convertere, absolute, mutare, C. VI. 10.; redire, J. XX. 8.; *omnium ora in me conversa sunt*, LXXXV. 12.

Copia, ex, J. XXXIX. 8., LIV. 21.
Correctio, C. XX. 5.
Cultor exercitus, J. LIV. 6.
Cultus, in malam partem, C. XIII. 4.; *cultu aliquo habere aliquem*, J. V. 13.
Cum telo esse, C. XXVII. 1.; *Lentulus cum ceteris constituerant*, XLIII. 1.; *cum summo studio*, LI. 62.; *magna gloria*, LIX. 17.; *animo voluere*, J. VI. 5., adde CVIII. extr.; *reputare*, XIII. 8.; *moerore vitam exigere*, XIV. 35.; *suppliciis legatos*, XLVI. 3.; (cum) *strepitu adventare*, LIII. 10.; *cum cura*, LIV. 1.; (simul) *cum ventis facies locorum mutat*, LXXVIII. 5.; *pretio omnia honesta*, LXXXVI. 5.; *animo trahere*, XCIII. 1.
Cunctari, quid—, C. LII. 51.
Curae habere aliquid, C. XXI. 9.; *cura atque laetitia simul*, XLVI. 1.; *cum cura*, J. LIV. 1.; *cui sua curae non sunt*, LXXXVI. 5.
Curare, in re militari, C. LIX. 9.
Cursu tendere ad—, J. XCI. 5.
Custodiae liberae, C. XLVII. 7.

D.

Dare victum, J. LIX. 6.; (in) *praeceps*, LXIII. 14.
Dativus antiquus, J. VI. 1., IX. 4., XVI. 4., XLIII. 6., LXXIV. 5.: dativi usus, C. XI. 8., XV. 2., XXXII. 2., XXXIX. 3., J. XXII. 2., XXXI. 16., XLII. 3., XCII. 9.
Decernere an —, C. XXV. 6.
Decet, J. XLIX. 6.
Decoris, —re, C. VII. 5.
Dediti ventri atque somno, C. II. 13.
Deficere ad—, J. LXI. 2.
Deformatus aerumnis, J. XIV. 15.
Demittere, C. LV. 9.
Deserat (me) *tempus, si—*, J. XLII. 8.
Detractare bonos, J. LIII. 13.
Dextris, in, portare libertatem, C. LVIII. 9.; *ab dextera rupem asperam*, LIX. 5.; *per hanc dextram*, J. X. 10.
Diducere manum hostium, J. XXV. 9.
Diebus paucis, J. XI. 2.; *die*, secundi casus, XXI. 3.; *die, noctu*, XXXVIII. 4.; *die vesper*, LII. 2.; *vix decima parte die reliqua*, XCVII. 4.; *dies, tempus*, CVIII. 5.
Dignum se quid foret, quaerebant, C. LI. 7.; *dignum dono*, LIV. 8.
Dilacerata respublica, J. XLI. 6.
Dimittere impunitum, C. LI. 5.
Dirimere proelium, J. LX. 10.
Discedere superiorem aut aequa manu, C. XXXIX. 5.
Discessio terrae, J. XLI. 13.
Diversi, pars—, alii—, C. II. 1.; *diversum agitari*, J. XXV. 6.; *diversissimae res*, LXXXV. 32.
Diutius, intensive, C. XXXIX. 6.
Docta psallere, saltare, multa alia, C. XXV. 3.
Dono dignum, C. LIV. 8.
Duae Hispaniae, utraque H., C. XVIII. 5.; *duo* pro *duos*, J. XIV. 29.
Dubius, sc. animi, C. XXXIX. 3.; *in dubio esse*, LII. 16.
Ducere sibi quisque, J. XLI. 5.
Ductare, absolute, sc. exercitum, J. XXXVIII. 2.

E.

Educere gladium, C. LI. 60.
Egredi, J. LX. 7.
Egregius in aliqua re, J. LXXXII. 4.
Eloquentiae satis, parum sapientiae, C. V. 6.
Ἓν διὰ δυοῖν, C. II. 6., III. 10., VII. 4., XVI. 6., J. XXIV. 17., LXXIX. 13., LXXXIV. 2.
Enallage gradus, C. V. 11., J. XXXI. 21.; numeri, C. VII. 6.; modi, XVI. 2., XVIII. 9., J. XIV. 17., LXXXV. 69.; casus, C. XXXIII. 2.; LIV. 4.; vocis, LI. 69., LIII. 6.; J. XLVI. 12., LXXV. 6. CXIV. 5.; temporis, C. LI. 47.; J. XIV. 4. LIX. 4., CVII. 2.: vide *Attractionem*.
Eo magnitudinis, J. I. 10.; pro *ibi*, LX. 1.; antiquus dativus, LXXV. 7.
Equi Numidaeque, J. XLIX. 14.
Equidem, C. LI. 26.
Equites R., publicani, J. LXV. 7.
Ergo, indignantis, J. XIV. 20.
Eripere, C. XLVIII. 8.
Escendere, C. LV. 6.
Esse conservandae libertatis, C. VI. 9.; *erat* pro *fuisset*, XVIII. 9.; *sunt qui dicant*, XIX. 7.—8.; *in armis*, XXXVII. 6.; *fuere qui profecti sunt*, XXXIX. 7.; in concessione ironica, J. XXIV. 12. (adde C. LII. 28.); cum adverbiis, J. XIV. 25.; *ita... fui, ut—*, LXXXV. 16.; *cui omnia cum pretio honesta sunt*, LXXXVI. 5.; *fuerit mihi eguisse amicitiae tuae*, CX. 3.
Et, ἓν διὰ δυοῖν, C. XVI, 6.; *neque—, et tamen—*, J. XLIX. 15.; *et sa agere*, καὶ ταῦτα, LXXXV. 9.; παρὰ προσδοκίαν, 23.
Etiam, adhuc, C. LXI. 6.; J. XXXI. 32., LI. 4.
Evadere adverso colle, J. LII. 3.
Evenire, cum adjectivis, C. XXVI. 8.; J. LXIII. 3.
Eventum habere, C. XI. 9.
Ex divitiis luxuria, C. XII. 3.; *suo numero*, XXXII. 5.; *virtute cognomen*, J. V. 8.; *proelio profugere aliquo*, XIII. 5.; mutationem significans, XIV. 36., XXXVI. 5.; *pleraque ex Punicis oppida*, XIX. 11.; *eo numero, qui ad caedem parati*, XXXV. 9.; *copia*, XXXIX. 8., LIV. 21.; *rumore*, XL. 7.; *re nomen*, LXXVIII. 1.; *commodo*, LXXXII. 2.; *virtute nobilitas*, LXXXV. 30.; *ex aliqua* (natum) *esse*, CVIII. 2.; *ex sententia alicui esse*, CIX. 3.
Exaequare facta dictis, C. III. 2.; *exaequato periculo*, LIX. 3.
Exercitu pro *exercitui*, J. XLIII. 6.
Exitium vitae, C. LV. 11.
Expedire sese, J. CV. 6.
Expergisci, C. XX. 21.
Experimentis cognitum, J. XLVI. 4.
Experiri extrema omnia, C. XXVI. 7.; *vim et misericordiam alicujus*, J. XXXII. 8.
Exploratis omnibus, C. LX. 1.
Exspectantes alius alium, C. LII. 56.; *exspectare alienas opes*, LVIII. 15.
Exsuperare, C. LI. 13.

Extrema omnia experiri, C. XXVI. 7.; *extremum die*, J. XXI. 3.; *in extremo situm esse*, XXIII. 5.; *extremum montis*, XXXVII. 4.
Exustus, J. XIX. 10.

F.

Facere, *idem*, C. LX. 2., J. LXXXV. 29.; *fidem verbis*, J. XXIV. 15.; *imperata*, XLVI. 10.; *fugam* (fugere), LIII. 5.; *pugnam*, LVI. 6.; *optionem alicujus*, LXXIX. 12.; *parum aliquid*, LXXXV. 46.
Facile, *haud*, C. XIII. 10.; *pati*, LII. 69.; *persuadere*, J. LXI. 9.; *notus*, LXIII. 10.
Facilitas, C. LIV. 5.
Facto, *non consulto*, *opus est*, C. XLIII. 5.
Factum pro *factu*, C. XXXII. 3.
Fama atque invidia vexari, C. III. 10.
Fame, *ferro*, *clausum tenere*, J. XXXVIII. 15.
Fatigare, precibus obtundere, J. XI. 8., XIV. 51.; *suppliciis*, LXVI. 4.
Faucibus urgere, C. LII. 70.
Ferox, J. XIV. 57.
Ferro aperiundum iter, C. LVIII. 8.
Fert quae bellum atque libido victorum, C. XXI. 4.; *animus*, LVIII. 7., J. LIV. 9.
Fide publica, C. XLVII. 2.; *fide* pro *fidei*, J. XVI. 4., LXXIV. 5.; *fides rei penes auctores erit*, XVII. 12.; *fidem facere verbis*, XXIV. 15.; *fidei causa*, XXIX. 4.; *fidem mutare*, LVI. 9. (adde *Tacit. Ann.* IV. 47.); *res fidesque*, LXXIII. 10.
Flagitia atque facinora, flagitiosi atque facinorosi, C. XIV. 1.
Fortuna reipublicae, C. XLI. 3.; *belli*, LVII. 8.
Fraude, *sine*, C. XXXVI. 2.
Freto divisi, J. XVIII. 15.
Frustra esse, J. VII. 8., XXV. 14., LXXXIV. 11., LXXXV. 15., CXII. 5.
Fuga, translate, J. XL. 5.; *fugam facere*, LIII. 5.
Fugere, dupliciter constructum, sc. *et aliquid et alicunde aliquove*, J. LXI. 5.: *fugientes hostes*, LI. 5.
Fundere atque fugare, J. LXXIX. 4.

G.

Gerere seque et exercitum more majorum, J. LV. 1.; *animum super fortunam*, LXIV. 3.
Gignentia, J. LXXIX. 7.
Gladium educere, C. LI. 60.; *gladiis res geritur*, LX. 4.
Gloria, in malam partem, J. XLI. 3.; *nomen gloriamque sibi addere*, XVIII. 22.; *gloriae*, pluraliter, XLI. 8.
Gratiam facere delicti, C. LII. 18. *ea gratia quod*—, J. LIV. 7.; *in gratiam habere*, CXI. 2.
Grave existimare aliquid, J. XXIV. 10.

H.

Habere aetatem, C. IV. 1.; *remp.* V. 12.; habitare, VI. 2.; in se

continere, XI. 4.; *eventum*, 9.; *modum*, 11.; *exercitum luxuriose*, 14.; *divitias honeste*, XIII. 3.; *pudicitiam parum honeste*, XIV. 7.; *curae aliquid*, XXI. 9., cum participiis passivis, XXIII. 8., J. LXXXV. 17., XCV. 5.; *in spe aliquid*, C. XXXI. 9.; *in incerto*, XLI. 1.; *in custodia*, XLVII. 7.; *gravius aequo aliquid*, LI. 21.; *id quod res habet*, 35.; *cultu aliquo aliquem*, J. V. 13.; *in amicis aliquem*, VII. 7.; (in) *animo aliquid*, XI. 13.; *aliquem in animo*, XXIV. 3.; *parum*, XXXI. 11.; *satis*, 35.; *exercitum stativis castris*, XLIV. 8.; *post*, L. 4.; *aliquos inter se bello*, LXXIX. 3; *primum aliquid*, LXXXIV. 5.; *intentum* (sibi) *aliquem*, XCIV. 8.; *adcurate ac liberaliter aliquem*, CIII. 7.: *in gratiam aliquid*, CXI. 2.; *in potestatem aliquem*, CXII. 7.; pro *existimare*, CXIV. 3.; *haberi* pro *esse*, C. I. 10.; *exercitus sine imperio et modestia habitus*, J. XLIV. 4.

Haerere in animo, J. XXVIII. 1.

Haud facile, C. XIII. 10.

Heres secundus, J. LXV. 2.

Hibernacula, hiberna, J. CIII. 1.

Hic, hodiernus, J. IV. 14.; *hic talis*, X. 21.; *his tribus annis*, XI. 11.

——, adverbium, in interrogatione indignantis, C. LII. 24.

Hispaniae duae, C. XVIII. 5.

Homo, aliquis, C. XXXIII. 1.; *militaris*, XLV. 3.

Honestae divitiae, C. VII. 11.; *res* J. XIV. 40

Honores, magistratus, J. III. 1.; *capere*, LXXXV. 31.

Hostiles res, J. XLV. 1.

Hostis atque parricida, C. XXXI. 11.

Humanae res, J. LIII. 12.

Humi, C. LV. 7., J. XLVIII. 9.

Hypallage, C. LVII. 2.

Hyperbasis, C. XLVI. 8.

I.

Jacere, inter loquendum sibi excidere pati, J. XI. 9.

Jam tum, C. II. 2.; *primum*, VII. 3.; *si—, jam—*, LII. 40.; *non jam*, J. XXIV. 17.; *neque*, XXXI. 43.

Idem, cum tertio casu, more Graeco, C. XX. 8.; *facere*, LX. 2., J LXXXV. 29.; significatione antecedentis adjectivi indutum, J. IX. 4.; *atque idem*, XIV. 22.; *idemque* XXXI. 18.; *consultor idem et socius periculi*, i.e. simul, LXXXV. 67.

Igitur, in interrogatione ante-occupantis, C. LI. 68., J. XXX. 28.

Ignarus, non, C. XVII. 6.; passive, J. XVIII. 8.

Ille, geminatum, C. XX. 22.; *ille alter*, J. XIII. 3.; in oratione obliqua, XCVI. 3.

Immittere, subornare, C. XLVIII. 13.

Imparatus, J. XLIX. 8.

Impensius modo, J. XLVII. 8.

Imperata facere, J. XLVI. 10.

Imponere necessitudinem alicui, C. XXXIII. 6.; *invidiam* XLIII. 2.; *contumeliam*, XLVIII. 14.

Impunitum dimittere, C. LI. 5.

In, pro *erga*, cum sexto casu, C. IX. 2., LI. 45.; *in rem esse*, XX. 2.; *manibus*, 5., 15., J. XIV. 10.; *oculis*, C. XX. 23.; *armis*, XXXVII. 6.; *incerto habere*, XLI. 1.; cum quarto casu, status motusve ratione non habita, L. 2., J. CXI. 2.; *sententiam ire pedibus*, C. L. 4.; *sententiam addere*, LI. 37.; *dubio esse*, LII. 16.; *animum inducere*, LIV. 6.; *Galliam versus*, LVI. 6.; *quo in loco res nostrae sint*, LVIII. 6.; *dextris portare libertatem*, 9; *primis cadere*, LX. 7; *amicis habere*, J. VII. 7.; (in) *animo habere*, XI. 13.; *extremo situm esse*, XXIII. 5.; *animo aliquem habere*, XXIV. 3.; *animo haerere*, XXVIII. 1.; cum vi adversativa, XLI. 7.; sequente *tamen*, LV. 2.; *tempore adesse*, LVI. 3.; *manibus proelium*, LVII. 3.; *praesidio esse*, LVIII. 1.; (in) *animo agitare*, LXIII. 2.; (in) *praeceps dare*, 14.; *diem aliquem constituere*, LXVI. 6.; *majus celebrare*, LXXIII. 9.; *Thalam pervenit, in oppidum magnum et opulentum*, LXXV. 2.

Incedere per ora hominum magnificum, J. XXXI. 14.

Incendere ad—, C. XIII. 9.

Incertus, passive, J. XLIX. 16.

Incipere facinus, C. XX. 7.

Indefinita pronomina postposita, C. LI. 16.

Indere nomen, J. LXXVIII. 1.

Indicativus pro subjunctivo, C. XVIII. 9., J. XIV. 17., LXXXV. 69.

Indicium profiteri, J. XXXV. 10.

Inducere praemio, C. XXXVI. 9., J. XIII. 13.; *in animum*, C. LIV. 6.

Infectum, quod effici nequit, J. LXXVI. 1.

Infensus, J. XIV. 42.

Infestus, passive, C. XV. 3.; *infesto exercitu*, J. XLVI. 9.

Infinitivus pro imperfecto indicativi, C. VI. 7.; post particulam *quum*, J. XCVIII. 3.; pro gerundio, C. XIII. 6.

Ingenium in promtu habere, C. VII. 1.; *haud absurdum*, XXV. 8.

Ingerere tela, J. LX. 8.

Ingredi acriter (sive *acriorem*) *Numidiam*, J. XXVIII. 11.; *eadem*, XLII. 2.

Iniquum certamen, J. LIV. 11.

Injuriam persequi, C. IX. 6.; *injuriae licentia*, XII. 8.; *injuriae opportunus*, J. XX. 5.

Innocentia, C. XII. 2.

Innoxius, passive, C. XXXIX. 1.

Insolentia loci, J. L. 14.

Intendere animum, J. XX. 3.; *neque, quod intenderat, efficere potest*, XXV. 12.; cum infinitivo, XCII. 12.; *arcum*, CV. 7.

Interpositio alienae constructionis, C. XLVI. 8.

Inter se haud procul, J. LIII. 9.

Invadere in—, J. XXXII. 6.

Invenire dignum exitum vitae, C. LV. 12.; *aliquid ex aliquo*, J. LXX. 4., adde XCIV. extr.

Invictus animus, J. XLIII. 8.

Invidia Ciceronis, C. XXII. 3.; *invidiam imponere alicui*, XLIII. 2.; *gloria vincere*, J. X. 8.
Inultus, J. LVIII. 7., LXX. 8.
Jocum movere, C. XXV. 9.; *joca atque seria cum aliquo agere*, J. XCVI. 4.
Ipsa vita brevis, C. I. 8.; *suusmet ipsius*, XXIII. 4.; pro *ipse quoque*, LIX. 3.; cum vi quadam adversativa, J. XIV. 64.
Ire perditum, C. XXXVI. 7.; *pedibus in sententiam*, L. 4.
Irrumpere in—, J. XXV. 9.
Is, ad posterius nomen attractum, C. VII. 9.
Ita, atque, J. LIII. 4.; *se res habet*, LXXXV. 37.
Iter ferro aperire, C. LVIII. 8.; *itinere diverso loca habent*, LII. 32.; *in itinere*, J. LXXXVIII, 2., CIII. 6., CV. 4.
Jubere, cum infinitivo activae vocis, omisso nomine personali, J. LXXV. 6.
Jucundus, an *jocundus*, scribendum sit, J. LXXXV. 62.
Jurgio lacessere, C. XXXI. 6.
Jus honoris, J. III. 1.; *et imperium*, XIV. 2.
Jussus habebat exercitum inter—, J. LXX. 7.
Justa facere, J. XI. 3.
Juxta aliquid facere, et aliud, quum tamen neutrum fiat, C. II. 15.

L.

Laboris ac belli patiens, C. VII. 4.
Laetari aliquid, C. LI. 52.
Laetum facere aliquid, J. LIII. 7.
Lacessere jurgio, C. XXXI. 6.
Largiri aliena, C. LII. 26.
Legare sibi aliquem, J. XXVIII. 7.
Legibus non magis, quam natura, C. IX. 1.
Legiones hostium, C. LIII. 4., J. LXXIX. 4.
Liberaliter habere aliquem, J. CIII. 7.
Liberi atque soluti, C. VI. 4.
Licentia injuriae, C. XII. 8.
Lingua promtus, J. XLIV. 2.
Locus peccato, C. LII. 68.; *quo in loco res nostrae sint*, LVIII. 6.; *ad id locorum*, J. LXIII. 13.
Lumine obscuro, J. XXI. 4.
Luxu pro *luxui*, J. VI. 1.

M.

Magis, plerumque, C. I. 6.; omissum, VIII. 1.; semel positum, J. V. 3.
Magnum mare, tumidum, J. LXXVIII. 4.
Majus sibi, J. XXII. 2.; *in majus*, LXXIII. 9.
Mala pugna, J. LVI. 4.
Malle, ejus elegans quidam usus, J. LXX. 11.; *omnia quam*—, LXXIX. 10.
Malum, damnum, C. LI. 45; supplicium, J. C. 11.
Mandare consulatum, C. XXIII. 10.
Manus, in manibus dominatio, C. XX. 5., *victoria*, 15.; *manu aequa discedere*, XXXIX. 5.; *ne-*

que mihi in manu fuit—, J. XIV. 10.; *in manibus proelium*, LVII. 3.; *per manus tradere*, LXIII. 15.
Mare magnum, J. LXXVIII. 4.; *maria montesque polliceri*, C. XXIII. 6.
Maturare iter pergere, J. LXXIX. 6.
Maxime, ex vicino superlativo intelligendum, C. V. 11., J. XXXI. 21.
Medioeris vir, J. VI. 7.
Melior bello, J. XIII. 3.
Memoria rerum gestarum, J. IV. 2.
Metonymia, C. XIV. 1. J. XXI. 6.
Meus procuratione, J., XIV. 1.; *affines, propinquos, ceteros meos*, 34.
Militaris homo, C. XLV. 3.
Minuere, absolute, C. XXIV. 2.
Miscere omnia, C. II. 9.; *hi per connubia Gaetulos* (sibi) *miscuere*, sive potius *Gaetulis* (se), J. XVIII. 9.
Miserabile facinus, J. LIII. 11.
Miserari casum suum, J. XXIII. 7.
Modo—, *neque*—, J. L. 9.
Modum habere, C. XI. 11.; *modo impensius*, J. XLVII. 8.
Mons uno aditu, J. XCII. 10.; *maria montesque polliceri*, C. XXIII. 6.
Mori remedium miseriis, C. XL. 7.; *aerumnarum requies*, LI. 36.
Movere quieta, C. XXI. 2.; *jocum*, XXV. 9.; pro *agitare*, XXXI. 5., J. XXXV. 3.
Multus atque ferox, J. LXXXIV. 2.; *in operibus ... multus adesse*, XCVI. 5.
Mutare absolute, pro *commutari*, J. XXXVIII. 17., pro *immutari*, LXXVIII. 5.; *certa incertis*, LXXXIII. 4.
Mutuam sumere pecuniam, C. XXIV. 3.

N.

Nae, C. LII. 54.
Nam ... quidem—? J. XXXI. 36.
Natus imperio, J. XXXI. 16.
Ne, interpositum, C. I. 4.; pro *nedum*, XI. 17.; pro *modo ne*, LII. 28.
—, particula dubitativa, omissa C. XXV. 5.
Nec, pro *ne*—*quidem*, J. LI. 6.
Necessitudinem imponere, C. XXXIII. 6.
Necubi, ne alicubi, J. LV. 6.
Neque tamen, C. XIX. 3., LVII. 5.; *neque* exegeticum, XXIV. 4., XXXIII. 3.; pro *et ne*, J. XIV. 18.; *jam*, XXXI. 43.; *neque*—, *et tamen*—, XLIX. 15.
Neu, vel *neve*, particula exegetica potius, quam disjunctiva, J. XIV. 66.
Neutra pronomina et adjectiva binis nominibus femininis adstructa, C. V. 9., XX. 4., J. LXXII. 4., LXXXIII. 3.
Nihil sane, C. XVI. 7.
Nisi qui, C. XIII. 1.; *forte*, XX. 25.; *tamen*, J. XXIV. 7.; pro *non nisi*, LIV. 10.; solutius ad-

hibitum, LXVII. 5., ubi *ceterum* scribere licebat, conf. c. 79., vel *sed*, conf. c. 113.
Nobilitas animi, C. XLIX. 5.
Nomen Romanum, C. LII. 48.; *nomen gloriamque sibi addere*, J. XVIII. 22.; *ex re inditum*, LXXVIII. 1.
Non ignarus, C. XVII. 6.; *non quo*, non quod, XXXIV. 4.; *non agitur de*—, LII. 15.; *non* —, *sed*—, pro *non tam*—, *quam* —, J. XIV. 61.; *non jam*, XXIV. 17.; pro *non modo non*, XXXIII. 8., 9.; *non*—*modo*—, *multo magis*—, LXXXIX. 4.; *non* (tam) —, *quam*—, C. 8.
Nondum etiam, J. XXXI. 32.
Novare res, C. XXXIX. 3. extr.
Novitas, nova nobilitas, J. LXXXV. 27.
Novus homo, C. XXIII. 13., J. LXXIII. 12.
Nox diremit proelium, J. LX. 10.
Nulli, nullius, *nullo*, nulli. C. XXIX. 7.; *quippe quae nulla sunt*, J. LXXXVI. 5.
Numero ex suo, C. XXXII. 5.; *ex eo*, *qui ad caedem parati*, J. XXXV. 9.
Numidae, unde appellati, J. XVIII. 11; *usque ad*—. XIX. 13.

O.

Ob rem, J. XXXI. 4.
Obscurati ipsi atque signa militaria, J. XLIX. 17.
Observare signa, *ordines*, J. LI. 1.
Obstat vita cetera huic sceleri, C. LII. 63.
Obtinet fama plerosque, J. XVII. 11.; *nulla pro socia*, LXXX. 7.
Occasionem per, C. LI. 6.
Occurrere auxilio, J. CI. 11.
Offensus sibi, J. LXXIII. 3.
Omittere pila, C. LX. 4.
Omnium quisquam, C. LI. 2.; *omnia pati prius decrevit*, *quam* —, J. XX. 13.
Onerare promissis, J. XII. 4.
Opinione amplius, J. LIII. 8.
Opportunus injuriae, J. XX. 5.
Optandus, optabilis, C. X. 2.
Optimum factum, C. XXXII. 3.
Optionem alicujus facere, J. LXXIX. 12.
Ora per hominum incedere, J. XXXI. 14.; *omnium in me conversa*, LXXXV. 12.
Ostentui, J. XXIV. 16., XLVI. 11.

P.

Pabulum humi cibus, J. XVIII. 1.
Par cum aliquo, J. XIV. 19.; *ita uti par fuerat*, XXXIX.
Παρὰ προσδοκίαν, J. XXXI. 31., LXXXV. 23.
Parare provincias inter se, J. XLIII. 2.; absolute, animo agitare, moliri, LXXI. 6.
Parcere, C. XIV. 6.
Parent omnia virtuti, C. II. 12.; *parentes*, J. III. 2.
Parĕre, J. X. 14., XXXI. 27.
Parricida, C. XXXI. 11.
Pars, semel positum, J. XXXI. 15.; *parte decima die reliqua*, XCVII. 4.
Participium pro verbo per hypallagen, C. LVII. 2.

Partim, semel positum, C. L. 1.; pro *partem*, J. LV. 9.; *alia—, partim—*, LXXXV. 26.
Parum habere aliquid fecisse, J. XXXI. 11.
Passim, J. XVIII. 4.
Patere, C. X. 1.; *patens satis mons castello*, J. XCII. 9.
Pati facile, C. LII. 69.; *nihil tutum apud hostes*, J. LXXXVIII. 1.; *patiens inediae*, C. V. 3.; *laboris ac belli*, VII. 4.; *aetas militiae*, J. LXIII. 8.
Patrare bellum, J. XXI. 7., LXXXVIII. 4.
Paulo, cum comparativis, J. LVIII. 3.
Peccato locus si esset, C. LII. 68.
Peculatus, J. XXXI. 41.
Pedibus ire in sententiam, C. L. 4.; *aeger*, LIX. 13.
Pensi nihil habere, C. V. 8., XXIII. 5., LII. 67., J. XLI. 11.
Per ignaviam aut vana ingenia, C. XX. 6.; *occasionem*, LI. 6.; *per, vos, liberos*, J. XIV. 68.; *quasi per saturam*, XXIX. 6.; *ora hominum incedere*, XXXI. 14.; *manus tradere*, LXIII. 15.
Perducere, praecise, C. XLVI. 6.
Periculo aliquo esse, J. LVII. 7.
Perinde—, ut—, J. IV. 18.
Permittere exercitum alicui, C. LIX. 14.
Permixtio civilis, J. XLI. 13.
Perpellere, C. XXVI. 5.
Perscribere, translate, sc. in animo, J. XCIII. 7.
Persequi injuriam, C. IX. 6., LII. 9.; bello aliquem, XXXVI. 4.
Pertinens in immensum, J. XLVIII. 8.
Petere aliquem, hostiliter, J. XX. 4.
Pila omittere, C. LX. 4.
Placet igitur dimitti, et augere—? C. LI. 69.
Pleri pro *plerique*, J. LXXV. 11.
Plerusque, J. LIV. 52.
Poenas comparare, C. LI. 14.; *capere*, J. LXVIII. 4.
Poenitendus, J. LXXXV. 42.
Polliceri maria montesque, C. XXIII. 6.
Ponderis gratia, J. XCIV. 5.
Ponere, imponere, J. XXIV. 13. *bellum*, CXII. 1.
Populares sceleris, C. XXII. 1.
Populi liberi, J. XXXI. 10.
Porro autem, C. XLVI. 3.
Positivus pro superlativo, C. V. 11., J. XXXI. 21.
Posse libenter infinitivum adsumendum relinquit, J. III. 3.; *posse invadi speranti*, LXXXVII. 5.
Post conditam Urbem, C. XVIII. 8.; *esse*, XXIII. 14.; *eum diem*, XLVIII. 5.; *id locorum*, J. LXXII. 4.; *dies quadraginta, quam—*, LXXVI. 10.
Postquam cum praesenti, J. XXXVIII. 7.
Postrema meminere plerique, C. LI. 28.
Potare, amare, C. XI. 16.
Potentialis modus, J. LXXVI. 13.

Potiora omnia, J. XXVI. 3., LXII. 7.; *alicui esse*, LXXXVI. 5.
Potissimus, ipse potissimum, J. XCIV. 7.
Potius, praecise, C. XVI. 5.; omissum, J. CII. 7.
Praeceps abierat, C. XXV. 7.; (in) *praeceps dare*, J. LXIII. 14.
Praeda vastare agrum, J. LV. 10.
Praemio inductus, C. XXXVI. 9., J. XIII. 13.
Praesens diligentia, C. LI. 33.
Praesens tempus pro futuro, C. LI. 47., J. XIV. 4., CVII. 2.
Praeter pro *praeterquam*, C. XXXVI. 3.
Praeterea, C. XIX. 10.
Praeterire, J. IV. 3.
Pretii pluris coquus, J. LXXXV. 56.
Prima quae mortales putant, C. XXXVI. 5.; *in primis*, LX. 7.; *prima habere*, J. LXXXIV. 5.
Priorem aliqua re esse, J. X. 19., XCVI. 6.
Priusquam cum indicativo, C. IV. 7.
Pro hostibus et adversum se, J. LXXXVIII. 5.; *noctem pro se rati*, XCVIII. 4.; *pro victoribus agere*, 11.
Procedere, prospere cedere, C. I. 13.; *procedunt benefacta reip.*, J. LXXXV. 13.
Profiteri indicium, J. XXXV. 10.
Prohibere, J. LXVII. 1., CVII. 1.
Proinde quasi, C. XII. 10.
Prolatare, C. XLIII. 4., J. XXVII. 5.
Promtus lingua, J. XLIV. 2.
Prona pecora, C. I. 5.; *omnia virtuti*, J. CXIV. 4.
Prope diem, C. XLVIII. 5.
Properabat sese quisque hostem ferire, C. VII. 8.
Propior cum casu quarto, C. XI. 1., J. XLIX. 2.
Propter, prope, C. LIX. 11.
Proripere (se), absolute, C. XXXII. 1.
Prosapia, J. LXXXV. 22.
Provisa omnia suis, J. XLIX. 6—7.
Proxime Carthaginem, J. XVIII. 19.
Prudens, J. XLIX. 8.
Pudore coërcere, J. C. 11.
Pugna mala, J. LVI. 4.; *pugnam facere*, 6.
Pugnando capere, C. VII. 12., J. XXVIII. 12.
Putare— in—, C. II. 5.

Q.

Qua, C. LVII. 4., J. XVIII. 3.
Quaerere, indigere, J. XCVIII. 7.
Quam—, ut—, J. XXXI. 3.; *quam quisque pessime fecit, tam tutus est*, 21.; deficiente proprio ejus commate, LXIII. 12.; *post dies quadraginta, quam—*, LXXVI. 10.
Quamvis, quantumvis, C. XXIII. 12.
Quantum importunitatis habent, J. XXXI. 39.; *quantum—, tanto—*, LXXXV. 36.
Quasi, circiter, J. L. 5.
Que, cum voce semel posita, bis

intelligenda, C. LIII. 3.;—*que et*—, J. VI. 6.; ἓν διὰ δυοῖν, XVIII. 22., LXXIX. 13.; *idemque*, XXXI. 18.; *neque*—,—*que*—, LXXIV. 2.; paululum intensivum, LXXIX. 2.

Qui, pronominis usus, C. IV. 6, LI. 18., 25., 67., LV. 5., J. VI. 7., XIV. 65., LXXXI. 2., LXXXIV. 4.

—, adverbium, C. LI. 42.

Quicumque cum indicativo, C. LII. 11.

Quid ubique—, C. XXI. 3.

Quieta movere, C. XXI. 2.

Quietes, C. XV. 4.

Quin—? C. XX. 21.

Quisque, supra quam cuique credibile est, C. V. 4.; *sibi quique petentibus*, J. XVIII. 5.

Quo pro *quod*, C. XXXIV. 4., J. XXXII. 7.

Quousque tandem, C. XX. 12.

Quum censentis, C. LII. 72.; *quum interim*, J. XII. 8.; postpositum, LXXXV. 33.; cum infinitivo historico, XCVIII. 3.

R.

Rapere, trahere, C. XI. 10.; *rapi virgines, pueros*, LI. 17.; *animus ad inceptum scelus rapiebat*, J. XXV. 8.

Rationes trahere, J. XCVII. 2.

Recipere rempublicam, C. XI. 7.; *in amicitiam*, J. V. 7.

Redeo, omissum, J. XLII. 9.; *ad rem*, LXXIX. 15.

Redimere flagitium, C. XIV. 3.

Regia superbia, J. LXIV. 11.

Repetere, J. LXXXV. 52.

Repetundarum reus, C. XVIII. 4.

Reputare cum animo, J. XIII. 8.

Res, civitas, C. VI. 5.; *amicitias non ex re aestimare*, X. 6.; *in rem esse*, XX. 2.; *res—spes*, 20; *re cognita fides*, XXXV. 1.; *id quod res habet*, LI. 35.; *quo in loco res nostrae sint*, LVIII. 6.; *gladiis res geritur*, LX. 4.; *res ad certamen venit*, J. XIII. 4.; *ob rem*, XXXI. 4.; *verbis—re*, XLVIII. 2.; *uti erat res*, LXIX. 2.; *res fidesque*, LXXIII. 10.; *ex re inditum nomen*, LXXVIII. 1.; *ad rem redeo*, LXXIX. 15.; *ita se res habet*, LXXXV. 37.

Respublica, remp. capere, C. V. 7.; *recipere*, XI. 7.; *habere*, V. 12.; *ne quid resp. detrimenti caperet*, XXIX. 3.; *contra remp. facere*, L. 3.; *capessere*, LII. 14.; *resp. vacua*, LII. 46.; *dilacerata*, J. XLI. 6.

Restinguere, C. XXXI. 13.

Retractus ex itinere, C. XXXIX. 8.

Romanus (imperator), J. LXXXI. 5.

Rumore, ex, J. XL. 7.

S.

Saepe et *spe* commutata, J. VI. 8.; *saepenumero*, C. LII. 17.; *saepe*, semel positum, J. XXVII. 2.

Salutare, C. XXVIII. 3.

Salutem in fuga sperare, C. LVIII. 18.

Sane, nihil sane, C. XVI. 7.; concessivum, sequente (modo) *ne*, LII. 28.; ironicum, J. XXIV. 12.

Satietas tenet, J. XXXI. 32.
Satis habere, J. XXXI. 35.
Saturam, quasi per, J. XXIX. 6.
Scilicet cum infinitivo, J. IV. 13.
Scribere, omissum, J. XXIV. 5.; *heredem secundum*, LXV. 2.
Secundae personae usus indefinitivus, C. XX. 13., LXI. 2., J. X. 17.
Secundo mari, J. XIX. 5.
Secundum ea, J. XIV. 9.
Secundus heres, J. LXV. 2.
Secus cedere, J. XX. 15.
Sed, omissum, J. XXXIII. 9.
Senatu pro *senatui*, J. IX. 4.
Senescere, translate, J. XXXV. 3.
Sequi, sequebantur divitias gloria, etc., C. XII. 1.; *sequi inertiam*, LII. 45.; *sequebatur gloria Catonem*, LIV. 11.
Servilia officia, C. IV. 2.
Servitium, servitia, C. LVI. 8.
Si—, jam—, C. LII. 40.; omissum, J. XXXIII. 7., LXIV. 9.; pro *an*, XLVII. 3.; pro *quoties*, LVIII. 4.; postpositum, LXXV. 4., CXII. 6.
Silentio transire vitam, C. I. 4.
Simul pro *simul ac*, C. VII. 4.; *simul et*, J. XX. 2.; omissum, LXXVIII. 5.; *simul consul de hostium adventu cognovit et ipsi hostes aderant*, XCVII. 8.
Simulator animus, C. V. 5.
Sin, at quoties, J. LVIII. 4.
Socii boni fidelesque, J. LXXVII. 1.
Sollicitare, C. XXIV. 5.
Specie senati, pro sua magnitudine, C. XXXVIII. 2.
Spectaculum, J. XIV. 63., CI. 12.
Sperare, J. LXXXVII. 5.
Spes, res, C. XX. 20.; *in spe habere*, XXXI. 9.; *tenet*, LVIII. 20.; *spe* et *saepe* commutata, J. VI. 8.; *spe amplior commeatus*, LXXV. 11.
Stipendii nullius homo, J. LXXXV. 23.
Strepitus, J. LIII. 10.
Studere, C. 1. 2.
Studio ferri ad aliquid, C. III. 6.; *studia hominum accendere*, XXIII. 10.; *accensa in aliquem*, J. VI. 9.
Succedere, subire, J. LVII. 2.
Sumere pecuniam mutuam, C. XXIV. 3.; *sumserunt insignia magistratuum pleraque ab Tuscis*, LI. 61.; *bellum*, J. XX. 14.
Super fortunam animum gerere, J. LXIV. 3.
Superare, C. XX. 18., J. LXIV. 1., LXX. 3.
Superlativus cum positivo, C. V. 11., J. XXXI. 21.
Supervacaneum est, C. LVIII. 14.
Supplicia, J. XLVI. 3., LXVI. 4.
Supra caput dux hostium est, C. LII. 50.; *quam ego sum*, J. XXIV. 8.; *gratiam invidia*, XXXV. 12.
Suspectus regi et ipse suspiciens, J. LXX. 1.
Suus, suis artibus tentari, J. XLVIII. 1.; *sua loca*, LIV. 20.; *omnia*, LXI. 8.
Suusmet ipsius, C. XXIII. 4.
Syllepsis, C. XXI. 4., XLVII. 4., XLVIII. 2., LI. 3., 18., 63., J. X. 22., XXVIII. 12., XXXVIII.

15., XLII. 6.; XLIV. 4., XLVI. 16., XLIX. 12., LXXXVI. 5., C. 12.

T.

Tam, omissum post *non*, sequente *quam*, J. C. 8.
Tamen, *neque tamen*, C. XIX. 3., LVII. 5.; *nisi tamen*, J. XXIV. 7.; *neque—, et tamen—*, XLIX. 15.; *in—, tamen—*, LV. 2.; post parenthesin, XC. 3.
Tandem, *quousque tandem*, C. XX. 12.
Tantummodo — , neque — , C. XXIV. 4.; omissum, J. XVIII. 15.
Tegere, C. VI. 8.
Temperare victoriae, C. XI. 18.; absolute, sc. sibi, J. LXXXV. 19.
Tempus, *in tempore* J. LVI. 3.; *ad tempus*, LXX. 9.; *ante*, LXXIX. 9.; pro *hora*, CVIII. 4.
Tendere cursu aliquo, J. XCI. 5.
Tenet spes, C. LVIII. 20.; *libido*, J. III. 4.; *satietas*, XXXI. 32.; *clausum fame, ferro*, XXXVIII. 15.: *teneri* cum participiis, C. III. 8.
Tentare fortunam belli, C. LVII. 8.; *locum insidiis*, J. XLVI. 12.; *tentandi gratia, si paterentur*, XLVII. 3.; *aliquem suis artibus*, XLVIII. 1.; *lassitudinem et sitim militum*, L. 3.; *arma*, CV. 7.
Togarum multitudo, an dici possit per metonymiam? J. XXI. 6.
Tolerare, C. LII. 20.
Tractus montis, J. XLVIII. 6.
Tradere per manus, J. LXIII. 15.
Trahere et vexare pecuniam, C. XX. 19.; *bellum*, J. XXIII. 6., LXIV. 10.; *animo aliquid*, LXXXIV. 12.; *in virtutem*, XCII. 2.; *cum animo*, XCIII. 1.; *rationes*, XCVII. 2.: *trahi* (ad supplicium), C. LI. 57.
Transire vitam silentio, C. I. 4.
Transversum agere aliquem, J. VI. 8.; *transverso itinere*, XLIX. 1.; *principiis*, 19.; *proeliis*, L. 2.
Triumvir coloniis deducendis, J. XLII. 3.
Tumultum ab tergo accipere, J. LVIII. 5.
Turba, globus incompositus, J. L. 11.
Tutus et *tutatus*, J. LXXIV. 9.

V.

Vacuam domum nuptiis facere, C. XV. 2.; *vacua resp.*, LII. 46.
Vanitas, C. XXIII. 3.
Vastat conscientia mentem, C. XV. 5.
Ubi, apud quos, C. XX. 11.; *ubique*, XXI. 3.
Venire, cum casu tertio, J. IV. 9.; *venit ad certamen res*, XIII. 4.; pro *evenire*, CIII. 3.
Verbis senatus, J. XXI. 12.; *verbis —, re—*, XLVIII. 2.
Vero amplior numerus, J. CV. 3.
Versum, *versus*, C. LVI. 6., J. LVIII. 5, LXIX. 1.
Versus Heroicus, C. XIX. 9.
Vertere, absolute, J. LXXXV. 20.
Victor animus, J. LXIII. 6.
Videre, per catachresin, C. XL. 6.; *videri* in senatus decretis, XLVIII. 10.

Vincere invidiam gloria, J. X. 8.; *vinci beneficiis*, CII. 14.
Virum esse, C. XL. 8.
Vis tanta morbi, C. XXXVI. 10.; *aquae*, J. LXXV. 9.
Unde, postpositum, C. LX. 3.; pro *a quo*, J. XIV. 59.
Volens, volenti animo accipere, J. LXXIII. 5.; *volentes pependere poenas*, LXXVI. 14.; *plebi militia erat volenti*, LXXXIV. 9.; *volentibus imperitare*, CII. 8.
Volvere cum animo, J. VI. 5., CVIII. extr.
Ut pro *quomodo*, C. V. 13., J. LV. 1.; pro *utpote*, C. XXXI. 8.; *eo consilio, uti—*, LVII. 1.; pro *quam*, J. XXXI. 3.; in modificatione, CVII. 8.
Uterque alterius, C. I. 15.; cum plurali verbo, XLIX. 2.

(*Nuper edita*)

DOCTRINA COPULARUM LINGUAE LATINAE; sive de vi atque usu elegantiori particularum AC, ATQUE, ET,—QUE, deque earum formulis, commentarius. Conscripsit Henricus E. Allen, A. B. Londini: apud T. Cadell. MDCCCXXX.

LONDINI:
EXCUDEBANT BRADBURY & EVANS.

hibitum, LXVII. 5., ubi *ceterum* scribere licebat, conf. c. 79., vel *sed*, conf. c. 113.
Nobilitas animi, C. XLIX. 5.
Nomen Romanum, C. LII. 48.; *nomen gloriamque sibi addere*, J. XVIII. 22.; *ex re inditum*, LXXVIII. 1.
Non ignarus, C. XVII. 6.; *non quo*, non quod, XXXIV. 4.; *non agitur de—*, LII. 15.; *non —, sed—*, pro *non tam—, quam —*, J. XIV. 61.; *non jam*, XXIV. 17.; pro *non modo non*, XXXIII. 8., 9.; *non—modo—, multo magis—*, LXXXIX. 4.; *non* (tam) *—, quam—*, C. 8.
Nondum etiam, J. XXXI. 32.
Novare res, C. XXXIX. 3. extr.
Novitas, nova nobilitas, J. LXXXV. 27.
Novus homo, C. XXIII. 13., J. LXXIII. 12.
Nox diremit proelium, J. LX. 10.
Nulli, nullius, *nullo*, nulli. C. XXIX. 7.; *quippe quae nulla sunt*, J. LXXXVI. 5.
Numero ex suo, C. XXXII. 5.; *ex eo, qui ad caedem parati*, J. XXXV. 9.
Numidae, unde appellati, J. XVIII. 11; *usque ad—*. XIX. 13.

O.

Ob rem, J. XXXI. 4.
Obscurati ipsi atque signa militaria, J. XLIX. 17.
Observare signa, ordines, J. LI. 1.
Obstat vita cetera huic sceleri, C. LII. 63.
Obtinet fama plerosque, J. XVII. 11.; *nulla pro socia*, LXXX. 7.
Occasionem per, C. LI. 6.
Occurrere auxilio, J. CI. 11.
Offensus sibi, J. LXXIII. 3.
Omittere pila, C. LX. 4.
Omnium quisquam, C. LI. 2.; *omnia pati prius decrevit, quam —*, J. XX. 13.
Onerare promissis, J. XII. 4.
Opinione amplius, J. LIII. 8.
Opportunus injuriae, J. XX. 5.
Optandus, optabilis, C. X. 2.
Optimum factum, C. XXXII. 3.
Optionem alicujus facere, J. LXXIX. 12.
Ora per hominum incedere, J. XXXI. 14.; *omnium in me conversa*, LXXXV. 12.
Ostentui, J. XXIV. 16., XLVI. 11.

P.

Pabulum humi cibus, J. XVIII. 1.
Par cum aliquo, J. XIV. 19.; *ita uti par fuerat*, XXXIX.
Παρὰ προσδοκίαν, J. XXXI. 31., LXXXV. 23.
Parare provincias inter se, J. XLIII. 2.; absolute, animo agitare, moliri, LXXI. 6.
Parcere, C. XIV. 6.
Parent omnia virtuti, C. II. 12.; *parentes*, J. III. 2.
Parĕre, J. X. 14., XXXI. 27.
Parricida, C. XXXI. 11.
Pars, semel positum, J. XXXI. 15.; *parte decima die reliqua*, XCVII. 4.
Participium pro verbo per hypallagen, C. LVII. 2.

Partim, semel positum, C. L. 1.; pro *partem*, J. LV. 9.; *alia—, partim—*, LXXXV. 26.
Parum habere aliquid fecisse, J. XXXI. 11.
Passim, J. XVIII. 4.
Patere, C. X. 1.; *patens satis mons castello*, J. XCII. 9.
Pati facile, C. LII. 69.; *nihil tutum apud hostes*, J. LXXXVIII. 1.; *patiens inediae*, C. V. 3.; *laboris ac belli*, VII. 4.; *aetas militiae*, J. LXIII. 8.
Patrare bellum, J. XXI. 7., LXXXVIII. 4.
Paulo, cum comparativis, J. LVIII. 3.
Peccato locus si esset, C. LII. 68.
Peculatus, J. XXXI. 41.
Pedibus ire in sententiam, C. L. 4.; *aeger*, LIX. 13.
Pensi nihil habere, C. V. 8., XXIII. 5., LII. 67., J. XLI. 11.
Per ignaviam aut vana ingenia, C. XX. 6.; *occasionem*, LI. 6.; *per, vos, liberos*, J. XIV. 68.; *quasi per saturam*, XXIX. 6.; *ora hominum incedere*, XXXI. 14.; *manus tradere*, LXIII. 15.
Perducere, praecise, C. XLVI. 6.
Periculo aliquo esse, J. LVII. 7.
Perinde—, ut—, J. IV. 18.
Permittere exercitum alicui, C. LIX. 14.
Permixtio civilis, J. XLI. 13.
Perpellere, C. XXVI. 5.
Perscribere, translate, sc. in animo, J. XCIII. 7.
Persequi injuriam, C. IX. 6., LII. 9.; bello aliquem, XXXVI. 4.
Pertinens in immensum, J. XLVIII. 8.
Petere aliquem, hostiliter, J. XX. 4.
Pila omittere, C. LX. 4.
Placet igitur dimitti, et augere—? C. LI. 69.
Pleri pro *plerique*, J. LXXV. 11.
Plerusque, J. LIV. 52.
Poenas comparare, C. LI. 14.; *capere*, J. LXVIII. 4.
Poenitendus, J. LXXXV. 42.
Polliceri maria montesque, C. XXIII. 6.
Ponderis gratia, J. XCIV. 5.
Ponere, imponere, J. XXIV. 13. *bellum*, CXII. 1.
Populares sceleris, C. XXII. 1.
Populi liberi, J. XXXI. 10.
Porro autem, C. XLVI. 3.
Positivus pro superlativo, C. V. 11., J. XXXI. 21.
Posse libenter infinitivum adsumendum relinquit, J. III. 3.; *posse invadi speranti*, LXXXVII. 5.
Post conditam Urbem, C. XVIII. 8.; *esse*, XXIII. 14.; *eum diem*, XLVIII. 5.; *id locorum*, J. LXXII. 4.; *dies quadraginta, quam—*, LXXVI. 10.
Postquam cum praesenti, J. XXXVIII. 7.
Postrema meminere plerique, C. LI. 28.
Potare, amare, C. XI. 16.
Potentialis modus, J. LXXVI. 13.